FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

# THEOLOGIA

## UNIVERSA

PARIS. — IMP. ADRIEN LE CLERE, RUE CASSETTE, 29.

**THOMÆ EX CHARMES**

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

# THEOLOGIA

## UNIVERSA

**QUOAD PARTEM DOGMATICAM**

ADAUCTA ANNOTATIONIBUS ET ADDITIONIBUS

NECNON TRACTATU DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE

**QUOAD PARTEM MORALEM**

AD SENTENTIAS LIGORIANAS FUNDITUS REDUCTA

**OPERA J.-A. ALBRAND**

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

SECUNDA EDITIO

A ROMANIS CENSORIBUS APPROBATA.

**TOMUS SEXTUS**

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 9.

1871

8906

# THEOLOGIA

## UNIVERSA.

ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

## TRACTATUS

DE

# VIRTUTE RELIGIONIS.

### PRÆLUDIUM DE NATURA VIRTUTIS RELIGIONIS.

Quæres 1. *Quid sit Religio?*

Resp. Religionis nomen ducitur vel a *relegendo* et sæpe *revolvendo* ea quæ sunt divini cultus, juxta S. Isidorum; vel a *reeligendo* Deum quem negligentes amittimus, secundum S. Augustinum [1]; vel a *religando*, ut ait idem S. August. [2], quia per eam Deo alligamur, eique plane devincimur.

*Triplici* autem sensu nomen Religionis passim accipitur: 1° pro societate hominum Deo optimo maximo cultum exhibentium; 2° pro cœtu quorumdam qui, votis solemnibus adstricti sub certa regula ab Ecclesia approbata, Deo specialiter inserviunt, et sic dicitur, v. gr., Religio S. Benedicti, S. Dominici, etc.; 3° denique pro peculiari quadam virtute morali, quæ hominem inclinat ad Deum colendum.

De Religione in primo sensu intellecta tractatum dogmaticum integrum instituimus. In secundo autem sensu

[1] Lib. X *de Civit. Dei*, cap. 4. — [2] *De vera Relig.*

accepta, dicimus in tract. *de Obligationibus*. Igitur ultimo sensu nomen Religionis hic a nobis accipitur, et definitur: *virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.*

Dicitur 1° *virtus moralis*, et quidem inter morales prima, et proxime accedens ad virtutem Theologicam ; non est tamen Theologica, quia pro objecto immediato non habet Deum, aut Dei attributum, sed cultum Deo debitum.

Dicitur 2° *per quam Deo exhibetur cultus*, id est, honor cum submissione in testimonium ipsius excellentiæ. Unde, licet Sancti colantur, adhuc ipse colitur Deus in Sanctis, quibus sanctitatem suam communicavit.

Dicitur 3° *cultus debitus*, sub ratione debiti ; unde objectum formale religionis, quæ ad justitiam pertinet, est ratio debiti, juxta illud Apostoli : *Soli Deo honor et gloria* [1].

Dicitur 4° *tanquam primo rerum omnium principio ;* ut assignetur motivum propter quod hic cultus Deo sit debitus.

Ex his patet,

1° *Objectum materiale* remotum Religionis, seu *objectum quod*, non esse ipsum Deum, sed actus omnes, qui cultum Deo exhibendum constituunt. Nam illud est objectum materiale alicujus virtutis, circa quod ipsa immediate versatur ; atqui Religio versatur circa actus quibus Deo debitus honor exhibetur : ergo, etc.

*Prob. min.* Religio se habet ad Deum, sicut justitia, cujus est pars, ad proximum ; atqui objectum materiale justitiæ est res debita et per actus nostros reddenda : ergo pariter objectum religionis est cultus Deo debitus per actus nostros reddendus.

2° *Objectum formale sub quo*, seu motivum, esse illam specialem honestatem et convenientiam et æqualitatem saltem imperfectam, quam homo inter se et Deum ponit per cultum ; nam objectum formale virtutis est specialis ratio, sub qua virtus in objectum materiale tendit.

[1] I Timoth. I.

3° Deum esse *objectum cui* Religionis. Sicut enim objectum *cui* justitiæ virtutis, est persona cui solvitur debitum, ita objectum *cui* virtutis Religionis, est Deus cui cultus exhibetur.

Quæres 2. *Quomodo Deus coli debeat?*

Resp. Coli debet actibus internis et externis; nam homo mente et corpore constat: ergo tenetur utriusque actibus colere Deum, utpote utriusque principium.

Itaque agemus: 1° de actibus internis Religionis; 2° de ejusdem actibus externis; 3° de vitiis Religioni oppositis, triplici dissertatione.

# DISSERTATIO I.

## De actibus internis Religionis.

*Nota.* Actus interni Religionis sunt duo: nempe *devotio* et *oratio*. Unde duplex caput.

## CAPUT I.

### DE DEVOTIONE.

Quæres 1. *Quid sit devotio?*

Resp. Est *volitio efficax tradendi se prompte ad ea quæ pertinent ad cultum Dei.* Devotionem enim a verbo *devovere* deduxit Angelicus dicens: *Devoti dicuntur qui seipsos quodam modo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant* [1].

Dicitur 1° *tradendi se*, id est totum hominem, non tantum partem hominis.

Dicitur 2° *prompte*, id est, expedito et alacri animo.

Dicitur 3° *ad ea quæ pertinent ad cultum Dei*, quibus verbis significatur devotionem esse actum generalem Religionis, a quo cæteri omnes informari debent.

[1] 2 2, quæst. 87, art. 1.

Quæres 2. *Quot sint genuini devotionis effectus?*

Resp. Sunt duo : *primarius*, juxta illud : *Memor fui Dei, et delectatus sum*, scilicet, *lætitia spiritualis* ex consideratione divinæ bonitatis; *secundarius* vero *tristitia*, ex consideratione propriorum defectuum [1], et quod adhuc peregrinamur a Domino.

*Hinc* 1° fucata est illorum devotio, qui propter exteriorem quam præ se ferunt pietatis speciem, cæteris melius sapere sibi videntur, infirmioribus compati nullatenus noverunt, corrigenda ubique se invenire putant præterquam in se ipsis, nimium sibi placentes, etc.

*Hinc* 2° non sumitur hic devotio pro fervore delectante, qui sentitur interdum in oratione, id est pro quadam animi lætitia ac suavitate. Affectus enim illi non ita pertinent ad devotionis naturam, ut his absentibus devotio stare non possit. Quod patet exemplo Christi, cujus tristis fuit anima usque ad mortem [2]. Et plures Sancti in summa ariditate fuerunt, sic Deo permittente, tum ad eos in humilitate servandos, tum ad illorum fidem firmandam et perficiendam.

Hæc igitur devotio in animi, non vero partis animalis alacritate sistit.

*Hinc* 3° periculose errat qui totum virtutis negotium solis affectiunculis confectum arbitratur, quibus si careat, tristis et dejectus ab ipsa oratione desistit. Per hoc enim ostendit non tam Deum quam seipsum quærere; non tam ex gratia quam ex facili et mollicula natura suam devotionem provenire.

Vera tamen devotio in simplicibus et mulieribus magis abundare solet, quia qui scientia et ingenio pollet, nimis confidens de se ipso, non totaliter se subdit Deo : *Si tamen*, inquit S. Thomas [3], *scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio augeretur.*

[1] Ita Div. Thom., 2 2, quæst. 82, art. 4. — [2] Marc. xiv. — [3] 2 2, quæst. 82, art. 3.

*Hinc* 4° patet quanta sit devotionis excellentia, cum charitatis sit quasi flamma corruscans, unde belle S. Franciscus Salesius : *Croyez-moi, la dévotion est la douceur des douceurs et la reine des vertus ; car c'est la perfection de la charité. Si la charité est un lait, la dévotion en est la crême; si elle est une plante, la dévotion en est la fleur ; si elle est une pierre précieuse, la dévotion en est l'éclat ; si elle est un baume précieux, la dévotion en est l'odeur de suavité, qui conforte les hommes et réjouit les anges* [1].

QUÆRES 3. *Quisnam sit finis devotionis ?*

RESP. Finis devotionis est animæ præbere facilitatem ad illam perveniendi perfectionem quam Christus commendat dicens : *Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est* [2].

QUÆRES 4. *Quid sit christiana perfectio, et an omnes ad illam obligentur ?*

RESP. AD PRIMUM. Perfectio christiana est consecutio plena et absoluta nostri ultimi finis, *inchoative* quidem tantum in hac vita per gratiam ; *complete* vero in altera per gloriam. Res enim quælibet dicitur in genere suo perfecta, quando finem ad quem destinatur, plene consequitur. Propterea non tam perfecti, nisi modo relativo, quam aspirantes sumus ad perfectionem quamdiu peregrinamur a Domino.

Porro Ascetici triplicem perfectionis gradum distinguunt : nempe *viam purgativam*, *viam illuminativam*, et *viam unitivam*. Prima est *incipientium*, in qua anima purgatur a vitiis et concupiscentiis per actus competentes. Secunda est *proficientium*, in qua anima illustrationibus gratiæ illuminatur. Tertia est *perfectorum*, in qua, completa purgatione spirituali, anima, posthabitis creaturis, Deo intime jungitur.

Hi quidem sunt gradus inter se distincti, quamvis actus singuli gradui proprii, soleant in altero gradu exerceri.

[1] II *Philotée*, lib. II, cap. 11. — [2] Matth. V.

In hac autem via spirituali, sicut in via naturali, distinguitur triplex terminus. Primus dicitur terminus *a quo*, ille nempe a quo disceditur, nempe peccato. Secundus terminus *per quem*, ille nempe per quem transire debet viator, si ad metam sibi propositam pervenire velit, et est exercitatio virtutum omnium. Tertius terminus *ad quem*, ille nempe ad quem via perducit, et est Deus ipse, cujus consecutio est omnis operis complementum, et spiritualis itineris meta.

Resp. ad secundum. *Dist.* Si perfectio christiana consideretur prout tantum excludit quod est charitati contrarium, scilicet peccatum mortale, patet omnibus hominibus perfectionem esse de necessitate salutis, cum nemo possit salvari sine charitate.

Si perfectio consideretur prout excludit ea omnia quæ impediunt ne affectus totaliter, quantum fieri potest in hac miserabili vita, dirigantur ad Deum, hoc sensu obligat tantum eos qui totaliter Deo se manciparunt in peculiari statu, vel etiam forte quosdam in sæculo qui ad illam singulari gratia impelluntur [1].

## CAPUT II.

### DE ORATIONE.

Quæres 1. *Quid sit oratio?*

Resp. Est *actus Religionis, quo res decentes a Deo postulamus;* quidam addunt: *Cum ascensu mentis ad Deum.*

Dicitur 1° *actus Religionis*, quia per orationem supremam Dei excellentiam, nostramque a Deo dependentiam agnoscimus.

Diges: Oratio est actus spei: ergo non est actus Religionis.

Resp. *Nego conseq.* Oratio enim est actu spei impera-

[1] Vid. S. Thom., 2 2, quæst. 184.

tus, et actus Religionis elicitus, in quo nulla est repugnantia; sic potest quis dare eleemosynam ut votum impleat, quæ eleemosyna erit actus elicitus misericordiæ et imperatus Religionis.

Dicitur 2° *quo res decentes;* alias si res indecentes postularemus, non esset actus Religionis; inter ea autem quæ a Deo peti possunt, quædam absolute sunt petenda, ut sunt quæ per se ad salutem conducunt; ejus generis sunt gratia, virtutes supernaturales, etc.; quædam non debent peti nisi sub hac, saltem tacita, conditione: *supposito quod nobis sint salutaria;* talia sunt ea quæ de se ad salutem sunt indifferentia; hujus generis sunt bona temporalia, felix matrimonium, etc. Ratio est, quia saluti æque possunt obesse ac prodesse.

Dicitur 3° *a Deo postulamus,* sive *immediate,* cum scilicet ad eum orationem dirigimus; sive *mediate,* cum ad Sanctos orationem dirigimus, ut eorum suffragio postulata a Deo impetremus. Quod autem Sancti possint utiliter invocari, vide tract. *de Incarnat.* [1].

Utrum vero possimus petere suffragia animarum in Purgatorio degentium, duplex est sententia: *alii negant,* quia Purgatorio detenti non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis. Præterea id superfluum videtur, quia non possunt cognoscere quid agamus in particulari; nam nec rebus nostris intersunt, nec in Deo orationes nostras vident cum nondum sint beati, nec est verisimile eis ordinarie revelari quid agamus. *Alii probabilius affirmant,* tum quia qui sunt in Purgatorio, amici Dei sunt; tum quia non repugnat, imo convenit ut qui nostris precibus indigent, pro nobis etiam orare possint, ut viventes pro se invicem orant [2]. Cæterum satius est pro eis nos orare quam illorum orationes postulare, si quidem sola suffragia nostra expetunt; dum nos

[1] Diss. VII, cap. 6, quæst. 8. — [2] Ita Bellarminus, Estius, Gotti, Lessius, Sylvius, S. Ligorius, et alii.

pro nobis ipsis deprecari, et cœlites omnes invocare valeamus.

De oratione sic exposita quatuor quærimus : 1° quotuplex sit; 2° quot requirantur ut pie fiat; 3° an sit necessaria ; 4° et pro quibus sit orandum, totuplici articulo.

## ARTICULUS I.

### DE DIVISIONE ORATIONIS.

Quæres 1. *Quotuplex sit oratio?*

Resp. Est duplex, *mentalis* nimirum, et *vocalis*.

*Mentalis* est quæ mente sola funditur.

*Vocalis* est quæ non sola mente, sed etiam ore exprimitur : *non sola mente*, quia oratio vocalis, ut sit meritoria oratio, mentalem necessario includit, omnis enim oratio est elevatio mentis in Deum.

Oratio *mentalis* est iterum triplex: 1° *oratio*, scilicet, proprie dicta, cum aliquid a Deo mentaliter postulamus; 2° *meditatio*, cum pie consideramus res divinas ad concipiendam animi compunctionem, devotionem, fervorem ad mores nostros ad virtutem informandos; et 3° *contemplatio*, quæ est *elevatio mentis in Deum suspensæ, æternæ dulcedinis gaudia in ipso degustantis*. De qua vide Asceticos.

Quæres 2. *An meditatio necessaria sit omnibus fidelibus adultis ?*

Resp. Meditatio duplici modo considerari potest: vel quatenus est rerum divinarum consideratio peracta cum peculiari quadam forma et methodo, ut in claustris et in aliis religiosis communitatibus fieri solet; vel quatenus est mera et simplex rerum divinarum consideratio, abstrahendo a quacumque peculiari forma ac methodo.

Si meditatio primo modo accipiatur, dici nequit omnibus fidelibus adultis necessaria, siquidem forma et methodus

non sunt de essentia rei, quamvis melius sit in omnibus juxta methodum et regulas artis procedere.

Si vero accipiatur meditatio in secundo sensu, omnibus fidelibus adultis prorsus necessaria est ad salutem. Ratio, quia christianus homo sine meditatione seu consideratione, 1° vix de peccato commisso dolebit, nec recogitabit annos suos in amaritudine animæ suæ; 2° obliviscetur novissimorum, quorum tamen memoria est antidotum peccati, juxta illud [1] : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis ;* 3° non deteget insidias et laqueos diaboli, neque ab illis evadendi et tentationes superandi gratias a Deo postulabit; ex hoc enim defectu considerationis et precum omnia scaturiunt mala, juxta illud Prophetæ : *Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde* [2] *;* 4° a seculari, animali ac carnali vita non se extricabit, neque Deum diliget ex toto corde, et proximum suum sicut seipsum. Hi enim sunt effectus meditationis, juxta illud Psalmistæ : *In meditatione mea exardescet ignis.*

Hinc doctissimus et piissimus Gerson : *Absque meditationis exercitio, nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad rectissimam christianæ religionis normam attingit* [3]. Hinc S. Ligorius : *On doit regarder comme perdu le jour où l'on omet l'oraison mentale* [4].

1 Eccl. VII. — 2 Jerem. XII. — 3 Tract. *de Meditatione.*

4 Audiamus et nos Sacerdotes hæc S. Ligorii verba gravissima : « Mihi concedatur conceptum animi dolorem foras aperire. Proh ! magnam infelicitatem ! « Quam pauci sunt illi Parochi et Confessarii, qui curam hanc sibi suscipiunt insinuandi suis pœnitentibus hæc tam magni momenti exercitium orationis mentalis, sine quo valde difficile est animam posse perseverare in Dei amicitia, et « impossibile est in viam perfectionis se immittere ! Si aliqua attentio in hac re « adhiberetur, quot animæ viderentur in Dei amorem accendi ! Sed hæc quis non « operatur, ne sibi aliquid incommodi suscipiat ; alius ne stimulos suæ expro« brantis conscientiæ sentiat in suadendis aliis bonum quod ipse negligit. Summa « hæc est, quod cura hæc non est, quia parum diligatur Jesus Christus. Oh ! si « Parochi et Confessarii multum diligerent Jesum Christum, a quot efficerent ut « amaretur, et eos ab inferno liberarent ! Igitur exorandus Dominus est ut, si « velit amari ab animabus, faciat se amari a sacerdotibus. » ( Hom. ap. tract. VII, num. 14. )

Resolves : Confessarius, si sui pœnitentis salutem promovere velit, et eum ad amorem Dei accendere, curet illum disponere ad bene peragendum orationem mentalem, et imprimis ei ostendat hujus exercitii facilitatem : *Quis enim est*, inquit Stapf [1], *qui in negotiis hujus temporis, ubi de captando lucro vel de avertendo aliquo damno agitur, suas allegare rationes, in rerum circumstantias indagare, atque certas inde agendis regulas deducere nesciat?* Cur ergo non idem in negotio salutis suæ æternæ non poterunt? Ad hoc autem ut alios in orationem mentalem introducat et dirigat, debet et ipse orationi insistere, Asceticos revolvere, sex partes meditationis, *præparationem*, scilicet, *considerationem*, *lectionem*, *gratiarum actionem*, *oblationem* et *postulationem*, addiscere ; illos docere triplicem tentationem, *ariditates*, nempe, *distractiones* et *somnum*, superare vel patienter ferre ; et aliter litteratos, aliter indoctos monere et dirigere [2].

Quæres 3. *Quotuplex oratio vocalis?*

Resp. Est duplex : scilicet *privata*, quæ fit a persona privata et privato nomine ; et *publica*, quæ fit in nomine Ecclesiæ ab ipsius ministro pro communitate ; hæc est præstantior et præferenda, quia Ecclesia, sicut Christus, exauditur pro sua reverentia.

Observandum est 1° orationem *privatam* nullis subjici regulis, nec quoad formam, nec quoad materiam, ordinem et horam; sed unumquemque nostrum pro libitu posse private orare juxta Spiritus Sancti impulsum, et omni hora, maxime per orationes jaculatorias, quarum utilitatem, facilitatem simul ac suavitatem nemo non sentit. Satius tamen est orationes ecclesiasticas, vel ab Ecclesia indulgentiis exornatas, quam peregrinas etiam private usurpari.

2° Ex Benedicto XIV [3], orationes publicas earumque

[1] § 564. — [2] Conf. card. Bona *Opera spirit.*, et *de divina Psalmodia* ; Rodriguez, S. Alphonsum, Theresiam, Ludovicum Granat., Du Pont, S. Joan. a Cruce, P. Goudier, Manrèze, etc. — [3] Bulla *Quemadmodum.*

formulas non a privatis, sed ab ecclesiastica auctoritate esse designandas. Item [1] in sacris ritibus non alias esse adhibendas, nisi quæ ab Ecclesia sunt receptæ. Quorum stricta præceptorum observatione, sacra Liturgia una semper erit ubique, tuta atque secura.

## ARTICULUS II.

### DE IIS QUÆ NECESSARIA SUNT UT ORATIO PIE FIAT.

QUÆRES 1. *Quot necessaria sint ut oratio pie fiat?*

RESP. Tria : scilicet *præparatio*, *attentio* et *perseverantia*.

QUÆRES 2. *Qualis præparatio requiratur ante orationem?*

RESP. Duplex : scilicet *remota*, quæ consistit in accurata legis observantia ; et *proxima*, quæ in hoc consistit : 1° ut oraturus divinum imploret auxilium ; nam *nemo potest dicere : Dominus Jesus*, modo salutari, *nisi in Spiritu Sancto*, ait Apost. [2], id est, nisi per gratiam et auxilium Dei ; 2° ut curam aliorum operum, quantum fieri potest, deponat, foresque diligenter occludat alienis cogitationibus.

QUÆRES 3. *Qualis attentio requiratur ad orationem ut sit meritoria?*

RESP. Requiritur attentio ad sensum orationis, vel ad Deum, quæ sit saltem virtualis, ut dictum est in tract. *de Horis Canonicis*.

QUÆRES 4. *An sit necessaria perseverantia in oratione?*

RESP. *affirm.* Constat Luc. XVIII : *Oportet semper orare, et numquam deficere*, quod confirmat exemplo viduæ, quæ per importunas preces tandem fregit duritiam iniqui judicis. Supradictis solent adjungi :

1° *Humilitas*, quia *respexit* (Deus) *in orationem humilium, et non sprevit precem eorum*, et quia *oratio humiliantis se nubes penetrabit* [3].

2° *Fiducia*, seu firma fides qua orantes credimus nos

[1] Bulla *Inter omnigenas*. — [2] I Cor. XII, 3. — [3] Psal. CI, et Eccl. XXXV.

impetraturos, ex illo Christi [1] : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.*

3° *Desiderium* accipiendi quod petimus, siquidem, *Deus dare vult, sed non nisi petenti, ne det non cupienti,* inquit S. Augustinus [2].

4° Attamen *status gratiæ* non requiritur : 1° quia præceptum orandi, sicut promissio impetrandi, sunt generalia ; dixit enim Christus omnibus : *Petite et accipietis ; Vigilate et orate ;* 2° quia Clemens XI hanc Quesnelli sententiam damnavit : *Oratio impiorum est peccatum, et quod Deus illis concedit est novum in eos judicium.* Unde Augustinus sic arguit : *Qui dixit : Propitius esto mihi peccatori, verum dixit. an falsum? Si verum dixit, peccator erat, et tamen exauditus est* [3].

## ARTICULUS III.

### DE NECESSITATE ORATIONIS, ET DE IIS PRO QUIBUS EST ORANDUM.

QUÆRES 1. *An oratio sit necessaria ad salutem?*

RESP. Oratio proprie dicta est necessaria ad salutem necessitate *præcepti* simul et *medii.*

PROB. Ex Script. [4] *Petite et accipietis :* dicendo *petite,* præceptum imponit, ait Div. Thom. [5], et addendo *accipietis,* medium necessarium ad obtinendum demonstrat, adeo ut si non petierimus, non simus consecuturi auxilia ad salutem necessaria, juxta illud [6] : *Non habetis, propter quod non postulatis.* Hinc iterum S. Thom. [7] : *Ad orationem quilibet homo tenetur, ad bona spiritualia procuranda, quæ non nisi divinitus dantur ; unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur.*

Ex illa universali regula nonnisi quædam excipiuntur, v. gr. initium fidei, et gratia sufficiens ad orandum et pos-

[1] Marc. XI. — [2] Serm. LXI. — [3] Tract. *in Joan.* — [4] Matth. VII.
[5] 2 2, quæst. 93, art. 2. — [6] Jacob. IV. — [7] In 4, dist. XV, quæst. 4, art. 1, et 2 2, quæst. 83, art. 1.

tulandum gratias necessarias. Unde S. Augustinus : *Constat Deum alia non orantibus, sicut initium fidei ; alia nonnisi orantibus præparasse, sicut perseverantiam ad finem.*

Quæres 2. *Quandonam obliget orationis præceptum?*

Resp. Præceptum orationis obligat per se, et per accidens,

1. Obligat *per se :* 1° *initio vitæ moralis*, cum scilicet homo, usum rationis adeptus, advertit Deum tanquam omnium bonorum fontem et supremum omnium rerum dominum, cui se subjicere debet ; 2° *tempore mortis*, ad obtinendam perseverantiam finalem, quæ absque oratione consequi non potest ; 3° *sæpe in vita*, juxta illud Christi : *Vigilate omni tempore orantes.... Oportet semper orare* [1], tempore scilicet opportuno, id est *per certa intervalla horarum et temporum*, ut explicat S. August. [2]. Hæc autem opportunitas difficillime determinatur, unde notat Concina, Confessarium magis sollicitum esse debere in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omissæ orationis gravitate.

2. Obligat *per accidens :* 1° quoties urget aliquod præceptum quod impleri non potest absque oratione, v. gr. susceptio SS. Eucharistiæ ; 2° quando gravis urget tentatio, tunc enim maxime gratia est necessaria ; 3° quando imminet magna calamitas, quæ per orationem est avertenda. Vide S. Ligor. [3].

Resolves : In malo statu versantur illi qui, matutinis serotinisque orationibus habitualiter omissis, vitam more pecudum transigunt, quin Dei suæque relationis ad illum recordetur : *Quid bonorum operum*, inquit Stapf [4], *fructus ex terra tam inculta et inaquosa expectare possunt?*

Quæres 3. *Pro quibus sit orandum?*

Resp. Orandum esse pro omnibus qui nondum sunt in termino, etiam pro inimicis nostris, juxta illud Apost. [5] : *Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus.* Ratio est,

[1] Luc. II, 1 et 8. — [2] Epist. CXXX. — [3] Lib. III. — [4] Cap. CCXIX. — [5] Ad Tim. II, 1.

quia omnibus salutem desiderare, et quantum commode possumus, procurare debemus : ergo etiam a Deo petere.

Dixi *qui nondum sunt in termino*.

Hinc 1° non est orandum pro *Sanctis* neque pro *damnatis*. Illi enim beatitudinem nunquam defecturam jam possident in cœlo. Unde Augustinus : *Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.*

Isti vero suppliciis æternis jam sunt immutabiliter mancipati in inferno.

Hinc 2° orandum est etiam pro justis in Purgatorio detentis, etenim *Sancta... et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*[1].

Hinc 3° licitum est orare, sed privatim tantum, pro omnibus quos jubemur diligere, etiam excommunicatos. Alias vide tract. *de Censuris.*

# DISSERTATIO II.

## De actibus externis Religionis.

Quæres 1. *Quot sint actus externi Religionis?*

Resp. Sunt sequentes : 1° *adoratio*, qua homo corpus suum, ad colendum Deum exhibet ; 2° *sacrificium*, *oblationes* et *decimæ*, quibus homo aliquid Deo dat ; 3° *votum*, quo homo aliquid Deo promittit ; 4° *juramentum* et *adjuratio*, quibus homo sanctum Dei nomen assumit.

De *adoratione* in tractu *de Incarnatione*, de *sacrificio* in dissertatione *de Eucharistia* agemus. Ideo hic restat nobis disserendum de decimis, voto, juramento et adjuratione, tribus capitibus.

[1] Machab. XII.

# CAPUT I.

## DE DECIMIS.

Quæres 1. *Quid sint decimæ ?*

Resp. Sunt decima pars fructuum, quæ quotannis Ecclesiæ ministris solvitur.

*Decimæ* dividuntur in *majores* et *minores*.

*Majores* sunt pars decima proventuum prædialium, id est, provenientium ex terris arabilibus, exceptis hortis.

*Minores* sunt pars decima proventuum hortorum, fœturæve animalium.

Quæres 2. *Quo jure debeantur decimæ ?*

Resp. In nova Lege decimæ, quatenus sunt stipendia ministrorum Ecclesiæ, jure naturali debentur, cum jus naturale divinum dictet operarios dignos esse sua mercede ; si vero spectentur secundum suam quotam, id est, ut sunt decima pars fructuum, solo jure ecclesiastico debentur. Ratio est, quia præceptum decimarum, quantum ad illam determinationem, non est legis naturæ, quæ solum generaliter dictat ministris Ecclesiæ deberi stipendium, non determinando partem decimam aut vigesimam; nec est juris divini positivi, cum nullibi in Lege nova illud extet quoad illam determinationem.

Dixi *in Lege nova*, quia in Lege veteri decimæ quoad determinationem decimæ partis, debebantur præcepto judiciali, quod cum Lege evanuit.

Quæres 3. *An solutio decimarum sit actus Religionis ?*

Resp. Solutio decimarum, quatenus est testimonium universalis dominii Dei, eatenus est immediate actus Religionis; quatenus autem est solutio sustentationis debitæ Ecclesiasticis, eatenus est immediate actus justitiæ, mediate vero Religionis.

Resolves : Fraudantes decimas teneri ad restitutionem,

cum ex Trident. *res alienas invadant.* Unde idem Concil.[1] excommunicationem ferendam decernit in eos qui decimas *substrahunt aut impediunt;* prohibetque ne fraudentes decimas possint absolvi, *nisi plena restitutione secuta.*

Quæres 4. *Quibus debeantur decimæ?*

Resp. Debentur solis Ecclesiæ ministris propter eorum sustentationem; ex quo sequitur jus decimarum esse spirituale fundatum in titulo spirituali, nempe in ministerio ecclesiastico.

Dices: Laici jus decimarum habent: ergo non est spirituale.

Resp. *Dist. ant.* Laici habent jus decimarum nomine proprio exigendarum, *nego ant.;* nomine Ecclesiæ exigendarum, *conc. ant.*

*Itaque* Ecclesia solet concedere decimas Laicis in feudum, propter obsequia aliqua Ecclesiæ præstita, vel præstanda, vel etiam propter aliquod munus in Ecclesia, v. gr. propter cantum aut quid simile; ita tamen, ut semper illi Laici, nomine Ecclesiæ concedentis, ipsas exigant, eo modo quo decimas exigit qui eas a Parocho conducit.

## CAPUT II.

### DE VOTO.

Dicemus 1° de natura voti; 2° de materia et de divisione; 3° de obligatione, de extinctione voti, totidem articulis.

### ARTICULUS I.

#### DE NATURA VOTI.

Quæres 1. *Quid sit votum?*

Resp. Est *promissio deliberata et spontanea, Deo facta de bono meliori ac possibili.*

[1] Sess. 25, cap. 12.

Dicitur 1° *promissio*, id est, fidei obligatio in gratiam alterius.

Hinc propositum, quantumvis firmum, non est votum, nisi adfuerit sese obligandi vera intentio; nam propositum est simplex voluntas faciendi vel omittenti aliquid; promissio vero est eadem voluntas cum intentione se obligandi alteri, saltem virtualiter. Ratio, quia actus agentium ex intentione, non operantur ultra intentionem agentis.

Resolves : Confessarium debere minus attendere ad verba quam ad intentionem ; simplex quippe propositum plerumque exprimitur per verbum *promitto*, cum nempe non inest intentio vovendi, ut patet in actu contritionis, quo pœnitens promittit se non peccaturum de cætero ; nec tamen vovet, alias per relapsum, v. gr. in ebrietatem, duplex peccatum committeret.

Dixi *saltem virtualiter :* 1° quia non sufficit *habitualis* intentio, quæ quidem prius habita est et non revocata, sed nec perseverans in operatione morali, qualis esset, v. gr. in eo qui, cum intendisset vovere vespere, sequenti die, dormiens aut ebrius verba voti proferret, cum votum non sit volitum in seipso et directe ; bonum enim non consurgit, nisi ex integra causa, quamvis ad peccatum satis sit voluntarium indirecte et in sua causa.

Nec requiritur *actualis et explicita*, cum in nullo actu humano ad ejus validitatem talis intentio sit necessaria.

Sufficit *actualis implicita*, qua quis in conceptu confuso, v. gr. vult vovere, sciens aliunde naturam voti; vel cum quis vult vovere modo ordinario quo alii vovent, quia tunc implicite vult obligationem contrahere. Hinc probabilius non tenetur ad votum, licet verba proferat, qui nescit obligationem voti, et negative se habet, neque implicite neque explicite intendens illam suscipere [1].

Sufficit etiam *virtualis implicita*, ut cum quis sciens vo-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 201.

tum obligare, deliberate vovet, licet de hac obligatione actu non cogitet.

Hinc 1° invalidum est votum ejus qui vovet cum animo positivo non promittendi, nec se obligandi. 2° E contra, validum est votum ejus qui vovet, habens animum promittendi et se obligandi, sed cum intentione non implendi, quia obligatio non pendet ab intentione implendi, sed a voluntate se obligandi. 3° Si vero vovens habet intentionem promittendi et implendi, sine tamen animo positivo se obligandi, tenetur si satis sciat obligationem voti, quia qui vult explicite actum antecedentem, vult, saltem implicite, ejus obligationem consequentem [1]. 4° Qui dubitat an vovendo voluerit se obligare, tenetur ad votum, quia præsumptio stat pro valore actus, donec constet de invaliditate ipsius.

Dicitur 2° *deliberata,* id est cum ea rationis advertentia, quæ ad peccatum mortale necessaria est et sufficit.

Hinc 1° si quis, ex subito animi motu, lingua mentem præveniente, dicat *Voveo,* non obligatur, sicut nec ille qui semiplene tantum advertit, quales sunt semisopitus, semiebrius, et puer ante plenum rationis usum. In quocumque autem dubio an defuerit plena deliberatio et advertentia, votum obligat.

Hinc 2° si quis, certus de voto, dubitet an cum sufficienti deliberatione et usu rationis voverit, distinguendum est; si voverit ante septennium, votum non obligat, nisi constet de rationis usu, quem jus in tali casu non præsumit, et possessio stat pro libertate; si vero post septennium voverit, obligatur, quia possessio est pro voto, cum præsumatur de usu rationis, nisi constet oppositum. Idem *probabilius* dicendum, si dubitet an ante vel post septennium voverit [2].

Dicitur 3° *spontanea,* id est absque errore, et metu gravi injuste incusso ad extorquendum votum.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 201. — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 101, Sanch., Bus.

*Hinc resolves* 1° Nullum esse votum factum ex errore circa rei promissæ substantiam, quia nihil volitum quin præcognitum. 2° Ex errore circa causam finalem, quia sublato motivo volendi, non est volitio. 3° Valet tamen, si error sit tantum circa aliquam circumstantiam, vel circa causam tantum impulsivam. De hoc fusius in tractatu *Contractuum*.

Dixi 1° *ex metu gravi*, qui tollit simpliciter voluntarium; nam in re tam gravi, prout est votum, metus levis qui de facili rejici potest, causa voti dici non debet.

Dixi 2° *injuste incusso*, quia valida sunt vota facta ex metu *intrinseco*, vel *extrinseco*, sed juste incusso; nam tunc vovens propria sponte eligit minus malum ut vitet majus, quod juste vel a Deo vel ab homine pati deberet.

Dixi 3° *ad extorquendum votum*, nam si voveres Deo, v. gr. Religionem ut te liberet ab inimico, obligareris, quia tunc votum exhibes non in gratiam inimici, ut sit quasi pretium quo mediante ab injuria cesset, sed Deo, ut ab illo impetres auxilium.

Dicitur 4° *Deo facta;* quia cum votum sit essentialiter cultus latriæ, soli Deo fieri debet.

Resolves : Promissiones quæ fiunt Sanctis, non esse proprie vota, nisi quatenus ordinantur ad Deum, cui censemur vovere nos præstituros quod Sanctis promittimus; unde promissio facta Sanctis est materia voti, quod fit Deo tanquam rerum omnium auctori.

Dicitur 5° *de bono*, alias non esset Deo gratum.

Dicitur 6° *de meliori bono ;* 7° *de bono possibili ;* sed hæ clausulæ spectant ad materiam voti, de qua in articulo sequenti. Unde

## ARTICULUS II.

### DE MATERIA VOTI.

*Nota* 1. Votum strictissime et propriissime dictum debet esse de materia supererogationis et consilli; quia, cum sit promissio voluntaria, eo plenior est ratio voti, quo magis est voluntaria promissio; atqui magis voluntarie promittuntur ea quæ sunt supererogationis et consilii, quam quæ sunt præcepti. Hæc enim, licet non sint absolute necessaria, sunt tamen necessaria necessitate finis; quæ sunt consilii, sunt ex omni parte libera. Ita Billuart, ex S. Thom. [1].

*Nota* 2. Votum proprie dictum potest recte et valide fieri de operibus aliunde præceptis, quia non sunt absolute necessaria, sed libere fiunt, et libere, etsi non licite, omittuntur. Præterea nihil obstat quin aliquis duplici vinculo ligari possit, uno scilicet præcepti, altero voti [2]. His notatis,

Quæres 1. *Quid requiratur ad votum ex parte rei promissæ?*

Resp. Ut ex definitione satis innuitur, *tria* requiruntur, scilicet: ut sit *de bono*, *de meliori bono*, et *de bono possibili*. Hinc

Resolves 1. Votum de re venialiter mala esse probabilius mortale contra religionem, quia est innuere Deum coli peccato; quod est graviter Deo injuriosum, cum directe repugnet ejus summæ sanctitati. Ordinarie tamen ignorantia excusat a gravi.

Resolves 2. Votum de re ex se indifferenti est nullum et irritum nisi ex circumstantia votum ad bonum finem conducat; nam nihil confert ad cultum Dei, nec ei placet: quare irritum est votum non edendi carnas assas in honorem sancti Laurentii: imo tale votum est cultus vanus et superfluus, ideoque peccatum saltem veniale.

[1] In 4, dist. XXXVIII, quæst. 1, art. 2. — [2] Ibidem.

sicut et ejusdem voti executio, quæ est voti facti approbatio.

Dicitur *de meliori bono*, id est de bono tali, quod, omnibus spectatis, est Deo gratius quam ejus oppositum; alioquin nec Deo gratum esset, nec ab eo acceptari posset. Inde

Resolves 1. Regulariter loquendo, invalidum est votum contrahendi matrimonii, quia melior est cælibatus.

Dixi *regulariter loquendo*, quia valide vovet qui vovet vel ad reparandum honorem puellæ ex obligatione reparandum; vel ad bonum commune procurandum, v. gr. pax inter Principes, conversio hæreticorum, regni tranquillitas, vel si matrimonium judicaretur remedium voventi necessarium ad vitandam incontinentiam, eo quod nolit uti aliis remediis, nam in tali casu *melius est nubere*, quam in cælibatu *uri*[1].

Resolves 2. Votum de re optima, sed ad obtinendam rem malam, v. gr. vanam gloriam, vel ad gratias agendas pro re mala obtenta, v. gr. vindicta, est peccatum et irritum; nam Deus non acceptat aliquid ut sit auctor peccati. Ratio, quia tunc finis pravus tenet se ex parte rei votæ.

Resolves 3. Votum de re optima, sed ob malum finem afficientem non ipsam rem promissam, sed ipsum votum, seu quando finis pravus est ex parte voventis, ita ut vovens intendat consequi istum finem, non quidem per rem promissam, sed per ipsum factum, validum est, sed tamen illicitum, v. gr. si voveas coram magna multitudine ædificare ecclesiam, ut eo fine consequaris applausum et gloriam apud adstantes. Ratio, quia tunc finis pravus tenet se ex parte voventis, nec rem bonam promissam vitiare potest, licet ipse male voveat et cum peccato.

Resolves 4. Votum non accipiendi Episcopatum aut aliam prælaturam, est validum, nisi obedientia Superioris, aut officium charitatis id exigat: est validum, quia melius

[1] I Cor. VII, 9.

est ad servandam humilitatem, variaque peccandi pericula vitanda, illas refugere curas et dignitates.

Resolves 5. Votum non vovendi est invalidum, quia melius est vovere quam non vovere. Sed validum erit si voveas non vovendi nisi de licentia Confessarii, quia vovere cum tali cautela, ne indiscrete et temere voveas, est melius suo opposito. Sed

Quæres 2. *Quid si tale votum transgrediaris, vovendo, v. gr. jejunium?*

Resp. Sic vovens memor prioris voti : 1° peccavit emittendo secundum votum ; 2° primo voto non obstante, tenetur ad secundum votum, quod est de meliori bono, nisi per prius votum intenderit, nec se retractaverit, omnia sua vota in posterum edenda fore nulla, nisi accesserit Confessarii licentia [1].

Dicitur etiam *de bono possibili*, quia nemo ad impossibile obligari potest. Unde

Resolves : Votum nunquam peccandi venialiter, est irritum, quia omnia peccata venialia sine singulari Dei privilegio vitari non possunt [2]. Valet autem votum vitandi omnia peccata mortalia, vel omnia venialia deliberata, quia hoc est possibile cum gratia Dei, sine speciali privilegio. Item votum vitandi omnia venialia in aliqua materia determinata, v. gr. non mentiendi [3].

Quæres 3. *Si una pars materiæ voti sit possibilis, alteræ impossibilis, an vovens teneatur ad partem possibilem?*

Resp. Tenetur quando partes divisim sunt promissæ, nec intentione voventis conficiunt unum objectum ; quando vero collective sunt promissæ, non tenetur. Sic qui vovit per totum mensem jejunare, si non possit quibusdam diebus propter infirmitatem jejunare, tenetur reliquis diebus, quia in illo voto singuli dies non collective, sed divisim computantur. E contra, qui vovit ædificare eccle-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 210, Billuart, etc. — [2] Trident., sess. 6. — [3] S. Ligor., lib. IV num. 203.

siam, si non habeat pecuniam nisi ad ponenda fundamenta, ad nihil tenetur, quia partes ecclesiæ, non divisim, sed collective promisit. Hoc sensu intelligenda est hæc regula juris : *Utile per inutile vitiari non debet* [1].

## ARTICULUS III.

### DE DIVISIONE VOTI.

QUÆRES : *Quotuplex sit votum ?*

RESP. Votum dividitur 1° *in reale, personale* et *mixtum*.

Votum *reale* est promissio Deo facta de re temporali, vel actione exercenda per alium ; v. gr. de dando calice, de peregrinatione per substitutum complenda.

Votum *personale* est promissio Deo facta de proprio actu personæ voventis, v. gr. de jejunio, de castitate servanda.

Dividitur 2° *in absolutum*, quod sine ulla conditione emittitur, et *conditionatum*, quod sub aliqua conditione emittitur, v. gr. *voveo eleemosynam si pater convaluerit.*

Dividitur 3° *in solemne*, quod ab Ecclesia approbatum ac in perpetuum acceptatum est, et *simplex*, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiæ, saltem in perpetuum ; unde, licet vota scholarium Societatis Jesu, post biennium probationis emissa, ab Ecclesia sint approbata, sunt tamen simplicia, ut declaravit, Gregorius XIII, quia non sunt in perpetuum acceptata.

## ARTICULUS IV.

### DE OBLIGATIONE VOTI.

QUÆRES 1. *An votum sit obligatorium ?*

RESP. Omne votum obligat ad omne id quod promissum fuit.

PROB. 1. *Ex Scriptura. Eccles.* v dicitur : *Quodcumque*

[1] *Reg. jur.* 37, in 6.

*voveris, redde, multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.*

Prob. 2. *Ex SS. Patribus.* Nam S. Augustinus ait [1]: *Quia vovisti, jam te obstrinxisti; aliud tibi facere non licet;* cui concinunt alii SS. Patres, S. Ambros. [2], S. Thom. [3], etc.

Probatur 3. *Ratione.* Si promissio facta homini certe obliget, quanto magis facta Deo, cui displicet infidelis promissio [4]? Hinc tritum illud: *Verba ligant homines.*

Quæres 2. *Qualis sit obligatio voti?*

Resp. Est gravis ex genere suo, ita ut ejus violatio in materia gravi sit mortalis, in materia levi sit levis.

Prob. Votum est quædam lex privata quam quis sibi imponit, et species quædam contractus; atqui lex, sicut et contractus, in materia levi obligant tantum sub veniali, in gravi vero sub mortali: ergo pariter votum in materia levi obligat sub veniali, et in gravi obligat sub mortali.

Dices: Violatio voti est sacrilegium; atqui sacrilegium etiam in re levi est peccatum mortale: ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Levis enim irreverentia in loco sacro est sacrilegium, non est tamen nisi veniale.

Quæres 3. *Quænam materia voti censeatur gravis?*

Resp. Illa materia voti est gravis, quæ, si præciperetur ab Ecclesia, obligaret sub mortali; illa vero est levis, quæ, si præciperetur, obligaret tantum sub veniali.

Hinc, jejunium, Missæ auditio, Confessio facienda, habetur ut materia gravis, quia lex Ecclesiastica jubet illa sub gravi.

Quæres 4. *An materiæ leves in votis possint secum coalescere, et gravem materiam efficere?*

Resp. *cum dist.* Si diversæ materiæ leves voto promittuntur per modum unius, ita ut tempus quo impletur votum, non sit designatum ut terminus ad extinguendam obligationem, sed ad sollicitandam executionem, tunc mate-

[1] Epist. 125. — [2] *Ad Virgin. lapsam*, cap. 5. — [3] In 4, dist. 2, art. 1.
[4] Eccles. v, 3.

riæ coalescunt et possunt pervenire ad mortale. Si vero diversæ materiæ leves voto promissæ non sunt per modum unius, si nempe promissio illarum levium materiarum facta sit in honorem talis diei, ita ut tempus apponatur ut terminus ad extinguendam obligationem, tunc diversæ materiæ non coalescunt, quia votum est affixum diei.

Porro, ad dignoscendum utrum diversæ materiæ leves, voto promissæ sint per modum unius necne, id est, utrum tempus seu dies sit appositus ad finiendam vel ad sollicitandam voti executionem: 1° interroganda est voventis intentio, quæ est suprema lex voti; 2° in dubio, juxta communem sensum Doctorum, dicendum est quod in votis personalibus, dies apponitur ut terminus ad finiendam obligationem, nisi constet de opposito, et ideo promissio rerum levium non est per modum unius; in votis autem realibus, dies non assignatur ut terminus ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam executionem; et ideo promissio levium rerum censetur facta per modum unius, nisi tamen votum habuisset specialem connexionem ad diem, v. gr. jubilæi [1].

Resolves 1. Qui vovisset quotidie per annum unum vel quinque *Pater* et *Ave* recitare, vel Litanias B. M. V., peccaret solum venialiter quoties illas preces omitteret, quia transacto die transit obligatio, neque cum alia unitur.

Resolves 2. Qui vovisset quotidie per annum dare parvam eleemosynam, peccaret venialiter bis vel ter omittendo; peccaret vero mortaliter cum per plures omissiones pervenisset ad quantitatem notabilem. Ratio est, quia, cum agatur de voto reali, promissio præsumeretur facta per modum unius, diesque assignari ad sollicitandam executionem, nisi constaret de opposito; et ideo omnes illæ omissiones moraliter conjunctæ, unius voti gravem materiam efficerent.

Quæres 5. *Quandonam impleri debeat votum?*

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 212 et 220.

Resp. Obligatio voti negativi, quo quis vovet aliquid non facere, currit pro semper : obligatio vero voti affirmativi currit pro tempore a vovente præfinito, ita ut peccaret, si tempore determinato votum non impleret, perinde ac si die ab Ecclesa statuto non jejunaret, quamvis proponeret alio die jejunare.

Quod si tempus sit indeterminatum, distinguendum est : vel agitur de voto quod est in perpetuum obsequium Dei, puta ingrediendi Religionem, xenodochio inserviendi, etc., et tunc peccat mortaliter qui diu differt, v. gr. ultra sex menses, si adsit opportunitas implendi, et non excuset rationabilis causa ; vel de voto quod est in obsequium temporale, v. gr. jejuniorum, peregrinationum, quarumdam precum, etc. ; et tunc mortaliter peccat qui sine justa causa notabiliter votum differt implere, nempe ultra duos vel tres annos [1]. Horum ratio est, tum propter illud Deuteronomii : *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus ; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum ;* tum propter periculum oblivionis, vel impotentiæ implendi ; tum propter varias insidias quas solent moliri dæmones, quibus vota invisa sunt et peringrata [2].

Quæres 6. *An qui ex impotentia vel negligentia votum tempore præfinito non implevit, teneatur postea implere ?*

Resp. 1. Si tempus implendi voti sit præfixum ad devotionem illius temporis, v. gr. si quis voverit jejunium in vigilia alicujus Sancti, principaliter in illius honorem, non tenetur postea implere. Ratio est, quia ex voti natura res promissa est affixa tempori illi : ergo tunc obligatio cum die extinguitur.

Resp. 2. Si vero tempus implendi voti sit determinatum, non ob devotionem illius temporis, tenetur postea implere. Ratio est, quia tunc tempus censetur adjici ut terminus, non ad finiendam obligationem et ut terminus ultra quem

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 221. — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 121.

non sit differenda; sed ad sollicitandam executionem: unde sunt duæ obligationes: 1° faciendi opus; 2° faciendi tali tempore, quod si hæc non fuerit impleta, manet illa principaliter quæ semper urget.

Quæres 7. *An qui prævidet impedimentum in adimpletione voti ad aliquod tempus determinati, tempus illud teneatur prævenire?*

Resp. *cum dist.* Vel tempus fuit determinatum ut terminus ad finiendam obligationem, v. gr. qui vovit semel jejunare in mense; vel tempus fuit determinatum ut terminus ad urgendam voti obligationem, vel (quod idem est) ut terminus ultra quem nolit differre voti executionem; v. gr. qui vovit ad locum sanctum peregrinari statim post vendemiam.

*Si primum*, tenetur prævenire tempus dum prævidet futurum impedimentum in fine mensis, sicut qui prævidet impedimentum faciendi annualem confessionem vel communionem, tenetur prævenire tempus quo potest implere præceptum.

*Si secundum*, tempus prævenire non tenetur, cum votum nondum obliget; sed transacto impedimento, votum, quamprimum moraliter poterit, adimplere tenetur.

Quæres 8. *An aliquis voto alieno ligari possit?*

Resp. *negat.*, saltem ratione voti. Ratio, quia votum est onus personale, ex propria voluntate susceptum, ideoque alium onerare non potest nisi ipsum voventem. Hinc dicit Psalmista: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* [1]. Hinc

Resolves 1. Nullum potest vovere factum alterius, quantumvis conjuncti; unde irrita sunt vota parentum filios devoventium tali Religioni, etc.

Resolves 2. Amicus qui amico, maritus qui uxori promittit votum ipsius exequi, non tenentur vi voti, ex vir-

[1] Psal. LXV.

tute Religionis, sed ex fidelitate tantum aut justitia, ratione, v. gr. hæreditatis.

Resolves 3. Nemo potest nec debet satisfacere per alium voto suo personali, quia factum proprium promisit, non alienum; potest autem et debet, si agatur de voto reali, et ipse.

Dixi *saltem ratione voti;* quoniam ex justitia tenentur hæredes, ratione hæreditatis, ad omnia vota defuncti realia et mixta, qua parte sunt realia, si reale non sit accessorium personalis, ut essent sumptus peregrinationis ab ipsomet vovente personaliter faciendæ. Ratio, quia hæres succedit defuncto in omnibus commodis et oneribus.

Quæres 9. *Quandonam obliget votum conditionatum?*

Resp. Votum conditionatum non obligat nisi conditione posita, sed ea semel posita statim obligat.

Hinc, qui vovet aliquid dare aut facere, *si patri placuerit, si pater consenserit*, si pater primo consentiat re cognita, votum obligat, quia purificata est conditio, quæ jam non tollitur, etsi postea dissentiat; e contra, si primo dissentiat, irritum est votum, quia deficit conditio, quæ non reviviscit, etsi pater postea consentiat.

Quæres 10. *An obligetur et peccet qui ponit causam, ut conditio non impleatur?*

Resp. ad primum, *negat.* probabilius, licet dolo, vi aut malitia id faciat, quia jam non impletur conditio, licet culpa voventis; sicut qui culpabiliter ponit impedimentum implendi præceptum, jam non tenetur ad præceptum, licet culpabilis sit causa cur non impleatur. Ita S. Ligorius [1]. Suarez, Salmant., Bonac., et alii contra plures.

Resp. ad secundum *cum dist.* Si vovens non impediverit dolo, vi et malitia, vel conditio pendeat ex sua libera voluntate et non sit aliunde præcepta, non peccat ponendo causam ut non impleatur conditio. Ratio, quia non cense-

[1] Lib. IV, 218.

tur se obligasse ad promovendam, aut nulla ratione alias licita, impediendam conditionem.

Hinc 1° vovisti peregrinationem, si pater tuus approbet; non peccas, si per preces tuas aut alterius, patri persuadeas ut non approbet.

Hinc 2° vovisti te non lusurum, et si ludas, daturum eleemosynam pauperibus; non peccas si a ludo abstineas, ne pecuniam dare debeas, licet ob eam solam causam obligationem subterfugias.

Si vovens, dolo, vi, vel fraude conditionem impediat, peccat, quia nemini fraus patrocinatur.

Hinc vovisti Religionem ingredi, si pater consentiat, peccas consensum ejus malitiose impediendo. Item vovisti castitatem, si Deus per annum te liberet ab ebrietate; peccas contra votum, si voti pœnitens, studiose (aliter si esset ex fragilitate) te inebrias, ne tenearis ad castitatem.

*Nota.* Vota semper sunt interpretanda juxta benigniorem partem.

Hinc 1° in dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. Item qui vovit *sine certo loco,* potest eligere commodiorem, v. gr. vovisti te ingressurum Religionem, satisfacis eligendo minus rigidam.

2° Qui vovit sine *quantitate certa*, v. gr. eleemosynam, satisfacit dando quantum voluerit, modo non det tam parum, ut videatur potius irridere Deum quam implere votum; qui vovit jejunium, potest comedere lacticinia. Si vovens jejunium comedit carnes, non tenetur ad jejunium; qui vovet Rosarium, satisfacit recitando tertiam partem, etiam cum socio, quia sic fert usus [1]; qui vovit audire sacrum per mensem aut annum, *probabilius* non tenetur duas audire Missas diebus de præcepto; qui vovit jejunium vigilia alicujus Sancti, potest jejunare die Sabbati, juxta morem Ecclesiæ, si hæc vigilia incidat in

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 121.

Dominicam; qui vovit jejunare feriis sextis, *probabilius* non tenetur feria sexta in quam inciderit dies Nativitatis Domini, nisi id expresse voverit. Qui dubitat de existentia voti, non tenetur ad votum, quia possidet libertas contra votum; e contra, qui dubitat an votum certe emissum obligare cessaverit necne, tenetur ad votum, quia votum possidet contra libertatem. (Conf. quæ diximus *de conscientia et lege dubia.*)

## ARTICULUS V.

### DE MODIS QUIBUS CESSAT OBLIGATIO VOTI.

QUÆRES 1. *Quot modis cesset obligatio voti?*

RESP. Cessat quatuor modis: 1° per seipsam; 2° per irritationem; 3° per dispensationem; 4° per commutationem.

### § I.

#### De cessatione obligationis per seipsam.

QUÆRES 1. *Quomodo cesset obligatio voti per seipsam?*

RESP. Cessat quatuor modis.

1° Dum cessat *causa finalis* voti; sic qui jejunium per mensem vovit ad obtinendam sanitatem patris, si pater moriatur, desinit obligari.

Dixi *causa finalis,* id est, ea quæ ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum. Cessante vero causa *impulsiva,* ea scilicet quæ tantum allicit ad libentius vovendum, non cessat votum, cum illa non influat in voti substantiam.

2° Dum non evenit conditio voto apposita, ut dictum est.

3° Dum votum est temporale, et tempus præfixum est elapsum, ut pariter diximus.

4° Dum materia voti notabiliter mutatur, ut si ante honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumstantiæ aut prohibitionis, vel fiat

impossibilis, tum in se, tum relative ad statum voventis, quia votum est essentialiter de bono meliori et possibili.

Resolves 1. Etsi tua culpa non possis audire Missam, facere peregrinationem, servare jejunium, etc., quod voto promisisti, cessat obligatio, et sufficit pœnitere de culpa.

Resolves 2. Si notabilis supervenit circumstantia, qua prævisa non vovisses, regulariter cessat obligatio, ut expresse docet S. Thom. [1] dicens : *Id liberare a voti vel juramenti obligatione, quod, si a principio notum fuisset, ea fieri impedisset.* Ratio, quia tunc intentio se obligandi vel deficit, vel sic interpretatur, inquit S. Ligorius.

Dixi *regulariter*, quia excipienda sunt:

1° Vota etiam simplicia contra castitatem, quæ firma remanent invitis circumstantiis supervenientibus, etiam non prævisis. Hinc Tridentinum damnat eos qui dicunt posse *omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari* [2].

2° Vota solemnia Ordinum et Religiosorum. Ratio, quia Ecclesiasticus et Religiosus jam hic non considerantur ut particulares, sed ut pars communitatis cui præstat postponere bonum privatum; alias quot inconvenientia, quot scandala, quot perturbationes orirentur!

3° Idem dicendum de votis quæ emittuntur a viris aut mulieribus in aliquibus congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiæ; tunc enim intervenit contractus onerosus: unde, sicut congregatio nequit alumnum dimittere propter quamcumque supervenientem circumstantiam, excepta criminis causa, ita nec alumnus potest congregationem relinquere [3].

[1] In 4, dist. XXXVIII, quæst. 1, art. 1, ad 1. — [2] Sess. 24, can. 9.
[3] Scavini, tract. V, diss. 2, cap. 1, art. 4; ex Bened. XIV, Bulla *Convocatis*.

## § II.

### De voti irritatione.

Quæres 1. *Quid sit irritatio voti?*

Resp. Est ejus annullatio facta ab eo, cujus potestati dominativæ subjecta est persona vovens, vel materia voti.

Dixi *potestati dominativæ*, quia potestas jurisdictionis non sufficit ad irritanda vota. Sufficit autem potestas dominativa, tum ex jure naturali, tum positivo. Etenim nemo potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius; atqui quicumque est subjectus alieni, quantum ad id in quo est subjectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet a voluntate alterius: ergo non potest se per votum firmiter obligare in his in quibus alteri subjicitur, sine consensu Superioris; et si faciat, potest is subditi istius omnia vota irritare [1].

Quæres 2. *Quotuplex sit irritatio voti?*

Resp. Duplex, scilicet *directa* et *indirecta*.

*Directa* est ea quæ fit ab eo cujus potestati dominativæ subjecta est voluntas voventis. Per hanc vota irritantur in perpetuum, quia ex natura voti, vel ex juris dispositione, vota hanc habent conditionem: *nisi Superior contradixerit*.

*Indirecta* est ea quæ fit ab eo cujus potestati dominativæ subjecta est materia voti. Per hanc vota non irritantur in perpetuum, sed reviviscunt quando materia voti desinit esse subjecta dominio alterius; unde potius dici debent suspendi, quam irritari.

Quæres 3. *Quænam vota irritari possint?*

Resp. Ea quæ sunt in præjudicium tertii; nemo enim potest vovere contra jura alterius, nec similia vota acceptat Deus: sunt enim de illicito.

[1] S. Thom. 2 2, quæst. 88, art. 8.

QUÆRES 4. *Quinam possint irritare vota directe?*

RESP. 1. Papa potest directe irritare omnia vota Religiosorum, et Episcopus Monialium subjectarum.

RESP. 2. Superior Religiosorum potest omnia vota suorum subditorum directe irritare, præter votum arctioris Religionis. Ratio est, quia illa vota, ex praxi recepta in omnibus Religionibus et approbata ab Ecclesia, includunt hanc conditionem: *nisi Superior contradixerit*, ut docet Div. Thom. [1]. Item successor potest licite ac valide irritare vota inferiorum in quæ præcessor consenserat, quia consensus Prælati in votum inferioris, non ligat successorem.

RESP. 3. Pater (et ejus defectu avus, tutor, non tamen mater, nisi sit tutrix, vel avus et tutor non sint), potest directe irritare omnia filiorum impuberum vota, tum realia, tum personalia, ex dispositione juris positivi [2], quod votis impuberum, ob eorum judicii imbecillitatem, apposuit hanc tacitam conditionem: *nisi pater contradixerit;* hæc dispositio fundatur in jure divino [3], si *contradixerit pater, vota et juramenta ejus* (filiæ) *irrita erunt.*

RESP. 4. *Maritus* potest irritare omnia vota uxoris, ut dicemus infra.

QUÆRES 5. *Quinam possint irritare vota indirecte?*

RESP. 1° Pater potest indirecte irritare vota filiorum puberum personalia, quæ obsunt disciplinæ et gubernationi familiæ, v. gr. votum peregrinationis, quia pater habet jus regendi filium, et operibus ejus utendi.

Dixi *vota quæ obsunt;* quia pater nec directe, nec indirecte, potest irritare vota personalia filii puberis, quæ nullatenus ejus potestati officiunt, ut sunt certæ preces, consueta Religionis Officia, votum castitatis, etc.

*Item* pater vel tutor potest indirecte irritare vota minorum non emancipatorum realia, quia, ex Codice civili, de his statuere nequeunt sine consensu patris vel tutoris.

[1] 2 2, quæst. 88, art. 8, ad 3. — [2] Cap. *Puella*, 20, quæst. 21. — [3] Num. XXX.

2° Herus potest indirecte irritare vota famuli et famulæ, quæ impediunt vel minuunt obsequium sibi debitum, quia non potuerunt vovere in ejus præjudicium.

3° Maritus potest indirecte irritare vota uxoris, etiam ante matrimonium emissa, si officiant usui matrimonii, proli educandæ et gubernationi familiæ, ut sunt vota sæpius jejunandi, peregrinandi, etc. Ratio est, quia juri mariti obsunt. Imo probabilius maritus potest directe irritare omnia vota uxoris, licet non officiant usui matrimonii, vel prolis educationi, et gubernationi familiæ, modo ante matrimonium non sint emissa.

Prob. *Ex libro Numerorum* [1], ubi dicitur: *Si maritum habuerit, et voverit aliquid...., si vir audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus... propitius erit ei Dominus.* Hoc autem de omni voto intelligunt Septuaginta Interpretes: unde S. Ambrosius [2] dicit: *Evidentissime apparet, ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota, abstinentiæ, vel religiosæ conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo offerre.* Item S. Thom. [3]: *Nullum*, inquit, *votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu viri.*

*Ratio* est, inquit S. Ligorius, quia expedit valde ad pacem familiæ, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem a viro dependentem habeat, et sic impetus feminarum retundatur. Ita etiam Salmanticenses, Sanchez, Soto, Sa, Diana, etc., contra Sporer, Navar., Sylvium et alios.

Similiter uxor potest irritare vota mariti in his quæ thorum spectant, cum vir et uxor quoad thorum sint pares [4].

4° Superior Religionis potest indirecte tantum irritare vota personalia Novitiorum, quæ observantiam regularem impediunt, quia Novitii sunt sui juris; unde eorum vota reviviscunt, si contingat eos non profiteri.

[1] Cap. xxx, 70. — [2] *Apud Salm.*, tract. 17, cap. 3, part. 6, num. 57.
[3] 2 2, quæst. 88, art. 8, ad 3. — [4] Cap. *Gaudeamus, de Divortiis.*

Quæres 6. *An valida sit irritatio voti facta absque causa?*

Resp. *affirm.* Quia ad validum usum juris sui, non requiritur causa; et, per se loquendo, non est illicita hujusmodi irritatio, quia vota subditorum sub hac conditione consensus Superiorum emittuntur; unde obedientia sufficit pro causa. Ita S. Ligorius et communiter, contra plures asserentes esse veniale.

Dixi *per se loquendo*, quia difficulter hæc irritatio poterit excusari a veniali, cum sit otiosa, et alterius profectus impeditiva, si fiat absque ulla rationabili causa.

*Nota* 1. Vota irritanda, sive realia, sive personalia, *probabilius* valent nisi irritentur [1].

*Nota* 2. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo revalidatur. E contra, qui semel votum approbavit, potest deinde revocare ac irritare, quia Superior non potest sibi adimere potestatem dominativam quam habet in subditos. Peccant tamen, venialiter saltem, si vota sic approbata sine justa causa irritare attentant.

## § III.

### De dispensatione voti et ejus commutatione.

Quæres 1. *Quinam possint dispensare a votis?*

*Nota.* Dispensatio voti est *relaxatio voti, vice ac nomine Dei facta ab eo qui legitimam potestatem habet.*

Resp. Jure ordinario soli possunt dispensare in votis qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo, quia hæc potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras.

Resolves 1° Summum Pontificem dispensare posse in omnibus votis omnium fidelium. 2° Episcopum et alios, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, in votis subdi-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 23, Salm., Sanchez, Suarez, etc.

torum posse dispensare, iis exceptis quæ sunt Papæ reservata, cum facultate delegandi.

Dices : Prælatus non potest dispensare in jure naturali : ergo non potest dispensare in voto ; obligatio enim voti est juris naturalis.

Resp. *Nego conseq.* Prælatus enim relaxans votum non dispensat in jure naturali, sed tollit id unde nascitur jus naturale, nempe votum, quod parit obligationem juris naturalis; quod patet exemplo creditoris, qui condonat debitori indigenti, per suam condonationem non dispensat in jure naturali, sed extinguit debitum, unde sequitur nullam superesse obligationem debiti solvendi in debitore.

Quæres 2. *Quænam sint vota Papæ reservata?*

Resp. Præter solemnia, sunt quinque, nempe : votum castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, et triplicis peregrinationis : Hierosolymitanæ, Compostellanæ ad sanctum Jacobum, et Romanæ ad limina Apostolorum. In his tamen Episcopus potest dispensare, quando est necessitas, nec patet facilis ad Papam recursus. Necessitas autem censetur adesse cum in mora est periculum, *vel* spiritualis, puta violationis voti, scandali, rixarum et alterius peccati ; *vel* periculum temporalis proprii aut alieni, v. gr. gravis infamiæ mulieris, et similium.

*Nota* 1. Prædicta facultas probabiliter concessa Episcopis et aliis, dispensandi in votis Papæ reservatis, urgente necessitate, non conceditur Confessariis in jubilæo habentibus a Papa facultatem dispensandi in votis simplicibus.

Resolves : Episcopum posse dispensare : 1° in voto suscipiendi sacros Ordines, quia non est votum castitatis, etsi hoc votum sit annexum sacris Ordinibus ; 2° in voto non nubendi, quia multum differt a voto castitatis, cum per fornicationem non violatur. Ratio utriusque est, quia *odia sunt restringenda.*

QUÆRES 3. *Potestne aliquando Episcopus dispensare in votis Papæ reservatis?*

RESP. Potest: 1° quando votum castitatis perpetuæ est accessorium ad aliud votum principale, in quo Episcopus potest dispensare; v. gr.: *Voveo non ludere sub pœna Religionis ingrediendæ*. Ratio est, quia, sublato principali, accessorium cessat.

2° Quando votum est imperfectum, vota enim non sibi reservat Papa, nisi sint certa et perfecta; unde votum conditionale et pœnale, v. gr.: *Si amplius lusero, Religionem ingrediar*, non sunt reservata; neque vota emissa ex metu, etiam levi, ab alio incusso, quia tunc non est factum cum plena libertate.

*Nota* 1. *Probabilius* vota conditionalia, vel pœnalia de futuro, non sunt reservata, licet conditio sit impleta, quia talia vota non procedunt ex perfecto solo affectu ad rem promissam [1].

3° Quando votum est disjunctivum de una parte non reservata; v. gr.: *Voveo castitatem, vel jejunium perpetuum;* tunc enim vovens potest eligere partem non reservatam, licet jam eligerit reservatam.

4° Quando vovens contraxit matrimonium; item, quando conjuges post matrimonium contractum voverunt perpetuam continentiam, potest Episcopus dispensare in ordine ad petendum debitum, propter periculum incontinentiæ.

5° Quando votum est emissum sub obligatione levi.

6° Quando alia materia, non reservata, fuit per commutationem primæ materiæ subrogata.

*Nota* 2. Facultas dispensandi in votis Papæ reservatis non est præsumenda, sed probanda, quia non intelligitur concessa a Summo Pontifice, nisi sit concessio specialis vel generalis, saltem per clausulam qua talis facultas expresse conceditur [2]; si vero facultas concedatur in reser-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 161. — [2] Ex Extrav. *Et si Dominici* 5, *de Pœnit. et remiss.*, et in cap. *Si Episcopus*, eod. tit.

vatis, ad omnia extenditur, nisi ad aliquod votum excipiatur.

Quæres 4. *An ad valorem dispensationis requiratur justa causa?*

Resp. *affirm.* Ratio est, quia Prælati non sunt domini jurium Dei, sed solum œconomi: ergo nihil possunt circa jura Dei, nisi secundum ejus voluntatem rationabiliter præsumptam, quæ non est ut concedatur dispensatio sine causa, cum sit contra honorem Dei et bonum animarum.

Quæres 5. *Quænam sint justæ causæ dispensandi a votis?*

Resp. Sunt *tres. Prima* est necessitas spiritualis voventis, v. gr. periculum violandi votum ex fragilitate, vel quia votum emissum fuit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate, vel ob metum levem ab extrinseco. *Secunda,* major utilitas spiritualis voventis. *Tertia,* utilitas Ecclesiæ, Reipublicæ, etc.

Quæres 6. *Quinam possint commutare vota?*

*Nota.* Commutatio voti est *substitutio operis honesti loco alterius Deo promissi, sub eodem vinculo.*

Resp. Commutatio potest fieri vel in bonum certo melius, vel in minus, vel in æquale.

Si commutatio sit in aliud bonum certo melius et saluti voventis utilius, potest fieri privata auctoritate; quia, ex jure [1], *non promissum infringit qui illud in melius commutat.*

Si commutatio sit in bonum minus, requiritur auctoritas Superioris, quia tunc intercedit partialis dispensatio, quæ necessario requirit potestatem Ecclesiasticam.

Si commutatio sit in bonum æquale, requiritur multo probabilius etiam auctoritas Superioris, quia res fuit promissa in specie: ergo alia, nisi sit melior, solvi nequit

[1] Cap. 3 *de Jure.*

sine consensu creditoris, nempe Dei, cujus vices gerit Prælatus. Ita multi contra plures [1].

*Nota.* Raro utendum est dispensatione pura, sed aliqua admiscenda est commutatio, ad quam requiritur justa causa, sicut ad dispensandum, nisi agatur de votis immaturе emissis, maxime impuberum, quia in eis solet dispensari sine commutatione.

Porro, ut adsit justa causa commutandi in æquale cum auctoritate Superioris, sufficit major in illud propensio, vel minus periculum transgrediendi. Si vero dubitatur an sit æquale, sufficit notabilis molestia in implendo, ut dicit S. Ligorius, ex Lessio. Sed

Quæres 7. *An si commutatio fiat in minus sine justa causa, sit non solum illicita, sed etiam invalida?*

Resp. Negant plures cum Sanchezio, modo suppleatur defectus, quia sic proceditur inter homines: ergo, a fortiori, erga Deum, quocum mitius agitur. Alii vero, cum S. Thom.[2], dicunt esse invalidam, sicut dispensationem sine justa causa factam, quia prælatus in illa, sicut in ista, non potest excedere suam facultatem. Utraque sententia est probabilis, et in dubio potest vovens acquiescere judicio commutantis, ex eod. Div. Thom. [3].

*Nota* 1. Si votum commutatum fuerit in minus vel æquale, potest vovens adhuc eligere primum opus, et ex illo iterum transire ad opus subrogatum, et si pluries facta est commutatio in diversa opera, potest eligere eorum quodcumque maluerit.

*Nota* 2. Si voti legitime a Superiore commutati materia subrogata fit impossibilis, vel indifferens, etiam culpa voventis, non tenetur redire ad primam, quia obligatio extincta est.

Dixi *a Superiore;* quia notatum non currit, si commuta-

[1] S. Ligor., S. Thom. in 4, dist. 38, quæst. 1, art. 4. — [2] 2 2, quæst. 88, art. 12.
[3] Ibid., ad 2; S. Ligor., lib. IV, num. 245.

tio fiat auctoritate propria, quia tunc non extinguitur prima obligatio [1].

## CAPUT III.

### DE JURAMENTO ET ADJURATIONE.

Quæres 1. *Quid sit juramentum?*

Resp. Est *attestatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam.*

Dicitur 1° *attestatio*, id est in testem assumptio.

Dicitur 2° *attestatio divini nominis*, vel *expressa*, quando, scilicet, divinum testimonium invocatur explicite, dicendo, v. gr.: *Deum testor; per Deum ita est*; vel *implicita*, quando, scilicet, divinum testimonium invocatur in creaturis, jurando per creaturas, per cœlum, per templum, per Evangelia, etc., quatenus Deus in eis præsidet et relucet: nam qui per creaturas jurat, censetur earum auctorem in testem adducere.

Dicitur 3° *ad fidem faciendam*, in juramento assertorio; *aut promissionem firmandam*, in juramento promissorio.

Quæres 2. *Quid sit adjuratio?*

Resp. Est *actus Religionis, quo quis alterum rogat, vel ei præcipit per Deum.* Sic Apostolus [2] rogabat Thessalonicenses: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc.* Licita est, modo fiat in veritate, in judicio et justitia, ut cum proportione dicemus de juramento.

Quæres 3. *Quotuplex sit juramentum?*

Resp. Dividitur 1° in *assertorium*, *promissorium* et *execratorium.*

*Assertorium* est attestatio Dei ad faciendam fidem dicti.

*Promissorium* est attestio Dei ad firmandam promissionem.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 249, Salmant. — [2] Ad Thess. V, 27.

*Execratorium* est attestatio Dei ut vindicis : talia sunt omnia juramenta quæ fiunt per imprecationem, v. gr. : *Auferat me*, vel *te, diabolus; perdat te Deus; auferat te pestilentia; ipsa hora inteream;* hæ omnes formæ jurandi juramenta execratoria sunt, cum illa omnia mala non possint evenire, nisi ex Dei vindicis mandato.

2° Dividitur in *solemne* et *simplex*.

*Solemne* est attestatio Dei cum solemnitate, v. gr. : *Per contactum Crucifixi, Evangelii*, etc.

*Simplex* est *attestatio Dei sine solemnitate*.

3° Dividitur in *judiciale*, quod fit coram judice, et *extrajudiciale*, quod fit extra judicium. Omnia tamen ista juramenta sunt ejusdem speciei.

Quæres 4. *Quænam formulæ sint juratoriæ?*

Resp. 1. Sequentes : *Coram Deo loquor; Deus scit quod non mentior; Deus videt*, etc., sunt vera juramenta.

Resp. 2. Sequentes formulæ : *Per meam fidem; Fide viri probi; Fide boni Christiani; Fide Sacerdotis*, ut ordinarie sumuntur, non sunt juramenta; nam ordinarie sumuntur pro fide humana, quam vir probus, Christianus, Sacerdos, in verbis vel promissis adhibere debet... neque jurat ordinarie qui dicit : *Super meam conscientiam; In conscientia, In veritate;* quia significat tantum se loqui ex veritatis notitia. Secus si dicat : *Per animam meam*, quia in anima resplendet divinitas.

Dixi *ordinarie*, quia si quis per has voces intendat jurare, de facto jurat; unde intentio loquentis semper est attendenda.

Resp. 3. Quod hæ voces B., F., non sunt juramenta, sed, ut plurimum, verba impatientiæ, quæ si in pecora conjiciantur, sunt tantum venialia, modo absit scandalum; sed in homines conjecta, ut plurimum, sunt mortalia, ob gravem injuriam. Cæterum vide apud S. Ligorium [1] varias et plurimas locutiones.

[1] Lib. IV, num. 153 et seqq.

Quæres 5. *An juramentum sit licitum?*

Resp. Esse licitum, imo laudabile, si debitis fit conditionibus.

Prob. Actus Religionis et cultus latriæ est licitus et laudabilis; atqui juramentum est actus Religionis et cultus latriæ, quo jurans implicite testatur Deum habere providentiam rerum humanarum, et omnium rerum cognitionem : ergo, etc.

Dices 1. Christus damnat omne juramentum [1] : *Ego autem dico vobis non jurare omnino... sit autem sermo vester: est, est, non, non:* ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Ad textum, *distinguo*; non jurare omnino, quando necessitas non compellit ad jurandum, *conc.;* quando compellit, *nego;* alias sibi contradiceret Scriptura, dicens [2]: *Per nomen illius jurabis.*

*Itaque,* hic Christus refellit duos errores Pharisæorum circa juramentum, quorum *primus* erat, licitum esse quavis occasione jurare per creaturas; *secundus*, juramentum per creaturas non obligare; et docet non jurandum *omnino* neque per Deum, neque per creaturas, nisi necessitas ad juramentum compellat.

Inst. Addit Christus : *Quod autem* (supra est, est, non, non) *abundantius, a malo est:* ergo juramentum est malum.

Resp. *Nego conseq.* Hæc enim particula *a malo est*, posita est in masculino vel in neutro; si ponatur in masculino, per eam intelligitur diabolus, qui homines instigat ad jurandum ex abundanti sine necessitate, ut ita sensim inducat in perjurium.

Si ponatur in neutro, per eam intelligitur vitium, tum proprium levitatis et irreverentiæ erga sanctum Dei nomen, tum alienum incredulitatis et diffidentiæ, ideoque cogens ad jurandum.

Dices 2. Si juramentum sit actus Religionis, sæpissime

[1] Matth. v. — [2] Deut. v.

jurare bonum est, sicut orare; falsum consequens: ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. maj.* Ratio est, quia juramentum non est de genere eorum quæ per se bona et appetibilia sunt, ut jejunium et eleemosyna, sed quasi per accidens, posita necessitate, ut medicina; nam est medicamentum incredulitatis: oratio autem et eleemosyna sunt per se bona et appetibilia.

Quæres 6. *Quot requirantur conditiones ut juramentum sit licitum?*

Resp. Requiruntur *tres*, ex Jer. IV, dicente: *Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

*Ad veritatem*, requiritur ut jurans non levi conjectura, sed prudenter judicet verum esse quod jurat, licet forsan sit falsum.

Hinc, si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est perjurium, et semper peccatum mortale, etiam in re levi asserta vel promissa; quia perjurium importat contemptum Dei in hoc quod invocetur in testem falsitatis; unde Innocentius X hanc propositionem damnavit: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Item, perjurium est jurare cum restrictione mentali, aut æquivocatione, pure mentalibus[1]; alias, licet jurare cum amphibologia et restrictione non pure mentali, quoties eis locutionibus uti licet, prout definivit Innocentius XI.

*Ad justitiam*, requiritur ut juramentum non fiat de re illicita, ita ut mortaliter peccaret qui Deum assumeret in testem alicujus peccati, etiam venialis, committendi: invocare enim Deum in testem offensionis Dei, est tanta irreverentia, ut vix major possit concipi. Peccati vero commissi juramentum assertorium esset tantum veniale defectu justitiæ, nisi esset ad confirmandam detractionem. Ratio asserti, quia actu juramentum non assumitur ad

[1] Vid. tract. *de Peccat.*, cap. 2, quæst. 1.

confirmandam complacentiam ad peccatum, sed ad certiorandum alios de peccato commisso, quod, cum sit verum, non excedit veniale, defectu justitiæ. Ratio autem exceptionis est, quia confirmaret infamiam quam aspersit proximo.

*Ad judicium*, requiritur ne juretur temere, id est, sine magna utilitate, vel necessitate ; defectus tamen judici est tantum peccatum veniale, modo absit scandalum et pejerandi periculum, quod vix deesse potest in jurandi consuetudine, ut constat ex cap. 26. de Jurejur. : *Ex frequenti et incauta juratione perjurium sæpe contingit.*

Hinc, qui versantur in consuetudine jurandi temere et sine necesitate, non sunt absolvendi, quin prius emendaverint suam pravam consuetudinem.

Quæres 7. *Quandonam non obliget juramentum promissorium ?*

Resp. Non obligat in sex casibus sequentibus :

1° Cum est de re illicita ; nemo enim potest obligari ad peccandum, et *juramentum non est vinculum iniquitatis* [1]

Dixi *de re illicita*, quia juramentum, etiam illicite factum, obligat, dum promissio sine peccato potest impleri. Hinc valet juramentum, licet promissio irrita sit a jure, modo non sit irrita quia esset contra bonum commune, sed contra bonum particulare, v. gr. in odium insigne creditoris, aut promissio vel solvendi usuras, etc., vel meretrici facta, si illa jam opus suum præstiterit [2].

2° Cum est de re impossibili, quia est regula juris : *Impossibilium nulla est obligatio* , ut supra diximus de voto.

3° Cum est de re indifferenti, id est, quæ neque ex se, neque ex fine aut circumstantiis, ad Dei obsequium aut hominis utilitatem conducit.

4° Cum est de re cujus oppositum est melius, non obligat, nisi forte sit factum in favorem alterius ; quia quando juramentum non est in favorem alterius, solum potest

[1] Cap. 1 8 *de Jurejur.* — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 177.

obligare per modum voti, cum solum Deum respiciat ; atqui votum de re cujus oppositum est melius, non obligat : ergo, etc.

Dixi *nisi sit factum in favorem alterius ;* quia in promissione facta homini spectatur quod gratius est homini , non quod in se melius est.

5° Cum est factum per errorem et dolum circa rei promissæ substantiam , vel circa causam finalem et motivam, quia deest verus consensus, et jurans censetur jurare sub conditione : *Si res ita est.* Vide dicenda *de Contractibus.*

6° Cum materia jurata facta est illicita vel impossibilis , vel notabiliter mutata, ut qui juravit ducere puellam quæ postea fornicatur [1] ; item qui juravit punire filium, qui, corrigi paratus, veniam petit.

Dices : Præter illos sex casus, in quibus non obligat juramentum promissorium, admittendus est septimus, scilicet cum juramentum vi vel metu est extortum.

Resp. *Nego ant.* Quia, licet illud juramentum sit secundum quid involuntarium, est tamen simpliciter voluntarium, unde naturaliter obligat.

Inst. Votum ex metu gravi emissum, est irritum : ergo et juramentum.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Canones irrita reddant vota ex metu facta, non item juramenta, imo ea servanda docent [2].

Quæres 8. *An quis ex juramento ficto et doloso obligetur ?*

*Nota.* Tribus modis fieri potest ut quis ficte juret : 1° cum exterius jurat sine animo jurandi ; 2° cum jurat animo quidem jurandi, non tamen animo se obligandi ; 3° cum jurat animo jurandi et se obligandi, sed sine animo implendi.

Resp. 1. Qui jurat exterius *absque animo jurandi*, non

[1] Cap. *Quemadmodum, de Jurejur.* — [2] Cap. *Ad Audientiam, de eis quæ vi et metu ;* cap. *Debitores, de Jurejur. ;* cap. *Si vero,* eod. tit.

obligatur ex vi juramenti, quia revera non jurat, sed fingit se jurare, sicut qui exterius verba contractus matrimonii pronuntiat absque animo contrahendi, non obligatur contractu matrimonii. Qui tamen sic jurat in re gravi, peccat mortaliter, nam est gravis abusus nominis Dei contrarius fini juramenti rebus humanis tam necessario; si enim homines scirent posse ficte jurari sine peccato mortali, nihil æstimarent juramentum.

Resp. 2. Qui jurat intentione seria jurandi, sed *sine animo se obligandi*, obligatur vi juramenti. Ratio est, quia obligatio est omnino inseparabilis a juramento promissorio, nec est in potestate hominis ut sit verum juramentum, et ex eo non nascatur obligatio; ergo, etc. Unde damnata est hæc propositio a Clero Gallicano, anno 1700: *Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.*

Resolves: Qui jurat sine animo se obligandi, est perjurus, quia suo juramento deest veritas præsens, nempe animus implendi; jurat enim se facturum quod non intendit facere.

Resp. 3. Qui jurat intentione seria jurandi et se obligandi, sed *sine animo implendi*, peccat certe mortaliter, quia defuit veritas, et obligatur ad implendum promissum, ut patet.

Quæres 9. *An obliget juramentum factum contra prius juramentum?*

Resp. *Dist.* Si juramentum alteri opponatur in *actu jurandi*, valet, quia tunc est de materia licita, licet peccaveris jurando, v. gr. si juras te non amplius te juraturum, et tamen jures jejunium, teneris ad illud.

E contra, si opponatur priori *in materia jurata*, secundum juramentum est nullum, quia tunc esset de re illicita; si quidem per illam prioris juramenti materia fit impossibilis. Hinc qui jurarit matrimonium Berthæ, et postea jurat Titiæ, hoc secundum est invalidum, etiamsi postea

Bertha promissionem remittat, ex regula: *Non firmatur tractu temporis quod ab initio non subsistit* [1].

Hinc illa regula generalis, scilicet juramentum promissorium est ejusdem conditionis ac promissio, vel propositum cui apponitur. Ratio, quia accessorium sequitur principale; et ideo quando non obligat promissio, nec juramentum appositum.

QUÆRES 10. *Quomodo tollitur juramenti promissorii obligatio?*

RESP. Tollitur 1° *per remissionem* illius in cujus favorem juramentum fuit præstitum, quia subtrahit materiam juramenti; 2° per irritationem; 3° per commutationem; 4° per dispensationem; quæ omnia patent ex dictis de voto; juramentum enim eodem modo et ab iisdem irritatur, commutatur, et in eo dispensatur, cum hac sola exceptione, quod non possit dispensari in juramento præstito in favorem alicujus et ab eo acceptato, nisi bonum commune id exigat, vel nisi promissarius per injuriam, nempe per vim vel metum gravem, extorserit illud juramentum.

QUÆRES. 11. *An liceat exigere juramentum ab eo qui præsumitur pejeraturus?*

RESP. Non licet personæ privatæ, absque justa causa, ut recte probant Div. Augustinus [2] et Div. Thomas. [3] Ratio est, quia nemo privatus habet jus exigendi juramentum, nisi quatenus utilitatem aut commodum ex tali juramento sperare potest: ergo privatus nullam utilitatem sperare potest a perjurio, utpote contra ipsum exigentem præstando: ergo non potest exigere juramentum.

Dixi 1° *personæ privatæ*, id enim licet judici ad instantiam partis, quia id exigit ordo juris et officium judicis, qui debet procedere non secundum scientiam privatam, sed secundum publicam, ad quam requiritur ut adhibean-

[1] *Reg. juris*, in 6; S. Ligor., lib. IV, num. 179. — [2] Serm. 28 *de Verbis Apostoli*. — [3] 2 2, quæst. 98, art 4.

tur ea quibus solet elici veritas, quale est juramentum, alioquin videbitur prævaricari.

Dixi 2° *absque justa causa;* nam, ex probabiliori sententia, si justa mihi adsit causa, v. gr. si magni in ea intersit uti perjurio ad fraudes alterius detegendas, ut jus meum consequar, licitum est mihi petere juramentum a perjurio, quia ab eo petitur quod licite et honesti fieri potest : ergo, si falso juret, sibi imputare debet. Ita S. Ligor., Salmanticenses, Suarez, et alii multi, contra plures, qui sibi vindicant Doctorem Angelicum, loco citato. Verum S. Ligorius probat S. Doctorem in sensu nostro intelligendum esse.

*Confirmatur.* Licet cum causa privato exigere juramentum ab eo qui prævidetur juraturus per falsos deos, ut docet Div. Augustinus [1] : ergo a pari, etc.

*Prob. conseq.* Etenim, eo quod juramentum, quamvis per falsos deos, valet ex parte jurantis ad faciendam fidem et firmandum contractum, habetur ut medium utile ad avertendum grave damnum petentis, ideo quia licet ob aliquod bonum ab alio petere id quod potest licite præstare, quamvis prævideatur peccaturus; atqui perjurium potest prodesse privato, ut diximus, ideoque est justa causa illud non impediendi.

# DISSERTATIO III.

## De vitiis Religioni oppositis.

*Nota.* Peccata Religioni opposita, alia sunt *per excessum*, non quod Deus nimium coli possit, sed quod falsus deus, vel etiam Deus verus, indebito modo colatur, et hæc comprehenduntur nomine *superstitionis*. Alia sunt opposita

[1] Cap. *Movet*, 22, quæst. 1.

*per defectum*, quæ nomine *irreligiositatis* exprimuntur: unde duplex caput.

# CAPUT I.

## DE SUPERSTITIONE ET EJUS SPECIEBUS.

*Superstitio* est cultus vitiosus veri vel falsi numinis; unde duplex est generatim superstitio, nempe:

1° Superstitio veri numinis, quæ *est veri numinis cultus indebitus*.

2° Superstitio falsi numinis, quæ *est cultus Dei non veri*, v. gr. Jovis, Dianæ, Solis, etc. Hic agendum de speciebus utriusque.

### ARTICULUS I.

#### DE SPECIEBUS SUPERSTITIONIS FALSI NUMINIS.

*Nota*. Species superstitionis falsi numinis sunt quinque: scilicet idololatria, divinatio, vana observantia, magia et maleficium. Unde

#### § I.

#### De Idololatria.

Quæres 1. *Quid sit idololatria?*

Resp. Est *cultus divinus creaturæ exhibitus*: duplex est, scilicet *interna*, seu *formalis*, et *externa*, seu *materialis*.

Idololatria *interna*, seu *formalis*, est ea qua quis divinum cultum creaturæ defert, ex eo quod putet eam esse Deum.

Idololatria *externa* seu *materialis*, est ea qua quis sine existimatione divinitatis, et interiori submissione, creaturæ divinum cultum defert: talem cultum exhibet qui simulate, ex gravi metu, idolum exterius colit.

Utraque est gravissimum læsæ majestatis divinæ peccatum, continet enim gravem injuriam in Deum, deferendo creaturæ honorem sive internum, sive externum soli Deo debitum. Esset etiam idololatria *materialis*, si quis, ex ignorantia invincibili, hostiam non consecratam adoraret, sed nullum esset peccatum, ut patet.

Quæres 2. *Quomodo cultus divinus transferatur per homines ad creaturas?*

Resp. Ex S. Thoma [1], hujusmodi divini cultus, sicut creaturæ, a sensibilibus exhibebatur per alia sensibilia signa, puta sacrificia, ludos et alia hujusmodi; ita etiam exhibebatur creaturæ respresentatæ per aliquam formam sensibilem, vel figuram, quæ idolum nuncupatur.

Diversimode tamen *cultus divinus* idolis exhibebatur. Quidam enim, per quamdam nefariam artem, imagines quasdam construebant, quæ, virtute dæmonum, aliquos certos effectus habebant; unde putabant in ipsis imaginibus esse aliquid divinitatis, et per consequens quod divinus cultus eis deberetur (hæc fuit opinio Hermetis Trimegisti, ex S. August. [2]); alii vero non exhibebant cultum divinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis quarum erant imagines. Unde de primis ait Apostolus [3]: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium;* de secundis autem: *Coluerunt et servierunt potius creaturæ quam Creatori.*

Horum autem fuit triplex opinio: 1° quidam enim æstimabant quosdam homines Deos fuisse, quos per eorum imagines colebant, sicut Jovem, Mercurium, etc.; 2° quidam vero æstimabant totum mundum esse Deum, Deumque nihil aliud esse quam animam motu et ratione mundum gubernantem, sicut homo dicitur sapiens propter animam, non propter corpus: hinc tot deos habebant, teste Varrone, ex S. Augustino [1]; 3° alii vero, ut Platonici, posuerunt

[1] 2 2, quæst. 94, art. 1. — [2] Vid. *de Civitate Dei*, cap. 23. — [3] Rom. 1, 23.

unum esse summum Deum causam omnium, post quem ponebant substantias quasdam spirituales a summo Deo creatas, quas *deos* vocabant et eis cultum divinitatis exhibebant, ut Augustinus narrat [2].

Porro hæc a S. Thoma, sic diserte ac lucide expositæ de antiquis infidelibus, quæque nobis Christianis vix credibilia videntur, infideles hodierni similiter agunt, mutantque gloriam Dei in similitudinem imaginis creaturæ, coluntque et serviunt creaturæ potius quam Creatori, quia colunt illas non cultu duliæ, sed latriæ.

QUÆRES 3. *Quænam sint idololatriæ causæ?*

RESP. *Duplicem* causam assignat S. Thomas [3], quarum prima et *dispositiva*, et secunda est *consummativa*.

Causa *dispositiva* triplex est: 1° *inordinatio affectus* amoris vel venerationis hominum erga aliquem hominem, et hanc causam assignat Sapiens [4] his verbis: *Acerbo luctu dolens pater cito rapti filii fecit imaginem, et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit.*

2° *Naturalis delectatio* de repræsentatione; ideo homines rudes, inquit S. Thomas, a principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressive factas, divinitatis cultum eis impenderunt, ut dicitur [5]: *Si quis artifex faber de sylva lignum rectum secuerit, et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet imagini hominis de substantia sua, et filiis et nuptiis votum faciens inquirit.*

3° *Ignorantia veri Dei*, cujus excellentiam homines non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem seu virtutem, cultum divinum exhibuerunt, ut docet Sapiens [6]: *Neque operibus attendentes, agnoverunt quis artifex esset, sed aut ignem, aut spiritum.... aut solem, aut lunam, rectores orbis terrarum, deos putaverunt.*

Causa *consummativa* fuit ex parte dæmonum, qui se co-

[1] *De Civit. Dei*, lib. VII, cap. 21, 22. — [2] *De Civit. Dei*, lib. VIII, cap. 14.
[3] 2 2, quæst. 94, art. 5. — [4] XIV, 15. — [5] Sap. XIII, 2. — [6] XIII, 1.

lendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, et alia quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo. Unde Psalmista : *Omnes dii gentium dæmonia* [1]. Vid. S. Thom. [2].

## § II.

### De Divinatione.

Quæres 1. *Quid sit divinatio?*

Resp. Est *occultorum inquisitio ope dæmonis ad hoc invocati.*

Dicitur 1° *occultorum*, id est, quæ ab homine propria industria cognosci non possunt : talia sunt futura contingentia.

Dicitur 2° *ope dæmonis ad hoc invocati ;* vel *expresse* dæmonem, videlicet, disertis verbis rogando, aut aliquid usurpando expressa intentione ut dæmon cooperetur ; vel *tacite*, utendo, scilicet mediis, nullam vim ad occultorum notitiam habentibus naturaliter, neque ex instituto divino aut ecclesiastico, v. gr. cum quis cupit furem cognoscere invertendo cribrum ; talis enim cognitio non potest expectari nisi a dæmone.

Quæres 2. *Quot sint species divinationis?*

Resp. Generatim sunt tres, scilicet : *necromantia, astrologia judiciaria* et *sortilegium.*

*Necromantia* est *responsio dæmonis immediate invocati.* Si hæc responsio fiat per idolum, vocatur *oraculum ;* si per vates, *vaticinium ;* si per signa apparentia in visceribus animalium dæmoni immolatorum, vocatur *auspicium ;* si per vocem ex umbilico aut pudendis vatum, dicitur *pythonismus ;* si per somnum, *somnium ;* si per manes, id est mortuos in speciem resuscitatos, vocatur proprie *necromantia ;* si per inspecta manus delineamenta, dicitur *chi-*

[1] Psal. cxv, 5. — [2] Ibid.

*romantia;* si per lineamenta vultus, *physiognomia;* si per aliquem casum, *omen;* si per observationem garritus avium, *augurium;* si per signum effictum in terra, est *geomantia;* in aqua, est *hydromantia;* in igne, *pyromantia;* in aere, est *aeromantia*, etc.

*Nota.* Non omnes sunt respuendæ, ut falsæ et diabolicæ, mortuorum apparitiones, etsi caute admodum sit in eis fide adhibenda. Possibiles enim sunt, Deo volente, cum bene valeat suscitare qui potuit creare, et qui facit Angelos suos spiritus, cur non posset de mortuorum animabus ad nutum suum disponere? Plurimas autem extitisse veras mortuorum apparitiones, non paucæ nec ignotæ narrant historiæ. Hinc merito S. Augustinus : *Magnæ impudentiæ est negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti; cum tot viri sapientes et Deo pleni idipsum ratione et experimento comprobent suo* [1].

*Astrologia judiciaria* est *astrorum consideratio, indeque sumpta prædictio futurorum contingentium*, dependentium a causa libera indeterminata, qualia præsumunt prædicere observatores horoscopi; hæc damnatur tum a Scriptura Sacra [2], tum a jure canonico [3], et a Sixto V [4], item ab Urbano VIII [5], et olim etiam a civili [6]. Imo hæc vana scientia, si fundetur in astris, non ut signis, sed ut causis, est hæresis, quia tollit libertatem.

Dixi *judiciaria,* ut distinguatur ab astrologia naturali, qua ex siderum concursu prædicuntur eclipses, pluviæ, etc., quæ cum illis naturalem habent connexionem.

*Sortilegium,* est *divinatio per sortes;* qui eo utuntur, vocantur sortiarii.

*Nota.* Sortes sunt triplicis generis, nempe 1° *sors divisoria*, quæ est actio eo fine facta, ut, illius eventu spectato, innotescat quid alicui competere debeat; 2° *consultoria*,

[1] Vid. Bible de Vence, diss. de l'apparition de Samuel, vol. 2; S. Ligor., *Theol. moral.*, diss. 2, num. 16. — [2] Jer., x et Is. XLVII, 13. — [3] Cap. *Sed et illud*, 26, quæst. 2. — [4] Anno 1585. — [5] Anno 1631. — [6] Cod. *de Episcopali audientia.*

ut innotescat quid hic et nunc agere oporteat; 3° *divinatoria*, ut innotescat, v. gr. ex jactu toxillorum, quid futurum sit.

Sors *divisoria* est licita, si eventus expectetur a solo casu, et probatur a Scriptura sacra, cum dicit: *Contradictiones comprimit sors* [1].

Sors *consultoria* est illicita, nisi ad illam Deus impellat, ut in electione sancti Matthiæ [2]. Ratio est, quia continet tentationem Dei, imo est superstitio, si cognitio a dæmone expectetur, quare sub anathemate prohibetur in jure [3].

Sors *divinatoria* est vera superstitio; nam cum sit medium improportionatum huic effectui, in ea intervenire tacitam dæmonis invocationem, necesse est.

Quæres 3. *Quale sit peccatum divinatio?*

Resp. 1. Necromantia est peccatum mortale gravissimum: tum quia continet expressam societatem cum dæmone, tum quia diabolo tribuitur cognitio futurorum liberorum, quæ solius Dei est [4]: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.*

Resp. 2. Astrologia judiciaria et sortilegium, in quibus tacite tantummodo dæmones invocantur, sunt peccata mortalia ex genere suo, propter tacitum commercium cum diabolo, quod est grave peccatum.

Dixi *ex genere suo*, quia excusat quandoque a mortali ignorantia et simplicitas, vel defectus fidei firmæ medio improportionato adhibito.

*Nota* 1. In dubio autem an cognitio oriatur a causa naturali vel non, vel a bono, vel a malo spiritu, applicandæ sunt regulæ de vana observantia, mox exponendæ.

*Nota* 2. Omnes species divinationis materialiter tantum inter se distinguuntur, unum enim communem habent terminum, et uniformiter in mores influunt. Excipi tamen debet *expressa* dæmonis invocatio, quæ specialem habere

[1] Prov. xviii. — [2] Act. i, v. ult. — [3] Cap. *Sortes*, xxvi, 2. — [4] Is. xli.

potest in confessione declarandam malitiam, v. gr. hæresis et maxime scandali [1].

In his tamen omnibus caute distingui debent effectus naturales, si qui sint, a liberis. Priores namque conjici possunt in pluribus, v. gr. quandoque ex aliquo cantu et volatu avium aut siderum aspectu conjicitur tempestas, pluvia, vel cœli serenitas, etc. Experientia enim constat inter hæc naturalem esse connexionem; nec mirum astra siquidem habent influxum in nostram terrenam planetam, et omnia sublunaria plus minusve variis athmosphæræ conditionibus subjiciuntur.

Quæres 4. *Quid sentiendum de virga bifurcata, quæ dicitur divinatoria?*

*Nota.* Virga divinatoria, cujus prima mentio facta est, ut dicunt, sæculo XV°, ex corylo (coudrier ou noisetier) est ac bifurcata. Dicitur moveri vel non moveri ad nutum et intentionem utentis.

Resp. 1. Si talis virga sola intentione, ut dicunt, hominis moveretur ac volveretur, vel si ea utatur ad inveniendos, v. gr. agrorum limites, vel homicidas, vel similia quæ cum virga nullam habent connexionem, hoc pro certo diabolicum habendum esset, cum contin. Tournely, Malebranche, Le Brun et S. Ligorio; nam sola intentio nihil conferre potest ad motum physicum; nec lapis constitutus pro limite agri nihil differt in materia ab alio lapide ejusdem speciei, nec homo ab alio homine, eo quod sit homicida, etc. Verum in his, sicut in similibus, verbosi circulatores fucum faciunt, sibique vindicant effectus qui naturaliter producuntur. Unde

Resp. 2. Non est certo damnandus usus virgæ, vel alterius cujuscumque rei adhibitæ ad detegendas aquas vel metalla, et alia similia, cum naturaliter possit evinere, ut virga, v. gr. moveatur ad unam potius quam ad aliam

[1] Ita Scavini, S. Ligor., lib. IV, num. 6.

partem, vi nempe attractionis, ut patet de magnete. *Ita communius recentiores.*

Dixi *vel cujuscumque alterius rei adhibitæ ;* nam aliquando solum, vel forte nuspiam inquiritur virga ex corylo, sed utitur agens quocumque alio instrumento quod manu tenet, v. gr. pendulo orbiculo, ad solum dirigendos motus brachii, quia non instrumentum sed agens ipse afficitur ad accessum aquæ vel occulti mettalli, propter nimiam nervorum affectionem.

Quæres 5. *An liceat veritati per dæmoniorum invocationem obtentæ fidem adhibere, nostramque rationem agendi secundum illam componere?*

Resp. *affirmative*, per se loquendo. Nam, etsi medium inquirendi veritatem sit illicitum, veritas tamen semel obtenta bona est ac utilis ; unde nihil prohibet quin secundum illam actiones nostras dirigamus, ut fecit Cyprianus, primum magus, postea martyr, cui siscitanti dæmon respondit, nullam illi artem processuram adversus eos qui vere Christum colerent. Quo responso commotus Cyprianus, relictis magicis artibus, se totum ad Christi Domini fidem convertit [1].

Hoc maxime verum est quando dæmon divina virtute potest compelli ad vera dicenda, propter nostram vel aliorum utilitatem [2], ut quandoque fecit Christu [3].

Dixi *per se loquendo ;* nam periculosum ac stultum est se patris mendacis discipulum constituere. *Dæmone nim*, inquit S. Thomas [4], *qui intendit perditionem hominum, ex hujusmodi suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur ; et sic intendit perducere inaliquid quod sit saluti humanæ nocivum.* Hinc etiam S. Athanasius [5], exponens illud Lucæ [6] : *Increpavit illum dicens : Obmutesce*, dicit : *Quamvis vera fa-*

[1] In festo SS. Cypriani et Justinæ, 26 sept. — [2] S. Thom., 2 2, quæst. 95, art. 4, ad 3. — [3] Luc. VIII. — [4] 2 2, quæst. 95, art. 4. — [5] Orat. 1, *contra Arian.* — [6] Luc. IV.

*teretur dæmon, compescebat tamen Christus ejus sermonem, ne, simul cum veritate, etiam suam iniquitatem promulget, ut etiam nos assuefaciat ne curemus de talibus, etsi vera loqui videatur.*

QUÆRES 6. *An liceat sommiis fidem habere?*

*Nota.* Duplex est causa somniorum : *externa* scilicet, et *interna*. Causa *externa*, alia est *animalis*, cum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ ejus cogitatio et affectio fuit immorata in vigilando ; alia *corporalis*, cum nempe, ex interiori dispositione corporis, formatur aliquis motus in phantasia conveniens tali dispositioni, sicut homines in quibus inabundant humores frigidi, sommiantur in aqua vel nive : propter hoc medici dicunt esse intendendum somniis ad cognoscendum hominis dispositiones.

Causa *externa* similiter est duplex : scilicet, *corporalis* et *spiritualis*. *Corporalis* quidem in quantum, inquit S. Thomas, imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impressione cœlestis corporis ; ut sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni. *Spiritualis* autem causa est quandoque a Deo, qui ministerio Angelorum aliquid revelat, ut legitur in libro Num. [1] ; quandoque ab operatione dæmonum, qui interdum aliqua futura revelant his qui cum eis habent pacta illicita. Unde

RESP. 1. Somnia quæ causam interiorem animalem habent, per accidens tantum et casualiter se habent ad futuros eventus, unde nullam merentur fidem. Somnia vero quæ causam habent interiorem corporalem, arguunt unice statum infirmitatis et valetudinis somniantis, et ejus vivendi disciplinam, quo sensu medici uti possunt ad applicanda remedia, et Confessarii ad prohibendas certas lectiones, collocutiones, frequentationes ex quibus nempe turpia nascuntur in imaginationem, etiam inter somnum.

[1] Num. XII, Gen. XL, et Daniel II et IV.

Verum superstitiosum esset exinde conjicere futura. Ita Bouvier, Amor, Scavini, etc.

Resp. 2. Somniis quæ certo vel probabilius sunt a Deo, possumus, imo tenemur fidem dare; nam Deus promisit aliquando per somnia loqui, secundum illud : *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum* [1]. Sic a Deo fuit somnium Joseph; atqui cum Deus loquitur, ei credendum est : ergo, etc. Contra, grave peccatum esset credere somniis diabolicis. Potest tamen homo rudis excusari a mortali, ratione simplicitatis, vel tenuitatis fidei talibus somniis præstitæ.

Porro, cum Deus immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, vel fere certum, quod ab ipso immittantur. Sed in dubio an somnium sit a Deo vel a dæmone, accipe regulam sequentem : si somnium impellat ad opus bonum, v. gr. ad fugam alicujus peccati, vel ad actum charitatis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, aut si reddit hominem quietum, alacrem, promptum, etc., merito a Deo censebitur, a quo sunt omnia bona ; si vero producuntur effectus omnino contrarii, tunc somnium quamvis pulchrum et jucundum, diabolo, qui sæpe se transfigurat in Angelum lucis, certe tribuendum erit [2].

## § III.

### De vana Observantia.

Quæres 1. *Quid sit vana observantia, et quotuplex ?*

Resp. ad primum. Vana observantia est *superstitio qua, ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia et improportionata.*

Resp. ad secundum. Tot sunt species vanæ observantiæ, quot sunt effectus qui per eam intenduntur : unde dividitur in *artem notoriam*, *observantiam futurorum eventuum*, *observantiam sacrorum*, et *observantiam sanitatum.*

[1] Num. XII. — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 6.

1° *Ars notaria* est superstitio qua, ad scientiam repente acquirendam, adhibentur media vana et inutilia, v. gr. certæ preces, certa potio, etc.

2° *Observantia eventuum* est superstitio qua quis adversitatem vel prosperitatem conjicit ex fortuito eventu, et inde actiones suas dirigit; v. gr. si quis mane domo egrediens offendat pedem, et ideo domum revertatur timens aliquid infausti; si nolit assidere mensæ in qua sunt tredecim convivæ, etc.

3° *Observantia sacrorum* est superstitio qua, ad obtinendos effectus extraordinarios, adhibentur res sacræ quæ hos effectus producendi nullam habent efficaciam naturalem, divinam, aut ecclesiasticam; v. gr. cum preces, verba sacra, aut reliquiæ usurpantur cum certa persuasione aliquem effectum extraordinarium infallibiliter obtinendi, v. gr. non moriendi sine confessione, subito extinguendi incendium, etc.

Dixi *cum certa persuasione*, etc.; quia si proferantur verba Scripturæ, aut gestentur reliquiæ, vel recitentur quædam preces, quæ nihil falsi nec vani continent, ad obtinendum aliquid a Deo, si saluti nostræ expedire judicaverit, non tribuendo illis vim certam et absolute infallibilem, licitum atque pium est, et a Sanctis observatum.

4° *Observantia sanitatum* est superstitio qua, ad sanandos morbos, adhibentur media vana et inutilia, v. gr. nomina ignota, certæ figuræ, cæremoniæ inanes, remedia naturalia quidem, sed quibus aliqua vana adjunguntur tanquam necessaria, v. gr. herbæ collectæ in vigilia sancti Joannis Baptistæ, etc. Sed in his et similibus secernendis magna requiritur prudentia et naturalium scientia, ne quod revera naturale est, cum superstitiosis confundatur.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum vana observantia?*

RESP. Est peccatum mortale ex genere suo, quia in ea

dæmon invocatur saltem tacite et implicite [1]; subinde tamen fit veniale ob ignorantiam, simplicitatem et bonam fidem.

Quæres 3. *Utrum aliquæ observantiæ in variis peregrinationibus observari solitæ, sint ab omni superstitione immunes?*.. v. gr. in peregrinatione ad sanctum Hubertum, in qua peregrinis prohibetur respicere specula, a certis cibis abstinere, etc.; ad sanctum Joannem, circa cujus templum jumenta aliquoties circumducuntur.

Resp. Talia non esse statim ut superstitiosa damnanda, cum ea tacite approbet Ecclesia, dum eadem observari novit, et non contradicit; possunt enim habere ex intentione Ecclesiæ sacram quamdam significationem, ac simul aliquando cum effectu naturalem connexionem, v. gr. quod rabidi a certo cibo abstineant; quod non aspiciant specula, ne imaginatio eorum fortius moveatur.

Fatendum tamen in similibus cæremoniis multa ex vanitate vulgi subrepisse, quæ vanam observantiam sapiunt, et sæpe ab Ecclesia ignorantur: unde Pastores et Confessarii singulariter ad hoc vitium invigilare debent, cum communi populo sit satis frequens et familiare, ut experientia docet.

*Nota.* Hic tria sunt ad praxim maxime notanda.

1° In evellendis opinionibus superstitiosis, multa prudentia et animi sobrietate opus est, inquit *Stapf.* Equidem quidquid Religioni aut bonis moribus adversatur, utique quantocius et omni prudenti modo extirpari debet. Dum vero ejusmodi opiniunculæ vix non innocuæ videntur, et simul a multa antiquitate plurimum vigoris acceperunt, ad tempus dissimulare præstat, potius quam importune et concitato impetu, in obvias quasque superstitiones invehere. Imo, si homines rudes, bona fide et ex devotione, aliquem ritum ab Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate relinquendi sunt; difficulter

[1] Deut. xviii, 10, et cap. 2 *de Sortilegiis.*

enim abducuntur ab eo quod bona fide a suis majoribus acceperunt [1]. Præterea non omne quod profano hujus temporis genio displicet, mox superstitiosum censeri debet.

2° Parochi, Concionatores et Catechistæ, qui munus erudiendi populum christianum habent, enumerent tantum eas superstitiones, quæ pervagantur in suis regionibus, ne novas ignotasque potius invehant quam ab eis populum avertant [2].

3° In dubio, præsumendus est aliquis effectus potius provenire a causa naturali quam a superstitione, ut advertunt Sporer, Sanchez et alii, cum S. Augustino et S. Thom., qui dicit: *Ubi non apparent certa indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est* [3]; si vero constet rem nullam habere vim naturalem ad aliquem effectum, in dubio censetur potius provenire a dæmone, quam a Deo, cum divina promissio de illo non habeatur [4].

## § IV.

### De Magia et Maleficio.

QUÆRES 1. *Quid sit magia et quale peccatum?*

RESP. AD PRIMUM. Magia superstitiosa est *ratio operandi mira, ope dæmonis explicite vel implicite invocati.*

Dicitur 1° *mira*, id est, opera extraordinaria parientia admirationem, ut distinguantur a miraculis, quæ dæmon facere non potest, sed solus Deus.

Dicitur 2° *ope dæmonis*, ad hoc expresse vel implicite invocati, scilicet per signa ab eo instituta, quæ per se nullam habere possunt efficaciam ad effectum producendum: ut sunt verba exotica, characteres, sigilla, specula, unctiones, et cætera quæ adhibentur præter Ecclesiæ morem; per hoc magia superstitiosa distinguitur a magia naturali,

[1] Ita Busemb., Layman, Caj., Gousset, etc. — [2] Bouvier, *de Decalogo.* [3] 2, quæst. 60, art. 4. — [4] S. Ligor., lib. IV, num. 20.

quæ mira operatur per causas naturales occultas, absque ope dæmonis, et quæ per se licita est, licet periculosa, ob facilem lapsum in superstitiones.

Resp. ad secundum. Magia est grave peccatum mortale ex genere suo, eodem modo quo vana observantia et divinatio a quibus non specie morali non differt.

Quæres 2. *Quid sit maleficium, et quotuplex?*

Resp. ad primum. Est *ratio nocendi aliis ope dæmonis;* unde continet *triplicem malitiam* mortalem, nempe contra Religionem, Charitatem et Justitiam; ideo malefici tenentur ad reparationem omnium damnorum illatorum.

Resp. ad secundum. Duplex est maleficium, scilicet *veneficium*, quo alicui in propria persona vel animalibus damnum infertur, morbis nempe, doloribus, morte; et *amatorium* seu *philtrum*, quo homines flectuntur vel ad odium, vel ad amorem carnalem, quod philtrum libertatem non adimit; unde qui, eo inflecti, in rem veneream consentiunt, vere peccant mortaliter.

Porro maleficium tolli potest: 1° remediis naturalibus a medicina petitis, quia virtute naturali corrigunt pravos humores ope dæmonis commotos. Raro tamen prosunt, quia diabolus facile eorum vim elidit. 2° Remediis supernaturalibus exorcismorum Ecclesiæ, orationum, pœnitentiæ, etc. 3° Destructione et combustione signorum, annulorum, ligaturarum, ad quorum præsentiam dæmon nocumentum infert, quia honestum est destruere opera diaboli, et illis opponi. 4° Contrarii signi positivi positione, ex se tamen honesti, v. gr. si dæmon sit pactus cum maleficio, se tandiu nociturum, quandiu maleficiatus se cruce non signaret, aut lavaret corpus, aut res aliqua certo loco maneret defossa, licebit illi se signare, lavare, etc. 5° Non licet tamen illud tollere per aliud maleficium vel superstitionem, cum sit intrinsece malum invocare dæmonem. Imo, si probabile foret maleficium a maleficio absque nova magia dissolvi non posse, peccaret mortaliter, qui eum

quamvis paratum, ad hoc induceret; quia, ex Apostolo, *non sunt facienda mala ut eveniant bona;* secus vero, si rationabiliter præsumatur ipsum illud mediis naturalibus sublaturum esse. Ita *communiter* [1]. Imo licet ad id verberibus aut tormentis cogere.

Quæres 3. *Quid sentiendum de magnetismo animali?*

Resp. Ex P. Gury, *magnetismi animalis* inventor fuit Fredericus Antonius *Mesmer* [2], medicus germanicus, qui, novos quærens curandi modos, existimavit se mirum invenisse remedium in fluxu quodam subtilissimo e cunctis animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili, quem propterea magnetismum animalem nuncupavit. Vocatur etiam *Mesmerismus*, a nomine inventoris, et definiri potest: *Principium speciale, natura fluidum, in nervorum systemate residens, transmissibile de uno vivente corpore ad aliud, per contactum, vel simplicem actum voluntatis.* De magnetismo animali considerare possumus ejus existentiam, effectus, causam et licitatem.

Existentia et realitas. Quidam negant existentiam et realitatem magnetismi animalis, et omnia phœnomena quæ de eo narrantur, inter fabulas, simulationes et circulatorum gesta deputantur; at prorsus immerito. Nam, licet quædam sint probabiliter commentitia, multa tamen facta narrantur quorum testes sunt omni exceptione majores, quæque diu multumque fuerunt a medicis physicis perpensa.

Effectus magnetismi duplex præcipue exhibetur: 1° *status somnambulismi*, in quo magnetizatus, usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia quæ ab ipso postulantur; 2° *mira sui status cognitio*, et remediorum suis morbis vel aliorum convenientium, necnon visio aliorum hominum etiam longe distantium, et eorum omnium quæ tum prope, tum longe

[1] S. Ligor,. lib. IV, num. 24, etc. — [2] Anno 1779.

peraguntur, et similia, modo per suum ducem vigilanter, etiamsi ille non sit magnetizans, ad ea cogitatione et imperio deducatur.

Causa, circa quam Theologi et medici in tres abierunt sententias.

*Prima sententia* dicit in omni casu magnetismum esse prorsus diabolicum. Illud enim est a dæmone, cujus effectus neque ex Deo, neque ex natura repeti possunt; atqui miri magnetismi effectus neque ex Deo, neque ex natura repeti possunt: ergo, etc.

*Prob. min. per partes.* 1° *Non ex Deo,* insanum est enim dicere Deum ad hominis, etiam impii, nutum obtemperare, ita ut, eo requirente, ad res adeo portentosas immediate concurrere; leges æternas sapienter conditas, quoties homini libuerit, immutare, et præter rerum ordinem, in iis infinitam suam virtutem manifestare.

2° *Neque ex natura.* Illud enim ex natura repeti non potest, quod nullam habet proportionem cum ea; atqui miri effectus magnetismi nullam proportionem habent cum natura: ergo, etc.

*Prob. min.* 1° Ad effectus magnetismi producendos, requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem pro prima vice; atqui nulla est proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et res physicas; causa namque physica semper agit eodem modo, positis ponendis, independenter a voluntate humana, ut patet electricitate, etc. 2° Effectus magnetium videntur vires naturæ superare; non capitur enim quomodo magnetizatus, etiam rudis sensuum, quidam dicunt etiam usu rationis privatus, possit tam multas, tam præclaras scientias exemplo sibi comparare, linguas penitus ignotas scire, videre res remotissimas, inspicere intimus aliorum cogitationes, et eorum infirmitates non solum distinguere, sed in se sentire, et opportunia remedia indigitare, aliaque permulta portentosa peragere, etc.

*Secunda sententia*, omnino opposita, tenet omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse.

*Ratio* 1° quia non est improbabile quibusdam humanis corporibus inesse subtilissima effluvia, fluxus magnetis instar, quæ in aliorum corpora, et mediantibus organis, in ipsam animam agant. Non enim omnes naturæ vires cognoscimus, innumerique sunt ejus effectus, de quibus reddere rationem impares sumus; nec per hoc systema lex aliqua nobis nota destruitur.

2° Quia similes effectus in naturali somnambulismo producuntur. Somnambuli enim vident, audiunt, etiam clauso libro legunt, aliaque stupenda faciunt, quæ ab ipsis in statu vigiliæ fieri nequeunt, nec viribus ordinariis naturæ competunt.

3° Nec obstat quod requiratur aliquando vel ordinarie voluntas patientis, quia non requiritur quatenus facultas mere interna animæ et a corpore independens, sed qua medium ad phantasiam excitandam et spiritus subtiles corporis movendos, sicque ad vim in statu moralem hominis exercendam. Hoc patet exemplo motuum concupiscentiæ, qui solo cogitatione objecti minus casti in organis excitantur; magnum enim voluntas habet in passiones tum irascibiles, tum concupiscibiles influxum. Ita non pauci celebres medici.

*Tertia sententia*, cui adhærent Bouvier, Vernier et alii plures, quamque sat probabilem vocat P. Gury, fatetur, cum secunda sententia, non repugnare magnetismum plures miros effectus naturaliter operari; quia mirifica est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis. Verum admittit sæpe sæpius dæmonem in magnetismo operari; nempe 1° cum effectus productus penderet tantum, aut saltem præcipue, a voluntate agentis; 2° quando *magnetizatus* addiscit per scientiam infusam, scripturam, litteras, linguas quas antea penitus ignorabat; 3° quando novit aut videt ea quæ in magna distantia fiunt, quia, inquiunt,

hoc videtur omnino vires naturales superare. At, principio magnetismi semel admisso, ut expositum fuit, non apparet quomodo et qualis distantia loci requiratur ut intellectualis visio naturales vires excedat; nam si *magnetizatus* citra corpora transpicit, si clauso libro legere possit, ut constat de somnambulis, si ex suo cubiculo introspicit in aliud, vel in domum plus minusve remotam, concludere licet ad locorum distantiam non esse attendendum.

Licitas, de qua lis est adhuc sub judice; quæstio siquidem gravis est ac difficillima. Curia Romana diversa dedit responsa, prout diverse ei fuit oxposita. Hinc anno 1840 quæsitum fuit, utrum *magnetismus generatim acceptus et in se,* habendus esset licitus an illicitus. Congreg. Generalis S. Officii 23 junii respondit, *consulendos probatos auctores, cum hac advertentia quod, remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum pure physicorum ad res aut effectus mere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio illicita et hæreticalis.*

Anno vero 1841, die 21 aprilis, aprobante Gregorio XVI, eadem S. Congregatio respondit, *usum magnetismi, ut fuit expositus, non licere.* Hoc responsum confirmavit iisdem verbis Sacra Pœnitentiaria ad Episcopum Friburgensem die 1° julii ejusdem anni. Exponebatur autem quæstio variis induta circumstantiis quæ favent incredulitati, aut sunt contra modestiæ regulas.

Tandem anno 1842, Archiepiscopus Rhemensis, D. D. Gousset, petiit *an magnetismus, in se spectatus, sepositis rei abusibus, rejectoque omni cum dæmone fœdere, esset licitus,* et die 2 septembris, anno 1843, Cardinalis Pœnitentialis Major respondit, *quæstionem hanc non adhuc esse a S. Sede serio perpensam, nec tam cito esse responsuram.*

Unde recte concludit D. D. Gousset [1] *magnetismum*, seclusis abusibus, tolerari posse sub sequentibus tamen conditionibus : 1° ut agens et patiens sint in bona fide ; 2° ut omnia honeste secundum modestiam christianam fiant ; 3° ut quilibet dæmonis interventus respuatur.

Dixit *tolerari posse ;* unde recte subdit magnetismi usum a Confessario neque *suadendum*, neque approbandum esse, præsertim si inter personas diversi sexus exerceatur.

Imprudenter igitur agunt ii Sacerdotes qui se magnetismi tanquam patronos et apostolos habent, perinde ac si de re mirum in modum ad divinum cultum ac fidei propagationem conferente ageretur... Hæccine esse debet Sacerdotis prædicatio ? inquit P. Gury.

QUÆRES 4. *Quid sentiendum de mensis circulatoriis, vulgo* tables tournantes ?

RESP. Omnia quæ de mensis circulatoriis narrantur, sunt diabolica, et inter præstigiatorum et magorum opera deputanda, ut asserit Tertullianus in *Apologetico* [2]. Ratio, quia nulla dari potest proportio naturalis inter effectus et causam, siquidem lignum aut lapis nec possunt percipere quæsita ab homine facta, nec ad illa respondere. Impium autem esset dicere Deum aut Angelum per inanimantia vaticinare quoties hominibus otiosis libuerit.

## ARTICULUS II.

### DE SPECIEBUS SUPERSTITIONIS VERI NUMINIS.

*Nota.* Superstitio veri numinis consistit in *cultu indebito, Deo vero exhibito*, et duplex est: scilicet *cultus falsus*, et *cultus superfluus.*

*Cultus falsus* est veri Dei cultus continens aliquid falsi, vel *in se*, v. gr. falsorum miraculorum adinventio, falsarum reliquiarum expositio, etc.; vel *in sua significatione*,

[1] *Theol. moral.*, tom. I, num. 425. — [2] Vid. *Dogmaticam, de Revelat.*, diss. I, cap. 3, § 4, pag. 80.

v. gr. moderna usurpatio Judaicarum cæremoniarum significantium Messiam venturum. Hæc superstitionis species est semper ex se mortalis, nec admittit parvitatem materiæ, quia gravem injuriam Deo infert, cujus cultus sola veritate niti debet.

*Cultus superfluus*, est veri Dei cultus ab illius instituto alienus, quia nempe est cumulatus per res, vel circumstantias indebitas, ab Ecclesiæ doctrina moreque alienas, et inutiles ad Dei honorem, mentisque devotionem, v. gr. adoratio, vel oratio facta cuum superfluis circumstantiis temporis, loci, numeri, situs; vel in Missa contra Rubricam plures formare cruces, plures dicere *Alleluia*, dicere *Gloria* vel *Credo* contra Rubricas, aliasque cæremonias addere vel demere, etc. Hic cultus superfluus est solum venialis, sepositis prohibitione, scandalo et contemptu cæremoniarum Ecclesiæ, quia et materia levis est, et irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem.

## CAPUT II.

### DE IRRELIGIOSITATE.

*Nota.* Irreligiositas, quæ est *peccatum, quo Deus in se, vel in rebus aut personis sacris inhonoratur*, quintuplex est, nempe : 1° *tentatio Dei;* 2° *sacrilegium;* 3° *blasphemia;* 4° *perjurium;* 5° *simonia.* De perjurio et simonia alibi commodius egimus; restat de aliis agendum, triplici articulo.

### ARTICULUS I.

#### DE TENTATIONE DEI.

Quæres 1. *Quid sit tentatio Dei?*

Resp. Est *dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere expectatum.*

Dicitur 1° *dictum vel factum*, sub quo comprehenditur etiam omissio dicti vel facti.

Dicitur 2° *ad capiendum*, etc., vel *expresse*, v. gr. si quis petat miraculum ut innotescat Dei potentia; vel *implicite*, v. gr. si quis graviter ægrotans, spretis omnibus remediis, a solo Deo sanitatem expectaret. Ad hanc reduntur *purgationes vulgares* innocentiæ per aquam ferventem, ferrum candens, quæ damnatur in jure [1]. Licet enim quandoque tales purgationes Deus probarit, id contigit, vel quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi sunt liberati.

Dicitur 3° *extraordinarium*, id est miraculosum.

Dicitur 4° *temere expectatum*, id est sine justa et rationabili causa; aliud est si justa causa adsit, v. gr. si jussu Dei tale experimentum capiatur, ut præcepit Achaz [2]; vel si necessitas urgeret, nec aliud suppeteret medium, prout fecerunt discipuli Christi, qui cum omni humilitate petierunt miracula ad confirmandam doctrinam quam prædicabant [3]; vel gravis utilitas ad nostram vel aliorum salutem adesset, vel ad implendam divinam voluntatem.

Quæres 2. *Quale peccatum sit tentatio Dei?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, sive fiat expresse, sive fiat implicite, quia gravem audaciam, gravemque erga Deum importat irreverentiam, quatenus illi reverentiæ et humilitati Christianæ adversatur petitio auxilii extraordinarii absque necessitate.

Dixi *ex genere suo;* nam tentatio implicita potest esse veniale peccatum in eo qui non advertit actionem suam pertinere ad tentationem Dei; utrum vero sit veniale quia res non est valde extraordinaria, vel quia periculum est parvum, v. gr. ex sola curiositate spectare aliquod opus supernaturale? quidam affirmant, cum Cajetano; sed *probabilius* hoc damnant de mortali Sanchez, Suarez, Salmanticenses et alii, cum S. Ligorio [4], nisi excuset ignorantia

[1] Cap. ult. *de Purgat. vulgari.*—[2] Is. VII, 10.—[3] Act. IV, 30.—[4] Lib. IV, num. 30.

aut inadvertentia. Ratio, quia gravis est irreverentia velle ut Deus ostendat omnipotentiam suam ad satisfaciendum curiositati ipsius. Excepta vero curiositatis causa, non videtur excedere veniale.

Hinc 1° *probabilius* venialiter tantum peccaret, vel etiam a culpa esset immunis, qui levi laborans infirmitate, negligeret remedia naturalia, et sanitatem a Deo sibi expectaret.

2° Peccat qui absolute petit a Deo, vel offert miraculum ad conversionem hæreticorum, quia sufficiunt nostræ fidei fundamenta. Sed

3° Non peccat qui petit a Deo miraculum sub conditione: si placuerit, modo sit firmissima spes conversionis.

4° Peccat qui sine justa causa se objicit ad martyrium subeundum, nisi excuset bona fides, aut adsit inspiratio divina, cum nemo sit vitæ suæ dominus, ut de ea disponat ad libitum suum. Secus, si legitima sit causa, v. gr. si alias fides aut salus multorum periclitetur, vel ad blasphemias avertendas, in quibus casibus martyrium est in præcepto; vel in casu utilitatis, ad propagandam fidem, vel Dei gloriam; tunc licet martyrio se offerre, ut docet Div. Thomas [1].

## ARTICULUS II.

### DE SACRILEGIO.

Quæres 1. *Quid sit sacrilegium?*

Resp. Est *violatio rei sacræ.*

Dicitur 1° *violatio,* id est injuriosa tractatio, profanatio.

Dicitur 2° *rei sacræ,* id est divino cultui principaliter dedicatæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit sacrilegium?*

Resp. Triplex: *personale, reale* et *locale.*

[1] 2 2, quæst. 144, art. 3, ad 1; S. Ligor., lib. IV, num. 32.

Sacrilegium *personale* est violatio personæ sacræ, v. gr. percussio Clerici vel Monachi, provocatio Clerici ad tribunal sæculare, nisi per concordata cessaverit privilegium immunitatis; peccatum luxuriæ a persona sacra, vel cum persona sacra commissum.

Sacrilegium *locale*, est violatio loci sacri, v. gr. effractio et incendium Ecclesiæ, eversio altaris, injuriosa sanguinis, aut voluntaria seminis in Ecclesia effusio; furtum rei sacræ, ac furtum rei profanæ in loco sacro, quamvis ibi non depositæ, ut crumenæ occulta abscissio, ex jure [1], quod non distinguit, sed habet ut sacrilegium qui *non sacrum de loco sacro* furatur. At non est sacrilegum furtum in claustris vel in oratorio domus privatæ.

Sacrilegium *reale*, est violatio rei sacræ distinctæ a persona et loco, v. gr. indigna administratio vel susceptio Sacramentorum; profanatio reliquiarum, imaginum, vasorum et ornamentorum sacrorum; defraudatio jurium et bonorum temporalium Ecclesiæ; suppressio legatorum piorum, etc.

Quæres 3. *Quale peccatum est sacrilegium?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, tantoque gravius, quanto res quæ violatur est sanctior et sacratior; potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, v. gr. furtum unius assis in Ecclesia, vel parva confabulatio.

Hinc, cæteris paribus, gravius est sacrilegium quo peccatur contra personam, quam quo peccatur contra locum, *quia non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit* [2]; et inter res sacras, primum locum tenet sacrilegium contra Sacramenta quæ sanctificant hominem, quorum præcipuum est sanctissima Eucharistia, cujus profanatio est omnium gravissima. Post autem Sacramenta, secundum locum tenent vasa sacra ad receptionem et confectionem Sacramentorum deputata, et ipsæ imagines sacræ et reliquiæ Sanctorum; deinde ea quæ pertinent ad

[1] Ex cap. *Quisquis*, 17, quæst. 4. — [2] Machab. III, 19.

ornamentum Ecclesiæ et Ministrorum; ultimum vero locum tenent ea quæ sunt deputata ad sustentationem Ministrorum, sive sint mobilia, sive immobilia.

Hinc altaris palla, et alia quæ consecrata fuerint, vel benedicta, non debent admitti in usum laicorum, sed sunt comburenda, nec ex veteri casula, vestes profanas resarcire, vel ad usus profanos vendere vel oppignorare.

*Excipe*, nisi res ita totaliter immutetur, ut ad communem materiam redeat, v. gr. calix igne vel ferro ad communem massam argenti redeat.

Licet autem adhibere ad usus profanos ea quæ nec consecrantur nec benedicuntur, ut sunt tapetes, candelabra, pelvim; item ea quæ benedicuntur in modicis benedictionibus, ut sunt candelæ, rami, aqua, incensum, et similia benedicta, nisi fiat ex aliquo contemptu. Ratio, quia in modicis istis benedictionibus, inquit S. Ligorius, non agitur cum tanto rigore ab Ecclesia.

Hinc sacrilegium committit: 1° qui verbis sacræ Scripturæ ad scurrilia vana, fabulosa, adulatoria, detrectoria utitur, quod Tridentinum temeritatem vocat et puniri jubet [1]; 2° qui extra Ecclesiam proponit hominem occidere in Ecclesia, non autem vice versa, quia per meros actus internos non violatur sanctitas loci; 3° qui furatur reliquiam Sancti, etiam in parva quantitate, domino graviter invito; 4° probabiliter qui violat votum, etsi non sit castitatis, ut tenet Div. Thomas [2] cum Salmanticensibus, contra Suaresium et alios, qui non nisi peccatum contra fidelitatem Dea debitam agnoscunt; 5° qui non Tonsuratus, et sine causa, tangit vacua vasa consecrata, venialiter peccat, juxta communem sententiam. Pro Monialibus autem adest privilegium.

Porro, cum sacrilegium novam speciem peccati constituat, debet semper exprimi in confessione; imo, quia omnia sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ, nec gra-

[1] Sess. 5. in fine. — [2] 2 2, quæst. 99, art. 3, ad 3.

vitatis, ut recte probat Div. Thom.[1], debet quoque exprimi in qua re fuerint commissa, id est, an fuerint personalia, localia aut realia. Præfatæ species habent quidem diversos gradus gravitatis qui constituunt circumstantias aggravantes, non autem speciem mutantes, puta si quis violaverit sanctimonialem verberando vel concumbendo, ut probabilius tenent, ex Div. Thoma, S. Ligorius, Suarez et alii contra plures.

## ARTICULUS III.

### DE BLASPHEMIA.

Quæres 1. *Quid sit blasphemia?*

Resp. Est *contumeliosa in Deum locutio.*

Dicitur 1° *contumeliosa*, id est personæ præsentis maledictio.

Dicitur 2° *in Deum*, sive *mediate*, quando, scilicet, contumelia dirigitur ad Sanctos vel res sacras quatenus Deus in illis relucet, unde redundat in Deum, et est vera blasphemia contra latriam. Secus esset, si quis contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, v. gr. sartores, sutores, etc., tunc enim essent verba contra duliam tantum.

Dicitur 3° *locutio*, vel *externa*, et est blasphemia oris; vel *interna*, et est blasphemia cordis, cujus fuit reus *insipiens*, qui psalmo XII, *dixit in corde suo: Non est Deus.* Unde signa contra Deum, ut sunt in cœlum spuere, infrendere dentibus, non sunt blasphemiæ stricte, sed late, licet sint gravissimæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit blasphemia?*

Resp. Quadruplex, nempe: *hæreticalis, imprecativa, juratoria* et *dehonestativa.*

*Hæreticalis* est contumeliosa de Deo formalis affirmatio, vel negatio, v. gr. tribuendo Deo quod ei non competit,

[1] 2 2, quæst. 99, art. 3.

injustitiam nempe, crudelitatem, etc.; vel auferendo Deo quod ei competit, v. gr. providentiam, omniscientiam, etc., vel tribuendo creaturæ quod Dei proprium est, ut si dicatur dæmon aliquid creasse, vel mundum regere, etc.

Dixi *formalis*, quia si blasphemus credat ita esse, et non tantum ex ira vel desperatione efficiat, tunc blasphemia est cum hæresi conjuncta, quod in confessione est explicandum, quia specie differt ab imprecativa.

*Imprecativa* est ea qua quis Deo malum imprecatur, v. gr.: *pereat Deus; maledictus Deus; utinam Deus non esset*. Ejusmodi blasphemia est desperatorum et damnatorum.

Utrum autem hæc verba gallica: *sacré nom de Dieu*, tam frequenter usurpata, sint blasphemia? *Alii* affirmant, cum Vernier et Bouvier, quia talis censetur ex usu communi. Hic enim verbum *sacrum* inverso sumitur sensu, quasi dicerent: *execrabile*, maledictum nomen Dei; sicut dixit poeta: *auri sacra fames* pro maledicta fames, et mulier Job: *Benedic*, pro *maledic Domino*. Alii tamen negant quod sit blasphemia *per se*, nisi adsit explicita vel implicita intentio blasphematoria. Ratio est 1° quia, in sensu obvio et communi verbum *sacré* significat *benedictum*, non *maledictum*, nec genium linguæ talem patitur inversionem; 2° quia nec proferentes illud habent intentionem blasphemandi; ira enim eorum et indignatio non tendit ad Deum, sed ad hominem tantum, vel jumenta, etc.: unde talis locutio est solum vana usurpatio sanctissimi Nominis Dei, quæ veniale non excedit [1].

*Juratoria* est ea qua quis jurando blasphemat, v. gr.: *Hoc ita verum est, ac verum est Deum existere, Christum esse Deum*, etc. Hinc verba *morbleu! parbleu!* sunt vane usurpata ad aliquid affirmandum, non vero sic prolata in Deum.

[1] Ita Gousset, num. 460, et auctor operis: *Examens raisonnés sur les commandements de Dieu*.

*Dehonestativa* est indecens nominatio membrorum Christi; v. gr. capitis, ventris, sanguinis, quin et mortis Dei [1].

*Nota.* Si blasphemia procedat ex infirmitate potius quam ex malitia, vocatur *blasphemia in Patrem;* si ex ignorantia, vocatur *blasphemia in Filium;* si ex malitia, dicitur *blasphemia in Spiritum Sanctum.*

QUÆRES 3. *An sit blasphemia maledicere vivis, vel sibi ipsi?*

RESP. *negative.* Est enim tantum dira imprecatio ex genere suo mortalis, et eo gravius peccatum quo personam cui maledicimur magis amare et reverere tenemur; contingit tamen peccatum esse tantum veniale, vel propter parvitatem mali imprecati, vel propter affectum maledicentis, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum, inquit Div. Thomas, maxime ex affectu pensantur [2]. Ita cum eo S. Ligorius [3] et omnes.

QUÆRES 4. *An blasphemia sit maledicere defunctis?*

RESP. *negative*, nisi maledicantur prout sunt creaturæ Dei. Imo plerumque id neque mortale est, cum neque per se, neque ex mente proferentium, hæc maledictio sit graviter defunctis injuriosa. 1° Non *per se,* quia vox *mortui* magis referenda est ad corpus quam ad animam, quæ semper vivit; 2° neque *ex mente proferentium*, quia mortuis maledicentes non intendunt malum imprecari animabus defunctorum, sed potius exprobrare vivos, ad quos maledictiones suas ad instar injuriæ solent referre [4].

QUÆRES 5. *Quale peccatum sit blasphemia?*

RESP. Omnis blasphemia ex propria malitia est omnium peccatorum mortalium gravissimum, nec admittit levitatem materiæ; quia quælibet Dei contumelia aut maledic-

[1] Vide quæ diximus ubi de peccato oris, tract. *de Peccat.* — [2] 2 2, quæst. 76, art. 3. — [3] Lib. III, num. 131, et lib. IV, num. 83. — [4] Scavini, ex S. Ligor., lib. IV, num. 130, et dissert. ibid.

tio est gravissima injuria contra honorem strictissimo jure Dei debitum ; ergo, ait Div. Hieronymus [1], *nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum.* Unde ob solam actus imperfectionem potest excusari a mortali. Multi tamen admittunt parvitatem materiæ in his quæ fiunt contra Sanctos.

Dixi 1° *omnis blasphemia :* sive sit *formalis,* qua quis expresse intendit Deum inhonorare ; sive sit tantum *virtualis*, qua quis, ex ira erga hominem, vel etiam ex joco, profert verba blasphemiæ absque pravo motu in Deum ; nam gravis semper est inhonoratio Dei, blasphemare ad iram, vel jocum exprimendum : formalis tamen est gravior virtuali. Hinc qui talium verborum consuetudinem habent, sub mortali tenentur se emendare. Quod si faciunt, et tamen relabantur, possunt aliquando excusari, saltem a mortali, non vero a veniali, cum semper sit advertentia sufficiens saltem confusa de malitia verborum.

Dixi 2° *ex propria malitia,* quia ultra propriam malitiam potest habere aliam distinctam ex motivo a quo procedit, et cujus affectu imperatur ; sic

1° Blasphemia *hæreticalis* habet duplicem malitiam mortalem, nempe contra Fidem et Religionem.

2° Blasphemia imprecativa continet odium Dei formale ; unde cum illæ novæ malitiæ adjunctæ, sint diversæ speciei, necessario sunt exponendæ in confessione. Imo, quamvis probabiliter blasphemia contra Deum non differat specie a blasphemia contra Sanctos, et ideo non sit necessarium explicare an Deum vel Sanctos blasphemaveris, non es redarguendus si omnes exponis, quia intra eamdem speciem, aliæ aliis sunt longe graviores ; sic gravior est blasphemia contra Beatam Virginem quam contra alios Sanctos, quia est contumelia non solum contra latriam qua parte redundat in Deum, sed etiam forte contra hyperduliam qua parte violatur honor debitus Beatæ Virgini.

[1] Lib. VII, *in Isaiam*, cap. 18.

Quæres 6. *An appellatio nominis Dei, vel Jesu, non contumeliosa, sed per modum loquendi,* v. gr. : o Jesu! bone Deus! *sit blasphemia?*

Resp. Non est blasphemia, sed vana usurpatio sancti et terribilis nominis Dei, et culpa venialis contra religionem, propter irreverentiam qua se reos constituunt qui tantum nomen frustra intexunt in confabulationibus suis, tanquam aliquid commune et profanum; unde prohibetur Eccl. xxiii : *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis,* quoniam *non eris immunis ab eis,* id est a peccato irreverentiæ contra eos.

# TRACTATUS

# DE VIRTUTIBUS

## CARDINALIBUS.

*Nota.* Post virtutes Theologicas, tractandum de virtutibus Cardinalibus, et cum sint quatuor virtutes Cardinales, nimirum: *prudentia*, *fortitudo*, *temperentia* et *justitia*, de ipsis agendum esset quatuor dissertationibus; verum tot tantique momenti sunt ea quæ virtute Justitiæ complectuntur, ut specialem requirat tractatum. Igitur in præsenti tractatu, de tribus aliis virtutibus triplici dissertatione compendiose loquemur, et deinde dicemus de *Justitia*.

## DISSERTATIO I.

### De Prudentia.

Quæres 1. *Quid sit prudentia?*

Resp. Dupliciter sumi potest: 1° *largius*, pro qualibet cognitione veri ad mores pertinente, sive sit speculativa, sive practica; sic sæpe in Scripturis vocatur scientia; 2° *stricte*, et est *virtus moralis*, *qua discitur quid in quolibet negotio agendum sit*, *vel fugiendum*.

Dicitur 1° *virtus*, nempe directrix aliarum virtutum et morum, eorumque mensura et regula.

Dicitur 2° *qua discitur*, quia ejus subjectum est intel-

lectus, ex Isidoro qui dicit: *Prudens dicitur, quasi porro videns, perspicax enim est, et meritorum prævidet casus* [1].

Dicitur 3° *quid in quolibet negotio*, etc., per quod differt a virtutibus intellectualibus quæ non circa actiones particulares, sicut prudentia, sed circa actiones humanas in communi versantur, ut sapientia, scientia: siquidem istæ virtutes sunt circa necessaria, *ars* autem et *prudentia* circa contingentia; sed *ars* circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus, etc.; *prudentia* autem est circa agibilia, quæ, scilicet, in ipso operante consistunt, ut videre, velle, etc. [2].

QUÆRES 2. *Quid sit objectum prudentiæ?*

RESP. 1. Objectum *materiale* prudentiæ, sunt actiones humanæ particulares, de quibus judicat an honestæ sint, an turpes; ex quo judicio voluntatem inclinat ad eas amplectendas aut fugiendas.

RESP. 2. Objectum *formale* prudentiæ est conformitas actionum humanarum cum veritate hic et nunc practica; prudentia siquidem, cum sit judicium, ad intellectum spectat, cujus objectum sola veritas esse potest.

DICES: Prudentia est virtus moralis: ergo objectum est bonitas, non vero veritas.

RESP. *Dist. ant.* Est virtus moralis *directive*, quatenus nimirum judicat de agendis, aut non agendis, *conc.; elicitive*, nego. Ratio est, quia de se nec bonum amat, nec malum fugit, sicut cæteræ virtutes morales.

Prudentia igitur respicit primario et essentialiter suum objectum sub ratione veri practici, et secundario et consequenter sub ratione boni.

QUÆRES 3. *An necessaria sit prudentia?*

RESP. Adeo prudentiam esse necessariam, ut absque ea nulla sit virtus, cum in omnes alias generalem influxum habeat.

[1] Lib. *Etym*, x. — [2] S. Thom., 2 2, quæst. 47, art. 5.

Prob. Quia nulla potest esse virtus absque ordine, nec ullus ordo absque prudentia, cujus est expendere et eligere media apta et in qualibet circumstantia convenientia ad finem honestum consequendum.

Quæres 4. *Quot sint officia seu actus prudentiæ?*

Resp. Sunt tria, nimirum *bene consultare* de honestate vel inhonestate rerum agendarum; *bene judicare* de mediis pro loco et tempore adhibendis; et *bene imperare* executionem.

Quæres 5. *An prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus?*

*Nota.* Prudentia alia est *acquisita* seu *naturalis,* quæ non excedit limites naturalis rationis, et versatur circa finem naturalem. Alia est *infusa,* quæ excedit limites rationis naturalis, et versatur circa finem supernaturalem, seu vitam æternam. Prudentia *naturalis*, alia est falsa et per similitudinem dicta, qua quis bene et solerter disponit media ad malum finem, v. gr. ad latrocinium; quo sensu dicitur bonus vel prudens latro. Alia vera, et hæc duplex; alia *imperfecta*, qua quis bene componit media ad finem singularem tantum, v. gr. ad navigandum, quo sensu dicitur bonus et prudens negociator, nauta. Alia *perfecta,* quæ ad bonum finem totius vitæ recte conciliat, judicat, præcipit. His notatis,

Resp. 1° Prudentia falsa in materia morali est in solis peccatoribus, ut patet.

2° Prudentia vera, sed imperfecta, est communis bonis et malis, ut etiam patet.

3° Prudentia naturalis seu acquisita perfecta, non est in peccatoribus, cum peccando declinent a veritate.

4° Prudentia infusa est in solis et omnibus justis, quantum ad ea quæ sunt de necessitate salutis; quia bene recteque se habent circa ultimum finem totius vitæ, nempe Deum. Quod si quandoque peccando deficiunt a recto, per prudentiam reducuntur ad viam justitiæ. Prudentia

ro acquisita non est in omnibus justis, quia requirit experimentum et ætatem

QUÆRES 6. *Quot sint partes prudentiæ?*

*Nota* ante responsionem, unicuique virtuti assignari partes integrales, subjectivas et potentiales.

*Partes integrales* sunt eæ quæ, licet ad essentiam virtutis necessariæ non sint, ad ejus tamen perfectionem ita conducunt, ut, iis sublatis, perfectus non sit virtutis actus.

*Partes subjectivæ* sunt variæ species ejusdem virtutis, v. gr. personalis et politica, in virtute prudentiæ.

*Partes potentiales* sunt quædam aliæ virtutes quæ, licet totam virtutis principalis rationem et potentiam non participent, ad eam tamen accedere videntur. Itaque

RESP. 1. *Partes integrales* prudentiæ sunt octo, nimirum *memoria*, *intelligentia*, *providentia*, etc.

*Memoria* est recordatio præteritorum, quæ per negotia felicem vel infelicem exitum habuerunt; est ergo recordatio experimenti, quæ multum confert ad prudentiam; unde illud tritum: *Experto crede Roberto.*

*Intelligentia* est notitia præsentium (id est plena status rei agendæ cognitio), et principiorum moralium quæ concurrere debent ad prudenter judicandum.

*Providentia* est consideratio eventuum futurorum qui ex suscepto opere sequi possent.

*Solertia* est subita et expedita inventio medii convenientis.

*Docilitas* est affectus ad consilia aliorum suscipienda. Ejus convenientia patet, ex eo quod in his quæ pertinent ad prudentiam maxime indiget homo ab alio erudiri, maxime ex senibus qui suum intellectum adepti sunt circa finem operabilium.

*Ratio* est promptitudo unum ex alio colligendi.

*Circumspectio* est attenta consideratio circumstantiarum actionis humanæ, ne aliqua requisita desint.

*Cautio* est cura vitandi impedimenta consecutioni finis adversantia, quod pertinet ad perfectam prudentiam.

Resp. 2. Prudentia dividitur in *personalem* et *gubernatricem*.

*Personalis* est ea quæ immediate solum bonum operantis attendit, mediate vero tantum bonum commune.

*Gubernatrix* est ea quæ bonum communitatis seu perfectæ seu imperfectæ attendit; unde subdividitur in *œconomicam*, qua pater aut Superior propriam familiam bene regit; et *politicam*, qua, per legum custodiam, communita ad finem suum perducitur.

Resp. 3. Tres sunt partes *potentiales* prudentiæ, scilicet eubulia, synesis et gnome.

*Eubulia* est habitus quo quis rectum et bonum consilium in rebus perplexis et ambiguis invenit.

*Synesis* est habitus bene judicandi de iis quæ fiunt secundum communes regulas.

*Gnome* est habitus recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus, contra tenorem verborum legis, licet non contra intentionem legislatoris, v. gr. depositum non esse reddendum impugnatori patriæ, quod quidem est contra legem communem, sed non contra mentem legislatoris. Virtus quæ huic respondet in voluntate vocatur *epikeia*.

Quæres 7. *Quænam sint vitia opposita prudentiæ?*

Resp. 1. Prudentiæ *per defectum* opponuntur sequentia:

1° *Præcipitatio*, quæ est aggressio operis sine debita deliberatione de mediis.

*Nota.* Ex S. Thoma [1], præcipitatio in actibus animæ metaphorice dicitur a corporali motu, sicut corpus dicitur præcipitari, quod a superiori in imo pervenit, magno impetu non ordinate descendendo per gradus; ita, cum animæ summum sit ipsa ratio, et imum operatio per corpus exercita, et gradus medii sint memoria futurorum et alia

[1] 2 2, quæst. 53, art. 3.

supra dicta, si quis feratur in actionem per impulsum voluntatis aut passionis, prætermissis hujusmodo gradibus, erit tunc *præcipitatio*.

2° *Inconsideratio*, quæ est judicium de mediis ante illorum examen.

3° *Inconstantia*, quæ est sententiæ mutatio ob nullam vel levem causam.

4° *Negligentia*, quæ est omissio diligentiæ requisitæ ad urgendam executionem rei deliberatæ; si versetur circa gravem obligationem, est mortalis.

Resp. 2. Per excessum opponuntur prudentiæ :

1° *Prudentia carnis*, quæ est diligens excogitatio mediorum ad implendos instinctus naturæ corruptæ : est mortale in re gravi, nam *prudentia carnis mors est* [1].

2° *Astutia*, quæ est notitia et usus pravorum mediorum ad finem intentum assequendum. Astutiæ executio, si fiat verbis, vocatur *dolus ;* si factis, *fraus* nuncupatur, ut cum mensura minor est justo. *Astutia* quandoque sumitur pro *circumspectione*, ut in Proverb. I : *Ut detur parvulis astutia*, et XIII : *Astutus omnia agit cum consilio.*

3° *Sollicitudo temporalium*, quæ est nimia occupatio animi in acquirendis et conservandis temporalibus.

Est mortale, quando quis violat aut violare paratus est grave aliquod præceptum; alioquin est venialis, licet saluti plurimum noxia.

*Sollicitudo futurorum*, quæ est inordinata anxietas ne vitæ necessaria in posterum nobis desint. Hæc anxietas importat diffidentiam in Dei providentiam.

[1] Rom. VIII.

# DISSERTATIO II.

## De Fortitudine.

*Fortitudo* dupliciter sumitur, *late* et *proprie*.

*Fortitudo late*, est *animi firmitas in bono honesto arduo*.

*Fortitudo stricte*, est *virtus cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis tempore et loco debito aggredienda, et ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios*.

Dicitur 1° *voluntatem hominis*, quia subjectum immediatum fortitudinis est voluntas, prout est appetitus sensitivus irascibilis.

Dicitur 2° *ad pericula aggredienda et ad labores*, etc., quia sunt duo actus et officia fortitudinis, nempe : *ardui aggressio* et *incommodi perpessio*. Hinc colliges objectum materiale fortitudinis esse *pericula* et *labores ;* formale vero esse ipsam hanc honestatem quæ in eo consistit, ut homo circa labores et terribilia moderate se gerat, neque timori nimium cedendo, neque ultra modum se dando audaciæ.

Dixi *ipsam hanc honestatem*, quia materia virtutis non potest esse inhonesta, alioquin virtutis rationi repugnaret. Hinc latrones, sicarii, duellantes, injusta bella gerentes, non habent veram virtutem fortitudinis, sed similitudinem tantum, nec fortes, sed temerarios et crudeles dicendi sunt.

Quæres 1. *An martyrium sit actus fortitudinis ?*

Resp. *affirm*. Liquet hæc veritas ex ipsa definitione fortitudinis.

Dices 1. Innocentes pro Christo ab Herode occisi, sunt vere martyres ; atqui tamen non fuerunt capaces actus fortitudinis : ergo martyrium non est actus fortitudinis.

Resp. Sunt martyres *materialiter*, conc. ; quia quod in aliis meretur propria voluntas auxilio Dei adjuta, hoc illi

per gratiam Dei adepti sunt; *formaliter*, nego, quia non fuerunt capaces voluntariæ acceptionis mortis, quo solo sensu martyrium est actus fortitudinis.

Dices 2. Martyrium est actus charitatis: ergo non est actus fortitudinis.

Resp. *Nego conseq.* Est enim actus *imperatus a charitate* sive actuali, sive habituali, et *elicitus a fortitudine.*

Quæres 2. *Quænam sint vitia fortitudini opposita?*

Resp. Fortitudini opponitur per excessum *temeritas*, per defectum vero *ignavia.*

*Temeritas* est vitium quo quis periculis contra rectæ rationis dictamen se committit, scilicet, quando, ubi et quomodo non oportet.

*Ignavia* est vitium quo quis ab iis deterretur periculis quibus sese tempore et loco exponere potest et debet; utraque sæpius est peccatum mortale.

Quæres 3. *Quænam sint virtutes fortitudini adjunctæ?*

Resp. Sunt quatuor: nimirum, *magnanimitas*, *magnificentia*, *patientia* et *perseverantia.*

1° *Magnanimitas* est virtus inclinans ad actus heroicos in omni genere virtutum.

Magnanimitati opponitur per excessum *præsumptio*, *ambitio*, *vana gloria*; per defectum vero *pusillanimitas.*

*Præsumptio* est propriarum virium nimia æstimatio in aggrediendis iis quæ superant eas.

*Ambitio* est inordinatus appetitus honoris.

*Vana gloria* est inordinatus appetitus famæ, laudis et gloriæ.

*Pusillanimitas* est vitium quo quis, ex animi parvitate, recusat tendere in id quod est suæ potentiæ proportionatum.

2° *Magnificentia* est virtus inclinans ad magna opera magnis sumptibus efficienda juxta præscriptum rectæ rationis. Et opponitur per excessum *profusio*, per defectum *parvificentia.*

*Profusio* est excessiva erogatio divitiarum.

*Parvificentia* est vitium quo quis minus vult expendere quam operis dignitas requirit.

3° *Patientia* est virtus firmans animum in tolerantia afflictionum. Ei opponitur per excessum *insensibilitas*, et per defectum *impatientia*.

*Insensibilitas* est vitium quo quis, ob animi stuporem, nec propriis, nec alienis malis movetur.

*Impatientia* est vitium quo quis plus justo de malis dolet: utrumque hoc peccatum potest esse mortale; aliquando tamen est tantum veniale.

4° *Perseverantia* est virtus qua homo, non obstantibus quibuscumque malis, in opere incepto firmiter perseverat. Ei opponitur per defectum *inconstantia*, per excessum *pertinacia*.

*Inconstantia* est vitium quo quis sine justa causa a bono proposito desistit.

*Pertinacia* est vitium dans animo inordinatam firmitatem, scilicet, quando non oportet, vel plus quam oportet: utraque est mortalis vel venialis, prout gravis vel levis obligatio violatur.

## DISSERTATIO III.

### De Temperantia.

QUÆRES 1. *Quid sit temperantia?*

RESP. Est *virtus moralis quæ, juxta rectæ rationis dictamen, moderatur affectum usumque voluptatum gustus et tactus.*

Ex hac definitione sequitur: objectum *materiale* temperantiæ esse delectationes corporeas; *formale* vero esse earumdem usum honestum.

QUÆRES 2. *Quot sint vitia temperantiæ opposita?*

Resp. Sunt duo, nempe : *insensibilitas* per defectum, et *intemperantia* per excessum.

*Insensibilitas* est vitium quo quis omnes corporis delectationes, etiam necessarias, refugit et aversatur... Est peccatum veniale ex genere suo ; esset tamen mortale, si quis per eam refugeret id ad quod graviter obligatur ; v. gr. si quis negaret debitum conjugi exigenti, vel nollet sumere cibum ad sustentationem vitæ necessarium.

*Intemperantia* est vitium quo quis voluptates gustus ac venereorum immoderate appetit, rationisque ac divinæ legis regulam in earum usu excedit.... Luxuria est peccatum mortale ex genere suo, ut probatum est ex dictis de luxuria ; gula vero tunc est peccatum mortale cum venter Deo præponitur, et gulosus paratus est pro gula Dei legem et amicitiam violare. Alias fere gula tantum est veniale, ex communi Doctorum sententia, ut patet ex dictis de gula [1].

Quæres 3. *Quot sint partes integrales temperantiæ ?*

Resp. Sunt duæ, nempe : *verecundia* et *honestas*.

*Verecundia* est horror turpitudinis intemperantiam consequentis ; consistit in modestia habitus, motus, gestus, incessus, etc... huic opponuntur *inverecundia* et *impudentia*, de quibus Div. Ambrosius [2] ait : *Inverecundum est, sensim ambulando, imitari histrionicos gestus... cursim ambulare, nisi cum justa exigit necessitas... partes corporis* (*quas natura, mater verecundiæ, tegere jubet*) *detegere aut spectare pudor est ; si casu aperiantur, confoditur verecundia :* ergo est inverecundia *si studio impudentia æstimatur.*

*Honestas* est virtus inclinans ad cavenda quæcumque indecora in esculentis, poculentis et venereis : *Quid est honestas*, inquit Div. Ambrosius [3], *nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat.*

[1] Vid. etiam Cornelium a Lapide, *in Epist. ad Galat.*, cap. v, 20 ; et *in Ep. ad Philipp.*, cap. iii, 19. — [2] Lib. *de Offic.*, cap. 18 et 42. — [3] Ibid.

Quæres 4. *Quot sint species temperantiæ?*

Resp. Sunt quatuor, nempe : *abstinentia,* cui opponitur *gula; sobrietas,* cui opponitur *ebrietas*; *castitas*, cui opponitur *luxuria; pudicitia,* cui opponitur *impudicitia.*

*Abstinentia* est virtus quæ moderatur affectum, usumque cibi.

*Sobrietas* est virtus quæ moderatur affectu m, usumque potus inebriare valentis.

*Castitas*, a *castigando,* est virtus quæ cohibe t, vel moderatur appetitum et usum venereorum.

*Pudicitia* est virtus quæ cohibet vel moderatur oscula, tactus, amplexus, eorumque delectationem.

Quæres 5. *Quotuplex sit castitas?*

Resp. Triplex, nimirum : *virginalis, conjugalis,* necnon *vidualis.*

*Castitas virginalis* est voluntas constans et efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione et delectatione venerea. Hæc amittitur irrevocabiliter per solam voluntariam pollutionem, quoquo modo contingat.

Dixi *per solam voluntariam pollutionem;* nam involuntaria pollutio non adimit virginalem castitatem, siquidem integritas membri corporalis per accidens se habet ad virginitatem, quia virginitas dicitur per remotionem corruptionis seu resolutionis seminis.

Nam nomen virginis a *virore,* seu *virorem gerere* sumptum videtur ; sicut enim dicitur *virens,* et in suo virore consistere, quod non est adustum per caloris adustionem; sic *virens* seu *virgo* nuncupatur qui adustionem delectationis venereorum non est expertus.

In delectatione autem *tria* sunt consideranda : $1_0$ illud quod est tantum ex parte corporis, nempe *violatio* signaculi virginalis ; 2° illud in quo conjungitur id quod est animæ cum eo quod est corporis, scilicet *ipsa resolutio seminis* delectationem sensibilem causans; 3° illud quod est solum animæ, hoc est, *propositum* perveniendi ad talem

delectationem. Ex illis autem tribus, primum se habet *per accidens* ad actum moralem qui non consideratur per se, nisi secundum ea quæ sunt animæ. Secundum vero *naturaliter* se habet ad actum moralem, quia passiones sunt materia virtutum moralium, ut dictum est in append. *de Passionibus*. Tertium autem se habet *formaliter* et completive, ut patet. Ergo virginitas non consistit essentialiter in integritate corporalis membri, sed in proposito voluntatis abstinendi a delectatione venerea. Unde si contingat per alium modum membri integritatem corrumpi, non magis præjudicat virginitati, inquit Div. Thomas, quam si corrumpatur manus aut pes [1].

*Castitas conjugalis* est voluntas constans et efficax abstinendi ab omni actione et delectatione venerea cum non conjuge, et ea utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis regulam.

*Castitas vidualis* est voluntas constans et efficax abstinendi in posterum ab omni actione et delectatione venerea percepta in conjugio.

Quæres 6. *Quænam sint impedimenta castitatis, eorumque remedia?*

Resp. *Tria* castitatis impedimenta recenset Div. Thomas [2], desumpta ex parte corporis, animæ et exteriorum personarum, seu rerum.

*Primum* impedimentum, ex parte corporis, est ciborum affluentia, et deliciarum mollities, *quia*, inquit Div. Thom. [3], *caro concupiscit adversus spiritum..; quanto autem caro magis fovetur per ciborum affluentiam, et deliciarum molliem, tanto hujusmodi concupiscentia magis crescit.* Unde Hieronymus dicit: *Venter mero æstuans, cito despumat in libidinem.* Et Prov. xxi: *Luxuriosa res vinum.* Remedium adversus illud castitatis impedimentum, est corporis mortificatio per jejunium, pœnitentiam, etc.

[1] 2 2, quæst. 152, art. 1. — [2] Opusc. 35 *de Perfectione vitæ spirit.*, cap. 9. — [3] Sicut Apostolus dicit ad Galat. v.

*Secundum* impedimentum, ex parte animæ, est *dum ea lascivis cogitationibus immoratur... unde per cogitationem diutinam maxime libido provocatur.* Et propter hoc Apostolus [1] dicit: *Fugite fornicationem, quia,* ut Glossa dicit ibidem, *cum aliis vitiis potest expectari conflictus; sed hanc fugite ne approximet, quia non aliter potest vinci.*

Contra hoc impedimentum, quatuor remedia affert Div. Thom.: *Primum et præcipuum est,* inquit, *ut mens circa contemplationem divinorum et orationem occupetur. Unde Apostolus* [2]*:* Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus (*quod ad contemplationem pertinere videtur*); cantantes et psallentes in cordibus vestris, *quod ad orationem pertinere videtur. Hinc etiam Dominus per Prophetam dixit* [3]*:* Laude mea infrænabo te, ne intereas. *Est enim quoddam frænum, animum ab interitu retrahens, laus divina.* Adde ferventem SS. Nominum Jesu et Mariæ invocationem.

*Secundum* remedium est *studium Scripturarum, secundum illud Hieronymi ad Rusticum Monachum:* Ama Scripturarum studia, et carnis vitia non amabis. *Unde Apostolus cum dixisset* [4]: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, *statim addit:* Dum venio, attende lectioni.

*Tertium* remedium est *quibuscumque cogitationibus bonis animum occupare. Unde Chrysostomus* [5] *dicit, quod* abscissio membri ita non comprimit tentationes, et tranquillitatem facit, ut bonæ cogitationis frænum. *Unde Apostolus* [6] *dicit:* De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

*Quartum* remedium est, *ut homo, ab otio desistens, etiam in corporalibus laboribus seipsum exerceat. Dicitur enim* [7]:

[1] I Cor. VI. — [2] Eph. V. — [3] Is. XLVIII. — [4] Tim. IV. — [5] Super Matth. [6] Philipp. IV. — [7] Eccl. XXIII.

Multam malitiam docuit otiositas; *et specialiter etiam est carnalium incentivum. Unde dicitur* [1]*:* Hæc fecit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius. *Et Hieronymus ad Rusticum scribens, dicit:* Facito aliquid operis, et semper Diabolus inveniat te occupatum.

*Quintum* et *maximum* remedium est *frequentatio Sacramenti Eucharistiæ*, quæ panis est ad roborandum, et vinum germinans virgines.

*Tertium* impedimentum est *aspectus et frequentia colloquia mulierum, et earum consortium. Unde dicitur* [2]*:* Propter speciem mulieris multi perierunt: ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit; *et postea subditur:* Colloquium ipsius quasi ignis exardescit.

*Et ideo contra hoc est adhibendum remedium, quod ibidem dicitur* [3]*:* Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius: cum saltatrice ne assiduus esto, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. *Et* [4] *dicitur omni homini:* Noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.

Quæres 7. *Quot sint virtutes temperantiæ annexæ?*

Resp. Sunt septem, *continentia* nimirum, *clementia, mansuetudo*, etc.

1° *Continentia* est virtus quæ cohibet motus qui ad delectationes obscœnas sollicitant. Ex quo patet quod sit imperfectior castitate: nam, ut Chæremon Abbas dicit apud Cassianum [5]: *Non castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei aliqua resistit adversitas voluptatis. Quamobrem, donec pulsari nos carnis commotione sentimus, noverimus nos ad castitatis nondum pervenisse fastigia; sed adhuc sub infirmitate continentiæ constitutos præliis fatigari.*

2° *Clementia* est virtus quæ vindictam coercet, ne ultra

[1] Ezech. xvi. — [2] Eccl. ix. — [3] v, 5. — [4] Eccl. xxiv. — [5] Collat. xv, cap. 10.

debitos fines exiliat. Hinc per clementiam superior inclinatur ad pœnam mitigandam, quantum justitiæ et disciplinæ bonum fert, ac ratio salutis fraternæ et ædificationis publicæ patitur, quia nisi horum omnium ratio habeatur, non est clementia, sed vel *crudelitas*, quæ ei opponitur per defectum; vel *mollities*, quæ ei opponitur per excessum.

3° *Mansuetudo* est virtus quæ iram coercet ne exurgat, nisi quando, quantum, et quomodo oportet.

Itaque mansuetudo non excludit iram moderatam, quando causa illius est justa : *Qui sine causa irascitur, reus erit*, ait Div. Chrysostomus; *qui vero cum causa, non reus erit.* Quia tamen difficillimum est passione illa uti cum debito moderamine, ideo mansuetus homo internam iræ passionem non debet admittere, sed pro rei exigentia, se exterius gerere pro irato, debitam correptionem faciendo, debitamque pœnam infligendo, juxta illud Div. August.[1] : *Teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia; in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus*, id est, quod prodesse videtur, tum maxime communitati, tum communi disciplinæ.

4° *Modestia* est virtus quæ affectus humanos gestusque corporis moderatur, secundum præscriptum rectæ rationis. Modestia ergo exigit ut externi motus corporis sic compositi sint, ut in eis nihil sit quod cujusquam offendat aspectum, nihil quod interioris hominis dedeceat sanctitatem. Nam dicitur[2] : *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.*

5° *Humilitas* est virtus qua quis ex verissima sui ipsius cognitione sibi ipsi vilescit. Fundatur in veritate et justitia, unde Deus dicit per Jeremiam[3] : *Si separaveris pretiosum a vili*, id est quod meum est et ex me, a vili, quod tuum est et de te, *quasi os meum eris*, id est verax et jus-

[1] Epist. 138 *ad Marcellinum.* — [2] Eccl. XIX. — [3] Jerem. XV, 19.

tus. Hæc a Div. Thoma [1] vocatur, *totius ædificii spiritualis fundamentum.*

6° *Studiositas* est virtus quæ desiderium sciendi intra justos fines continet.... Huic virtuti opponitur per excessum *curiositas*, et per defectum *negligentia.*

*Curiositas* est vitium quo scientiæ studium et appetitus a debito deficit ordine. Et hoc, juxta Div. Thomam [2], quadrupliciter contingit, nimirum : 1° *In quantum per studium minus utile retrahuntur aliqui a studio quod eis ex necessitate incumbit. Unde Hieronymus dicit : Sacerdotes, dimissis Evangeliis et Prophetis, videmus comœdias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cantare...* 2° *In quantum studet aliquis addiscere ab eo a quo non licet, sicut patet de his qui aliqua futura a dæmonibus perquirunt...* 3° *Quando homo accepit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei...* 4° *In quantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem ; quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Unde dicitur* [3] *:* Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Et postea sequitur :* Multos enim supplantavit suspicio eorum, et in vanitate detinuit sensus eorum.

*Negligentia* est voluntaria omissio studii necessarii ad discenda ea quæ quis discere vel scire tenetur. Est peccatum mortale, si ex ea contingat aliquem ea ignorare, quæ sub mortali scire tenetur, ut advocatus, medicus, Confessarius, etc.

7° *Eutrapelia*, seu *jucunda urbanitas*, est virtus quæ in recreationibus modum servat honestum. Porro, ut honestus modus servetur in jocis, tria necessario cavenda sunt :

*Primum* est, ut vitetur jocatio petulans, offensiva, obscœna, vel parum honesta.

[1] Quæst. 161, art. 5, ad 2. — [2] 2 2, quæst. 167, art. 1. — [3] Eccl. III.

*Secundum*, ut vitetur dissolutio, qua gravitas animæ omnino resolvatur.

*Tertium*, ut ludi et joci congruant personæ, loco, tempori, etc.

*Nota.* Hic nobis esset agendum de variis vitiis, quæ temperantiæ vel virtutibus eis adjunctis opponuntur; verum, cum de *gula et luxuria* jam egerimus ubi de peccatis capitalibus, hic unice agemus de peccatis quæ committi solent contra *modestiam* et *eutrapeliam*, duplici articulo.

## ARTICULUS I.

### DE PECCATIS QUÆ CONTRA MODESTIAM COMMITTUNTUR.

*Nota.* Contra modestiam Christianam peccari potest per usum ornatuum lascivorum, fucorum, larvarum, etc. Ideo

QUÆRES 1. *Utrum ornatus mulierum sint liciti?*

RESP. Licitum est *per se* mulieribus honeste se ornare, tum ut decorem sui status sustineant, tum ut placeant amasiis eas in uxores ducere volentibus, si sint innuptæ; tum ut placeant viris suis, si nuptæ sint, *ne*, inquit Div Thomas [1], *detur eis occasio peccandi cum aliis*. Unde Aquæ tolus [2] dicit: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se.* Sed peccant, saltem venialiter, qossupra conditionem suam vestibus pretiosioribus utuntur.

*Ratio* est, quia supra conditionem suam sese extollere, rationi valde est dissonum: unde Apostolus dicit quod mulieres possint se ornare cum sobrietate.

Dixi *per se*, quia tales ornatus possunt esse peccatum mortale per accidens, ratione, scilicet, pravitatis connexæ, nimirum:

1° *Ratione pravi finis*, nempe dum hæc ornamenta adhibentur ad luxuriam excitandam: *Et si hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter*

[1] 2 2, quæst. 169, art. 1. — [2] 1 ad Timoth. III.

*peccant*, inquit Div. Thomas [1]. Ratio est, quia actus specificatur a fine, finis autem in tali casu est mortaliter malus: ergo, etc.

2° *Ratione scandali*, dum, scilicet, mulieres prævident in casu particulari aut facile prævidere possunt et debent, ex suis vanis et superfluis ornamentis, aliquem ad libidinem fore commovendum, quia cooperantur et consentiunt alterius culpæ mortali; atqui ex Apostolo [2], *digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*: ergo, etc. Unde tales mulieres tenentur sub mortali abstinere ab illo superfluo ornatu, non vero ad diuturnum tempus, ne sua priventur libertate [3].

3° *Ratione causæ*, quæ suapte natura delectationem veneream excitat; ratio est, quia, prohibita graviter re aliqua, prohibentur etiam graviter quæ per se ad illam excitant: tales sunt nudatio pudendorum, vel enormis nudatio pectoris, scapularum, etc., ubi talis mos non viget, quia tunc valde ad lasciviam provocant.

Ubi vero mos nudandi *moderate* pectus, scapulas, etc., viget, quamvis illæ feminæ quæ hunc morem introduxerunt graviter peccaverint, ut omnes consentiunt; quamvis etiam hujusmodi indecens mos a Prædicatoribus et Confessariis, quantum fieri potest, coercendus sit et extirpandus, mulieres tamen *mortaliter* non peccant, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ostentantes pectora nuda ut pulchriores appareant, absque alia mala intentione. Ratio, quia, ex una parte nullo jure naturali, divino aut humano, saltem sub mortali, partem illam absolute tegi postulatur; ex alia autem parte, propter vigorem consuetudinis, assuefactio efficit ut viri ex tali visu minus moveantur ad concupiscentiam, ut experientia constat [4].

[1] 2 2, quæst. 169, art. 1. — [2] Ad Roman. I. — [3] Vid. S. Ligor., lib. III, num. 53 et seqq. — [4] Ita S. Ligor., lib. III, num. 55; Navarrus, Lessius, Layman, S. Thom., 2 2, quæst. 169, art. 2; Salm. et alii plurimi.

4° *Ratione injuriæ*, cum nempe tantus est excessus ut vergat in detrimentum familiæ.

Quæres 2. *Utrum licitum sit uti fucis?*

Resp. Uti fucis absque legitima causa, est per se peccatum veniale ; quia, ait Div. Thomas [1], *fucatio est quædam species fictionis*, seu mendacii ; atqui mendacium est peccatum veniale : ergo, etc.

Dixi 1° *absque legitima causa ;* quia, cum est legitima causa fucis utendi, v. gr. ad suam tegendam turpitudinem, tunc fucatio non est mendacium, nec proinde peccatum : *Sciendum autem*, inquit Div. Thomas, *quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem provenientem, puta ex ægritudine, vel aliquo hujusmodi : hoc enim est licitum.*

Dixi 2° *per se,* quia per accidens fucatio est mortalis, v. gr. *quando fit ad provocandos viros ad lasciviam, vel in contemptu Dei*, cujus opus adulteratur. Ratio est, quia hic finis est mortaliter malus ; actus autem specificantur a fine.

Quæres 3. *Utrum licitum sit uti larvis, et personatum agere ?*

Resp. Cum larvæ de se sint indifferentes, non censentur peccare nisi venialiter per se, qui personatum agunt.

Dixi *per se,* quia personatus potest esse mortale per accidens, puta si sit causa delectationis venereæ in se, vel in aliis.

*Hinc*, si vir personatum ageret in veste feminea, et femina in veste virili, procul dubio posset peccare mortaliter, ex circumstantiis periculi libidinis vel scandali. Unde Div. Thomas [2] ait : *Prohibitum est ne mulier induetur veste virili, aut e converso... ad declinandum luxuriam...;* nam, *quod mulier induatur veste virili, aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, et occasionem libidini præstat* [3] *: Et specialiter prohibetur in lege* [4], *quia Gentiles tali*

[1] 2 2, quæst. 169, art. 2. — [2] 1 2, quæst. 102, art. 6, ad 6. — [3] 2 2, quæst. 169, art. 2, ad 5. — [4] Deut. xxii.

*mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliud hujusmodi.* Secus autem, est tantum veniale, vel nullum, si adsit causa rationabilis, quia præceptum *Deuteronomii*, prout cæremoniale, jam cessavit, ut dicit Cajetanus [1].

Cæterum, cum fuci, larvæ, etc., sint indifferentes, docent communiter Doctores, eos non peccare, qui hæc faciunt aut vendunt, nisi vendant iis quos norunt talibus usuros ad peccandum. Unde postquam Div. Thomas [2] dixit : *Si qua ars sit, cujus operibus homines possunt bene et male uti, sicut gladii, sagitta et alia hujusmodi, usus talium artium non est peccatum ;* addit : *Si tamen operibu alicujus artis, ut pluries, aliqui male utantur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen per officium Principis a civitate extirpandæ.*

## ARTICULUS II.

### DE PECCATIS QUÆ CONTRA EUTRAPELIAM COMMITTUNTUR.

*Nota.* Contra eutrapeliam peccant omnes, qui in jocis et aliis recreationibus, justum et honestum modum non servant, prout sæpe advenit in choreis, comœdiis, etc. Ideo

Quæres 1. *An choreæ sint licitæ ?*

Resp. Cum choreæ de se sint indifferentes, ut constat ex *Eccli.* III : *Omnia tempus habent, tempus saltandi ;* et malæ duntaxat ex pravo utentium affectu, ideo juxta omnes sunt licitæ, modo adsint sequentes conditiones quas assignat Div. Thomas [3] post Albertum Magnum [4].

1° Ut saltans non sit Religiosus aut Clericus, quod ratione scandali potest esse mortale. Unde de Clericis cho-

[1] S. Ligor., lib. III, num. 53, et lib. IV, num. 425. — [2] 2 2, quæst. 169, art. 2, ad. 4. — [3] In cap. 3 *Isaiæ*. — [4] Albert. Magn., in 4 *Sentent.*, dist. 16, quæst. 43.

reizantibus loquens, S. Antonin. [1] dicit : *Cum ordinentur Clerici ad cantandum officium et verba Dei, præcipue in Festis, ad consolationem spiritualem populi, ipsi officiant in ecclesia diaboli, quæ est locus vanitatis, cantando cantilenas, quia sunt verba diaboli vana et turpia,* etc. Unde vetitum fuit illis a Tridentino [2] choreis illicitis assistere, saltem illas ducere.

2° Ut choreæ fiant tempore lætitiæ, ut liberationis gratia, vel in nuptiis et ejusmodi.

3° Ut choreæ non agantur in loco sacro, nec officiorum divinorum tempore.

4° Ut absit in saltantibus animus lascivus, gestus libidinosus, et periculum delectationis venereæ ; quod cum raro absit in choreis, *prout vulgo fiunt,* ideo jure merito Sancti Patres et Ecclesiæ Doctores in choreas insurgunt.

Dixi *in choreis prout vulgo fiunt ;* in quibus nimirum puellæ cum juvenibus, præludente instrumento, per intervalla saltitant colloquiisque, osculis, amplexibus, etc., sese oblectant ; hæ certe choreæ sunt periculosissimæ, quod multorum peccatorum occasiones satis propinquas exhibeant, quas Alexander de Hales [3], pronuntiat malas, *ratione concurrentium, quæ sunt exercitatio ad lasciviam, provocatio ad libidinem, impedimentum cultus Dei ;* addo ipsas pertinere ad pompas sæculi, quas in Baptismo ejuravimus.

Non mirum igitur quod S. Ephrem [4] dicat *a serpente magistro edoctas esse choreas,* quodque S. Carolus Borromæus [5] approbat hanc choreæ descriptionem : *Est circulus, cujus centrum est diabolus, circumferentia angeli ejus.* et Div. Antonin. [6] sic loquatur : *Mulier, secundum Origenem, est arma diaboli : aliquando diabolus bellat cum homine per aspectum mulierum ; aliquando per auditum vocis mulie-*

[1] 2 part., tit. 6, cap. 3. — [2] Sess. 24, cap. 12. — [3] Part. 4, quæst. 48. — [4] Hom. cui titulus est : *Christianos lubricis rebus abstinere oportere.* — [5] Tract. *adversus Choreas.* — [6] Loc. cit.

*rum; aliquando per tactum, sed in choreis per omnes istos modos bellat cum homine.*

Quæres 2. *Utrum exercitium artis theatricæ sit licitum?*

Resp. 1. Exercitium funambulorum est omnino illicitum, quia se exponunt probabili mortis periculo, quo tamen sublato, non videtur illicita ars funambulorum.

Resp. 2. Ars histrionum et comœdorum, licet de se non sit illicita, ut diximus in tract. *de Virtutibus Theologicis* [1], cum ad civitatis decorem, populi recreationem, publicamque lætitiam ordinetur, imo et fuerit inventa ad morum reformationem, cum hodie ars illa plerumque videatur corrupta, his in casibus, *generaliter* loquendo, graviter est illicita et peccaminosa. Quod

Prob. Quia ars theatrica, ut tunc exercetur, ad luxuriam provocat, et est occasio proxima peccati et scandali; ergo, etc. Constat *antec.*; quænam enim illis spectaculis audiuntur, nisi amatoria ?.. quid cernitur? nisi pompa diabolica, viri nempe et mulieres qui verbis et gestibus lasciviam spirantibus, amoris impuri dolos et artes occultas in corda spectatorum conjiciunt, etc. Ergo, etc. Unde componentes et repræsentantes has comœdias notabiliter turpes, graviter peccant, ut dictum est loco citato.

Hinc olim leges declarabant theatricos infames [2], et Canones quidam excludebant comœdos et histriones a perceptione Sacramentorum quamdiu in illa professione viverent [3], tum ab Ecclesiastica sepultura, si in ea usque ad mortem obstinati permanerent [4].

Dixi *generaliter loquendo*, quia non sunt illicitæ comœdiæ : 1° quæ a scholasticis repræsentantur, quia conservant suam puriratem, et actores non sunt diversi sexus; imo sunt maxime utiles tum ad excitandam eorum ad studium æmulationem, tum ad eloquentiam ipsis conci-

[1] *De Scandalo.* — [2] Lib. II, ff. *De his qui notantur infamia*, § 5. — [3] Conc. Arelat., can. 5. — [4] Conc. in Trullo, can. 51.

liandam; 2° comœdiæ quæ fiunt in aulis Principum, a quibus omnia obscœna removentur; 3° quæ non sunt notabiliter turpes: unde illas audientes non peccant mortaliter, nisi experti sint suam fragilitatem; si vero comœdia repræsentat res notabiliter turpes, vel modo turpi, mortaliter peccant spectantes, ob delectationem inde consurgentem; at *venialiter* tantum si ob curiositatem, vel ob solatium vanum, secluso periculo consensus ad turpem delectationem, ut dictum est loco citato.

# TRACTATUS

DE

# JUSTITIA ET JURE.

*Nota.* Ut in tam difficili simulque tam necessaria scitu materia aliquem instituamus ordinem, hunc tractatum in triplicem dividemus partem, et agemus : 1° de natura et principiis justitiæ et juris, quod est fundamentum justitiæ; 2° de violatione juris, seu de injuria ; 3° de reparatione juris violati, seu de restitutione.

## PARS PRIMA.

### DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS.

*Nota.* Tres erunt dissertationes: *prima,* de notionibus generalibus justitiæ et juris ; *secunda,* de dominio et aliis speciebus juris ; *tertia,* de modis acquirendi dominium.

## DISSERTATIO I.

### De notionibus generalibus justitiæ et juris.

Videndum est 1° de justitia; 2° de jure; 3° de origine justitiæ et juris, tribus capitibus.

# CAPUT I.

## DE JUSTITIA.

Hic inquirimus essentiam, divisionem et objectum **justitiæ**, tribus articulis.

## ARTICULUS I.

### DE ESSENTIA JUSTITIÆ.

QUÆRES : *Quid sit justitia ?*

RESP. Justitia sumitur tribus modis : 1° *pro gratia sanctificante,* quam qui habet dicitur justus ; 2° *pro complexione omnium virtutum ;* sic qui legem adæquate implet, vocatur justus. Justum enim dicitur quod est adæquatum, et commensuratum suæ regulæ ; 3° *pro speciali virtute morali,* de qua hic disserimus, et hoc sensu accepta, justitia definitur a jurisconsultis, post Ulpianum [1], *constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Ubi nomine *voluntatis* non intelligitur facultas animæ, sed habitualis et firma propensio voluntatis : additur *constans et perpetua*, quia cum sit habitus, debet esse pluribus actibus firmata.

Clarius definitur : *virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

Dicitur 1° *virtus moralis,* pro genere : et quidem *virtus*, quia reddere unicuique quod suum, est aliquid honestum et rectæ rationi consentaneum. Deinde *moralis,* ut distinguatur a virtutibus Theologicis, quæ Deum habent objectum ; hujus autem virtutis objectum immediatum est jus proximo reddendum, et sic disponit unum ad alterum.

Dicitur 2° *firmans voluntatem ;* quia est habitus constanter bene disponens subjectum suum ; qui enim semel aut

[1] Lib. x, ff. *de Justitia et jure.*

bis, non vero semper et in omni eventu vellet cuique suum jus reddere, non haberet virtutem justitiæ.

Dicitur 3° *alteri ;* quia nulla est stricte justitia ad seipsum; justitia enim debet constituere æqualitatem, quæ necessario dicit relationem ad duo ; atqui homo idem, non est alter seipso: ergo. Ex quo concludunt Theologi nullam perfectam justitiam esse posse inter Deum et creaturas, patrem et filium, dominum et mancipium; quia inter eos, prout tales, non est perfecta alternitas; creatura enim est participatio divini esse, a quo dependet in esse et conservari ; pater est principium filii ; filius est fructus patris, et pars ab ipso decisa; dominus habet dominium despoticum in mancipium, quo potest illud donare, vendere, etc.; mancipium est possessio domini; quare cum tanta inter ipsos sit unio, majus est debitum quam justitiæ vulgaris, nimirum debitum religionis erga Deum, pietatis erga patrem, amoris erga filium, obedientiæ erga dominum; despoticum erga mancipium.

Dixi 1° *alteri*, id est cuique, nam justitia non facit acceptionem personarum, sive divitum, sive pauperum.

Dixi 2° *qua tales*, quia, si spectentur non in esse relativo, sed in esse absoluto quatenus homines, tunc habere possunt jura distincta, et sic inter eos potest esse justitia et injustitia, ut si filius occidat patrem, etc.

Dices : In Deo respectu creaturæ est justitia, ex Apostolo dicente : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Judex* [1] : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Est justitia *commutativa,* nego ; nihil enim Deus creaturis debet stricto jure; *distributiva,* subdist. : *stricte dicta*, ut Deus posset dici injustus si id non tribueret, *nego ; late dicta*, sumpta pro fidelitate in promissis, *conc.* Hinc Augustinus ait : *Reddis debita, nulli debens* [2].

Dicitur 4° *jus suum,* id est, debitum ex jure; neque enim

[1] II ad Tim. IV, 8. — [2] Lib. IV *Confess.*, cap. 4.

jus sumitur hic *formaliter*, prout est legitima facultas ad aliquid; sed *objective*, prout est debitum rigorosum, cujus violatione non solum contrahitur turpitudo moralis, ut in aliis debitis, v. gr. gratitudinis, sed etiam obligatio restitutionis.

Dicitur 5° *ad æqualitatem*, id est, per commensurationem rei quæ reddi debet, cum jure alterius: hinc, qui debens centum nummos, solvit centum, servat æqualitatem. Per hoc justitia distinguitur a religione et pietate, quæ æqualitatem non servant, cum nec Deo, nec parentibus tantum possimus reddere, quantum debemus.

## ARTICULUS II.

### DE DIVISIONE JUSTITIÆ.

QUÆRES 1. *Quomodo dividatur justitia?*

RESP. Cum justitia dicat ordinem unius ad alterum, totuplex erit justitia in societate, quotuplex hujus relationis ordo; triplex autem distinguitur ordo in societate, nempe partium ad totum, totius ad partes, et partium ad partes; igitur dividitur in *legalem*, *commutativam*, *distributivam* et *vindicativam*.

QUÆRES 2. *Quid sit justitia legalis*, seu generalis?

RESP. Est *virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum Reipublicæ debitum ratione* juris alti, *quod habet in personas privatas et eorum bona*.... Jus Reipublicæ vocatur *altum*, quia prædominatur juri particularium in sua bona, quo non obstante, Respublica de bonis particularium potest disponere prout postulat communitatis bonum.

QUÆRES 3. *Quotuplex sit justitia legalis?*

RESP. Duplex, nempe: *imperans* et *exequens*.... *Prima* residet in Principe seu magistratu, quatenus dirigit actus omnium civium sibi subditorum, ad bonum commune... *Secunda* residet in civibus, prout ea exequuntur quæ ad

bonum commune pertinent. Huic justitiæ contrariatur inobedientia.

Quæres 4. *An justitia* legalis *sit quædam specialis virtus?*

Resp. *affirm. cum Div. Thoma*[1], quia justitia *legalis* habet objectum formale ab objecto aliarum virtutum distinctum; respicit enim bonum commune prout a *parte* in gratiam *totius* est procurandum: ergo, etc.

Dices *cum Aristotele*[2]: Justitia legalis est complexio omnium virtutum: ergo non est virtus specialis.

Resp. *Dist. ant.* Est complexio omnium virtutum *directive,* quatenus actus aliarum virtutum ordinat ad bonum commune, *conc.; formaliter,* quasi ipsa sit omnis virtus, *nego.* Ratio est, quia habet objectum speciale.

Quæres 5. *Quid sit justitia* commutativa?

*Nota* ante responsionem, quod duplex distinguatur proportio: *arithmetica* nimirum, et *geometrica.*

Proportio *arithmetica* est æqualitas rei ad rem, solutionis ad debitum, nullo habito respectu ad conditionem personæ cui fit solutio; unde qui recepit centum, tenetur ex illa proportione reddere centum, tam diviti quam pauperi.

Proportio *geometrica* est adæquatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis et meriti personarum quibus res distribui debent. His notatis,

Resp. Justitia *commutativa* est virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato *debitum rigorosum secundum proportionem arithmeticam...* Vocatur *commutativa,* quia moderatur commutationes, scilicet contractus onerosos, licet versetur etiam circa gratuitos. Et ideo contrariantur huic virtuti omnia vitia quæ inferunt nocumentum alteri in vita, in honore et in bonis externis.

Dicitur 1° *debitum rigorosum,* nempe fundatum in jure *in re,* vel in jure *ad rem.*

[1] Art. 6. — [2] Lib. v *Ethic.*, cap. 1 et 3.

Dicitur 2° *secundum proportionem arithmeticam*, id est secundum æquilitatem rei ad rem, mercedis ad laborem et hæc est ratio cur justitia commutativa dicatur attingere *medium rei*, quod semper idem est respectu cujuscumque personæ. At vero aliæ species justitiæ, item aliæ virtutes morales servant *medium rationis*, quod pro personarum diversitate diversum est; sic temperantia aliter infirmo, aliter sano mensuram alimentorum determinat; quod enim infirmo nimium est in ratione potus, id robusto parum est.

*Colliges* ex dictis justitiam tribus potissimum modis distingui a reliquis virtutibus moralibus : 1° a Theologicis, a Religione, a pietate et ab aliis justitiæ partibus, ut dictum est mox supra. 2° Quod justitia primario disponit actiones externas ad alterum, et res ut sunt actionum materia, dum aliæ virtutes dirigunt principaliter interiores animi affectus. 3° Quod justitia attingat *medium* seu *mensuram rei*, et reliquæ virtutes *medium rationis*.

Quæres 6. *Quid sit justitia* distributiva ?

Resp. Est *virtus moralis inclinans eum qui communitati præest, ad distribuenda officia et præmia juxta meritum, si sit remuneratoria; vel ad irrogandas pœnas juxta modum culpæ, si sit vindicativa.* Hinc justitiæ distributivæ contrariatur *acceptio personarum*. Cum tamen agitur de justitia vindicativa, superior pœnam condignam minuere vel totaliter condonare potest in gratiam præteritorum meritorum, vel futurorum pro societate obsequiorum.

Quæres 7. *Quænam ex speciebus justitiæ sit* stricte dicta *justitia ?*

Resp. Sola justitia *commutativa*, quæ reddit alteri quod ei stricto jure debetur; unde ex ea sola oritur obligatio restitutionis, ita ut undequaque veniat læsio juris, necessario reparari debeat; unde Augustini axioma: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum;* non autem ex distributiva vel vindicativa, nisi quatenus commutativæ

ciantur, quod plerumque contingit, ut constat variis emplis quos subjicio.

1° Magistratus aut Superiores Ecclesiastici qui Bene-ia et Officia debent quidem conferre dignioribus, qui m non habeant jus strictum, non ipsis fit injuria quæ ad stitutionem obliget, si aliis conferant; peccant tamen ntra justitiam *distributivam* ob injustam personarum ceptionem.

Quod si Officia indignis conferrent, tunc damna inde nergentia tenerentur resarcire, quia, licet non teneantur icto jure utilissima quæque Reipublicæ procurare, te-ntur tamen hoc jure necessaria subministrare; unde si-il peccarent contra justitiam *distributivam* et *commuta-am*.

2° Qui animo vindictæ aut examinis defectu, variis one-ous, annuis tributis (gallice *taille*), aliquos plus æquo erant, alios exonerant, ad restitutionem tenentur, quia vati jus habent ne supra vires suas premantur; unde ccant contra *utramque justitiam*.

3° Qui in concursu præferunt dignum digniori, tenentur restitutionem, quia superior qui ad concursum vocat, ctum init cum concurrentibus de conferendo Beneficio t Officio ei qui, omnibus mature ponderatis, alios supe-erit : ergo tunc peccat contra jus dignioris; ergo con-*utramque justitiam*.

4° Judex aut magistratus, qui ex violatione justitiæ *vin-ativæ*, est in causa cur privati sua boua non possint re-perare, vel cur communitas gravia patiatur detrimenta, ligatur ad restitutionem; quia simul cum *vindicativa* lant justitiam *commutativam;* infinita sunt ejusmodi empla.

## ARTICULUS III.

### DE OBJECTO JUSTITIÆ.

QUÆRES 1. *Quodnam sit objectum* materiale *justitiæ?*

RESP. Est *res, vel actio debita* et *reddenda.*

PROB. Illud est objectum *materiale* virtutis, circa quod ita versatur illa virtus, ut circa idipsum aliæ quoque virtutes versari possint; atqui talis est *res vel actio debita et reddenda*, cum religio, pietas, gratitudo versentur circa res Deo, parentibus et benefactori debitas : ergo, etc.

DICES : Justitia versatur etiam circa passiones quas debet moderari : ergo non tantum versatur circa actiones.

RESP. *Dist. ant.* Versatur circa passiones moderandas *imperative*, conc.; *elicitive*, nego ant.

Itaque proprium officium justitiæ non est curare ne homo nimium irascatur, aut ne voluptates amet plus quam par est, sed ut unicuique præstet quod ei debitum est; sed cum possit per iram, amorem pecuniæ, etc., a suo officio impediri, tamen ejus non est hæc impedimenta tollere per se ipsam, sed præsidio aliarum virtutum, quarum actus externos ad suum finem intrinsecum idoneus imperare potest, tuncque erit justitiæ *imperatus*.

QUÆRES 2. *Quodnam sit objectum* formale *justitiæ?*

RESP. Est *res aut actio prout stricte debita et ad æqualitatem reddenda.*

PROB. Objectum *formale* virtutis est objectum ipsum *materiale* prout consideratur sub respectu quodam speciali, sub quo ab aliis virtutibus non attingitur : atqui *actio prout stricte debita et ad æqualitatem reddenda*, ita spectatur a justitia, ut sub eodem respectu ab aliis virtutibus non attingatur : ergo, etc.

# DISSERTATIO II.

## De Jure.

Duo erunt hujus dissertationis capita : primum, *de jure in genere et ejus divisione ;* secundum, *de jure in specie.*

## CAPUT I.

### DE JURE IN GENERE.

*Nota.* Jus quintuplici modo accipitur : 1° *pro lege;* sic dicitur jus naturale, positivum, etc., de quibus fuse diximus in tract. *de Legibus ;* 2° *pro re justa,* seu pro objecto justitiæ, quo sensu, res ad nos pertinens dicitur jus nostrum ; 3° *pro scientia juris,* vel jurisprudentia, quæ dicitur ars justi et boni ; 4° *pro sententia* judicis ; 5° *pro legitima facultate ad aliquid,* hoc ultimo modo hic sumitur nomen juris, de quo

QUÆRES 1. *Quid sit jus ?*

RESP. Est *legitima facultas ad aliquid vel faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo disponendum in suum commodum,* cujus violatio injuriam constituit; vel, ut ait Mastrofini [1] : « Le droit « est la faculté appartenant aux êtres raisonnables, fon- « dée sur une chose qui leur appartient, intérieure ou ex- « térieure, de faire ou de ne pas faire, et même d'empê- « cher qu'un autre fasse. Ainsi nous avons droit sur tout « ce qui nous appartient. Donc le droit suppose la pro- « priété, le domaine, etc. »

Dicitur 1° *potestas,* quæ se habet vel in modum potentiæ activæ, ut quando est jus ad aliquid agendum vel retinendum ; vel potentiæ passivæ, ut jus quod habes ut alaris, ut tibi serviatur, etc.

[1] De l'Usure, liv. II, num. 281.

Dicitur 2° *legitima*, id est, a lege concessa, quia facultas quæ non est conformis legi, non est jus, sed injuria; lex autem illa vel est naturalis, v. gr. jus ad tuendam vitam; vel divina, v. gr. jus ad Sacramenta percipienda; vel humana, v. gr. jus ad præscribendum, acquirendum, etc.

Dicitur 3° *ad aliquid faciendum*, nempe circa rem alienam in suum commodum, salva ejus substantia, v. gr. jus transeundi per alterius fundum; estque jus *servitutis*.

Dicitur 4° *prohibendum*, v. gr. ne aperiat fenestram in tuum hortum.

Dicitur 5° *ad obtinendum*, v. gr. hæreditatem, quia est filius.

Dicitur 6° *ad aliquid retinendum*, v. gr. pignus in securitatem debiti.

Dicitur 7° *ad utendum re vel ea fruendum*, nimirum, salva ejus substantia, ut fit in usu et usufructu.

Dicitur 8° *ad disponendum de re*, ut fit per dominium; hæc descriptio continet speciem juris.

Dicitur 9° *in suum commodum*, quibus particulis secernitur jus *proprietatis* a jure, *jurisdictionis*; nam istud principaliter tendit in bonum subditorum, illud vero ad servandum aliquem indemnem in eis quæ sunt sua, vel ipsi debita.

Quæres 2. *Quomodo dividatur jus?*

Resp. 1. Si in lato sensu pro lege acciperetur, jus divideretur sicut lex: scilicet, in jus *divinum*, aliud *vetus*, aliud *novum*; in jus *humanum*, et illud in jus *canonicum*, quod auctoritate Pontificis vel Concilii conditum est; in jus *gentium*, in jus *civile*, de quibus fuse disseritur in tractatu *de Legibus*.

Resp. 2. Si accipiatur in stricto sensu, dividitur in *jus in re*, et in *jus ad rem*.

*Jus in re* est jus quod quis habet in re jam sua et obtenta.

*Jus ad rem* est jus quod quis habet, ut res aliqua fiat sua.

QUÆRES 3. *Quænam requirantur ut aliquis habeat jus in re?*

RESP. *Tria.* 1° *Existentia rei,* cujus defectu, Ecclesiastici non habent jus in re circa fructus suorum Beneficiorum sequenti anno percipiendorum, licet habeant jus ad rem. 2° *Titulus*, v. gr. emptio, donatio, etc., cujus defectu, fures et usurarii non habent jus in re, circa pecunias furto vel usura acquisita. 3° *Traditio*, cujus defectu, emptor equi, pro quo pretium persolvit, non habet jus in re erga equum, quamdiu equus non est illi traditus; habet tamen jus ad rem, ad quod acquirendum requiritur et sufficit titulus.

QUÆRES 4. *Quodnam discrimen intercedat inter eum qui habet jus in re, et eum qui habet jus ad rem?*

RESP. Ei qui habet *jus in re,* conceditur *actio realis*, ita ut res illa possit vindicari et repeti quocumque transierit; quia res omnis transit cum suo onere, quo est affecta. Ei autem qui habet *jus ad rem,* conceditur tantum *actio personalis* in eum qui illam rem debet, quia non res, sed persona est tunc obligata; tale est jus donatarii et emptoris ad rem donatam et emptam, ante ejus traditionem; item, jus præsentati ac legitime electi ad Officium, vel Beneficium, ante institutionem et possessionem.

*Nota. Actio* hic est jus prosequendi in judicio id quod vel suum est, et est *actio realis;* vel quod sibi debetur, et est *actio personalis.*

QUÆRES 5. *In quo differant jus naturale et jus positivum?*

RESP. In multis. Et quidem 1° in eo quod ea quæ sunt juris *naturæ* ideo sint præcepta, quia bona; ideo prohibita, quia mala; ea vero quæ sunt juris *positivi,* ideo sint bona, quia præcepta, ideo mala, quia prohibita. Ante igitur præceptum hæc sunt indifferentia, vel habent a *parte rei* quamdam congruitatem, et bonitatem vel malitiam, ex qua nulla oritur obligatio ad illa omittenda vel facienda.

2° Quod juris *naturalis* Deus sit auctor, quatenus est auctor naturæ, unde vocatur etiam jus *divinum; positivi*

autem *divini* etiam Deus sit auctor, sed quatenus est supremus legislator; *humani* vero, homo.

3° Quod jus *naturale* obliget omnes; jus autem *positivum* eos tantum quibus vel a Deo, vel ab hominibus imponitur.

4° Quod jus *naturæ* sit immutabile, jus *positivum* mutabile. Hæc omnia probantur et explicantur in tractatu *de Legibus*.

## CAPUT II.

### DE JURE IN SPECIE.

*Nota.* Sex sunt species juris, scilicet: usus, usufructus, servitus, habitatio, superficies et dominium, de quibus in duabus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### DE QUINQUE PRIMIS SPECIEBUS JURIS, NIMIRUM: DE USU, USUFRUCTU, SERVITUTE, HABITATIONE ET SUPERFICIE.

### ARTICULUS I.

#### DE USU[1].

*Nota.* Usus duplex est: nimirum *usus juris*, et *usus facti*.

*Usus juris* est *jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia.*

Dicitur 1° *utendi tantum*, ut distinguatur ab usufructu, in quo non solum datur jus utendi, sed etiam jus fruendi, id est, omnes fructus percipiendi, dandi, vendendi; simplex usuarius autem re aliena uti non potest, nisi pro se aut sua familia, quantum quotidiana requirit necessitas; unde non potest ipsos fructus vendere, locare, dare, etc[2]

[1] Cod. civ., art. 625 et seqq. — [2] Instit. *de Usu et habit.*

Dicitur 2° *salva ejus substantia*, ut excludatur jus ad usum, quo res consumitur vel alienatur, v. gr. ad usum vini, olei, quod potius dici debet dominium quam usus.

*Usus facti* est *actualis usus rei alienæ, revocabilis ad nutum concedentis.*

Dicitur 1° *actualis usus*, per quod distinguitur ab usu juris quod dicit strictum jus utendi, et consequenter dominium, saltem utile et indirectum, importat.

Dicitur 2° *revocabilis ad nutum concedentis*, quovis momento et prout voluerit, sine injuria usuarii, donec ab eo res consumpta fuerit.

Notandum tamen illa verba: *salva ejus substantia*, non esse stricto sensu accipienda, nisi agatur de terra, quæ per se est frugifera sine sui consumptione vel alteratione; nam res aliæ quæ sunt in dominio hominis, *substantialiter* consumuntur per qualemcumque usum. Res enim non dicitur utilis, nisi in quantum ea possumus uti; res autem quæ prorsus ad nihil esset utilis, nullius esset valoris, nec fieri posset objectum dominii. Quando igitur exhauriuntur omnes usus quos aliqua res præbere potest, res ipsa *substantialiter* fit inutilis, id est, penitus destruitur; nam tandiu est adhuc utilis, quandiu ad aliquid inservire potest, quia tunc usus omnes quos præbere valet, nondum penitus sunt exhausti. Res igitur utiles nihil aliud sunt quam collectio, seu aggregatio quorumdam usuum, ut ita dicam, quibus exhaustis, res quoque est penitus destructa. Quoties igitur re aliqua utimur, toties aliquid de sua substantia consumimus. Sic, v. gr. vestis quæ decem annos perdurare dicitur, media pars ejus usuum et substantiæ deperditur, si per quinque annos ea quis utitur. Similiter de equo cujus vita viginti annis constituitur: totum *substantialiter* illum habet, qui per totam ejus vitam sibi laborare fecit, et sic de cæteris. Uti igitur aliqua re, nihil aliud est, quam aliquid de ejus substantia, vel vita adimere.

*Nota* hic celebrem ortam esse quæstionem occasione

Regulæ Fratrum Minorum, quæ sic habet : *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*[1], utrum, scilicet, simplex usus facti distinguatur a dominio in rebus *unico actu consumptibilibus*, ut sunt panis, vinum, oleum, etc.

Dixi *unico actu consumptibilibus ;* ultro enim concedunt omnes usum rerum quæ pluribus actibus consumuntur, distingui a dominio, ut sunt vestes, libri, etc. Ratio est, quia quotidie earum rerum domini, usum ipsarum concedunt aliis, reservato sibi dominio. His diligenter notatis,

## CONCLUSIO.

*In rebus etiam unico actu consumptibilibus separabilis est usus facti a dominio.*

Prob. 1. Auctoritate SS. Pontificum, Nicolai III[2], Clement. V[3], Alexand. IV[4], affirmantium *Minoritas rerum unico actu consumptibilium, tam in communi, quam divisim, simplicem tantum usum habere : earumque dominium penes donantes remanere, vel, si dominium abdicaverint, penes Sedem Apostolicam existere:* ergo, etc.

Prob. 2. *Ratione.* Ut usus separetur a dominio in rebus unico actu consumptibilibus, sufficit ut quis possit earum usum concedere, non concesso dominio; atqui hoc non repugnat.

*Prob. min.* Potest quis concedere alicui usum rei pro nutu et arbitrio revocabilem; atqui, hac facta suppositione, quæ nullatenus repugnat, qui usum habebit, non habebit dominium : ergo, etc.

*Prob. min.* Dominium est jus in re absolutum et firmum, independens a cujuscumque nutu et arbitrio: ergo qui habebit usum pro arbitrio revocabilem, non habebit domi-

[1] Reg., ff. *Min.*, cap. 6. — [2] Cap. *Exiit qui seminat, de Verbo signif.*, in 6. [3] Clem. *Exiri de Paradiso.* — [4] Bulla *Uberes fructus*, etc.

nium: ergo usus rei unico actu consumptibilis potest separari a dominio.

*Confirmatur* exemplo convivæ, qui habet usum ciborum sibi appositorum; atqui tamen eorum dominus non est, utpote semper revocabilis talis usus ad nutum invitantis, qui cibos mensæ appositos removere aut pauperibus elargiri potest sine injuria convivæ: ergo conviva habet usum sine dominio: ergo usus potest separari a dominio.

OBJICIES 1. Joann. XXII [1] negavit ejusmodi usum separari posse a dominio: ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* In hac enim controversia quæ ad fidem non spectat, potuit ab aliis dissentire absque præjudicio majoris probabilitatis, quam sibi vindicat nostra sententia.

*Præterea,* Joann. XXII confundit jus revocabile utendi rebus unico actu consumptibilibus, cum jure stricto utendi his rebus; ideo non mirum est quod censeat usum facti sic intellectum a dominio non distingui.

INST. 1. Qui ita disponere potest de re aliqua cujus substantiam possit destruere, verum illius habet dominium: sed qui re unico actu consumptibili potest uti, potest eamdem destruere: ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Si possit ipsam destruere *stricto jure et independenti*, conc.; *jure dependenti* ab alterius revocabili concessione, quale habent Minoritæ, *nego maj.*

INST. 2. Inde sequitur Minoritas non habere jus utendi pane sibi concesso: ergo illis talis usus est illicitus, nec injustus est qui ipsis aufert.

RESP. *Dist. ant.* Non habent jus *strictum et absolutum*, conc. ant.; non habent jus *ab alieno nutu dependens* donec res ipso facto consumatur, saltem moraliter, ut fit in ipsa actuali comestione, *nego ant.*

OBJICIES 2. Div. Thom. [2] docet in rebus unico actu consumptibilibus non posse concedi usum, quin conce-

[1] Extrav. *Ad conditorem.* — [2] 2 2, quæst. 78, art. 1 *in corp.*

datur *ipsa res ejusque dominium*; unde concludit in mutuo usu talium rerum, non posse exigi usuram, id est, pretium usus distinctum a pretio rei : ergo sentit *jus utendi* non distingui in his a dominio.

Resp. Div. Thom. loqui de usu juris independente ab alio, quod sane nihil vel parum distinguitur a dominio in rebus quæ unico actu consumuntur; nos vero de usu facti.

*Ergo*, inquies, pro pecunia licebit duplex pretium accipere : unum pro usu, aliud pro dominio ; sed hoc aperit viam usuris.

Resp. 1. *Nego paritatem*. Nam pecunia non est res quæ primo usu consumatur, sed est repræsentans omnium rerum quæ sunt in commercio hominum, ut dicemus ubi de usura ; sed esto, *nego suppositum antecedentis*, quod est falsum, cum in mutuo transferatur usus juris, non simplex usus facti.

Resp. 2. *Nego min*. Ut enim omnis tollatur usura, sufficit ut usus et dominium, divisim sumpta, pluris vendi non debeant, quam in conjunctim venderentur ; atqui sic se res habet : ergo, etc.

Quæres : *Ad quid teneatur usuarius ?*

Resp. Tenetur 1° rem integram (id est reliquos usus rei superstites) conservare proprietario ; 2° non uti re concessa, nisi ad suum usum quotidianum : unde si ipsum usum vel ejus partem daret, locaret, etc., teneretur de damno; 3° re uti tanquam bonus paterfamilias : hinc debet usuarius in usus initio inventorium conficere, et cautionem præbere, si opus sit, pro rebus usui concessis ; 4° solvere tum debita ordinaria quibus gravatur res, qualia sunt salaria, tributa annua et similia ; tum modicas impensas pro rei reparatione, gallice d'*entretien*, ut res in integro suo statu servetur.

## ARTICULUS II.

### DE USUFRUCTU [1].

Quæres 1. *Quid sit ususfructus?*

Resp. Est *jus utendi et fruendi rebus alienis, salva earum substantia* [2].

Dicitur 1° *jus utendi,* ut excludatur jus quod habet creditor in pignore vel hypotheca; item depositarius in deposito; hi enim non possunt uti rebus illis; qui si utantur, tenentur a restitutionem secundum æstimationem usus.

Dicitur 2° *fruendi*, ut distinguatur ususfructus a mero usu. Nam simplex usuarius habet solummodo usum rei, v. gr. equi, domus, agri, sylvæ, ad necessitatem quotidianam [3]; sed usufructuarius non habet tantum jus *utendi* re illa in qua constitutus est ususfructus, sed insuper *fruendi,* id est, percipiendi omnes fructus, v. gr. in *grege* lanam, lac, fœtus; *in fundo*, fœnum, segetes, lapides, salices, et omnes arbores cæduæ, gallico, *bois taillis;* in *aqua,* proventus piscationis: uno verbo quidquid percipere vel cædere potest paterfamilias, quia usufructuarius personam proprietarii, quoad dominium utile, agere censetur. Arbores vero grandiores, nisi valde vetustæ et inutiles, sicut et fructiferæ, non censentur in fructu.

Item *usufructuarius* potest omnem utilitatem ususfructus et usum juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare aut vendere sine consensu proprietarii [4].

Dicitur 3° *rebus alienis*, per quod distinguitur a dominio; *minime enim res sua servit, sed prodest jure domini* [5].

Dicitur 4° *salva earum substantia*, quia fructuarius debet rem integram proprietario reservare: unde tenetur de damnis sua culpa proprietario illatis.

[1] Vid. Cod. civ., num. 578 et seqq. — [2] Lib. I *de Usufructu.* — [3] Lib. XII, ff. *de Usufructu.* — [4] Ibid. — [5] Lib. XXVI *de Servitute præd. rust.*

QUÆRES 2. *Ad quid teneatur fructuarius, ut salva maneat rei substantia?*

RESP. Ad quinque sequentia :

1° Tenetur præstare cautionem de re utenda instar boni patrisfamilias, nec potest uti jure suo, nisi inventario bonorum confecto.

2° *Si gregis usumfructum habeat, in locum capitum demortuorum,* alia capita *e fœtu* quem percipit, *submittere debet*[1], quæ ubi substituta fuerint, cedunt in dominium proprietarii. Quod si non sit fructuarius gregis, sed tantum singulorum capitum divisim, non tenetur alia substituere capita[2].

3° Si ususfructus sit constitutus in sylva aut vinea, tenetur fructuarius *in locum demortuarum arborum aut vitum, alias plantare*[3]*; arbores vero vi tempestatis, non culpa fructuarii, eversas, ab eo substitui non placet,* ait Justinianus[4], sicut et alia jura. At illi nullum jus competit in metalli fodinas vel lapidicinas, quæ non fuerunt apertæ, nec in alias materias ad comburendum, quæ nondum effodi cœperant, nec in thesauros qui durante usufructu invenirentur.

4° Si in ædibus sit constitutus ususfructus, tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, ut integræ permaneant (gallice, *frais d'entretien*); non tamen tenetur ad magnos sumptus, quibus efficiantur meliores[5].

5° Ei incumbunt onera rei fructiferæ annexa, ut tributorum solutio.

*Nota.* Usufructuarius percipit naturales et industriales fructus in initio pendentes, sine onere solvendi proprietario pro cultura, semine, etc. ; et reciproce, si discedat ante maturitatem fructuum, illos relinquere debet proprietario, sine compensatione.

Fructus autem civiles, id est pretia locationis, domo-

[1] *Instit. de rer. div.*, § 38. — [2] Leg. 70, ff. *de Usufructu.* — [3] Leg. 18, ff. *de Usufructu.* — [4] Leg. 59, eod. tit. — [5] *Inst., De rer. divisione*, § 38.

rum, etc., de die in diem acquiruntur, et ideo dividi debent pro rata parte temporis quo duravit usufructus.

QUÆRES 3. *Quomodo acquiratur ususfructus?*

RESP. Acquiritur dupliciter: 1° *legis dispositione*, talis est quem pater habet in peculio filii adventitio; 2° *privata dispositione*, puta testamento, contractu [1].

QUÆRES 4. *Quomodo amittatur ususfructus?*

RESP. Jure Romano amittitur: 1° per mortem fructuarii; 2° per destructionem rei; 3° per præscriptionem factam a directo domino, scilicet si usufructuarius neque per se, neque per alium spatio ad præscriptionem determinato, jure suo non utatur, et interim utatur proprietarius. 4° Omnimoda mutilatione, v. gr. si pratum fiat stagnum; 5° consolidatione, v. gr. si usufructuarius fiat dominus rei; 6° renunciatione, quæ tamen si sit fraudulenta, poterit invalidari; 7° *majoritate* adepta, vel *emancipatione* filiorum, vel pro matre ad secundas nuptias *convolata*. His in casibus, parentes amittunt usumfructum quem habent in bona filiorum minorum [2].

In Gallia amittitur tum morte naturali, tum morte civili.

## ARTICULUS III.

### DE SERVITUTE [3].

*Nota.* Servitus sumi potest *active* vel *passive*.

Servitus *active* sumpta, est *jus quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat*, id est, ut in ea aliquid fiat, vel non fiat in suum commodum.

Servitus *passive* sumpta, est *subjectio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat, in commodum alterius, salva rei substantia.*

[1] *Inst., de Usufructu*, § 1. — [2] Cod. civil., art. 384 et seqq. — [3] Cod. civ., art. 657 et seqq.

QUÆRES 1. *Quotuplex sit servitus?*

RESP. Duplex, scilicet: *realis* et *personalis*.

*Realis* est ea per quam res *rei* servit; ut si ager tuus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi jus transeundi per tuum.

*Personalis* est ea qua res *personæ* obligatur, vel *persona* rei. *Res quidem*, ut si habeam jus, non propter agrum, sed aliunde hac transeundi. *Persona vero rei*, ut si Titius agrum meum excolere debeat.

QUÆRES 2. *Quomodo dividatur servitus realis?*

RESP. Dividitur 1° ratione *originis*, et est triplex: *naturalis*, scilicet, quæ constituitur ad naturalem locorum dispositionem, v. gr. si ager inferior tenetur suscipere aquas quæ ex agro superiori naturaliter fluunt; *legalis*, quæ per legem constituitur, v. gr. jus luminis, stillicidii, etc.; *conventionalis*, quæ hominum facto et conventione stabilitur.

Dividitur 2° ratione *modi*, et est vel *continua*, vel *non continua*. *Continua* est quando non indiget hominis facto ut durare possit, puta luminis, aquæductus, etc.; *non continua*, quando sine facto hominis exerceri nequit, v. gr. servitus itineris pecoris pascendi, aquæ hauriendæ, etc. Iterum ratione *modi*, est *apparens* vel *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, v. gr. janua, fenestra, etc., vel tali signo caret, puta prohibitio ædificandi in tali loco, altius tollendi domos, etc.

Dividitur 3° in *urbanam*, quæ prædio urbano debetur; et in *rusticam*, quæ prædio rustico debita est.

Prædium *urbanum* est omne ædificium habitandi causa confectum, sive in urbe, sive in villa, et hortus ei annexus [1].

Prædium *rusticum* sunt ager, vinea, pratum, pecorum stabulum a domo sejunctum.

QUÆRES 3. *Quot sint servitutes tum urbanæ, tum rusticæ?*

[1] Leg. 192, ff. *de Verb. signific.*

Resp. 1. *Urbanæ* sunt: 1° ut lignum in tuum parietem admittatur; 2° ut stillicidium in tuas ædes recipiatur; 3° ut murus altius non attollatur; 4° ut fenestra in muro non aperiatur [1].

Resp. 2. Servitutes rusticæ aliæ sunt *nominatæ*, aliæ *innominatæ*.

1° *Servitutes nominatæ*, sunt *iter*, *actus*, *via*, *aquæductus* [2].

*Iter* est jus quo pedes aut eques potest transire, vel ambulare per alienum fundum; non tamen ducere jumentum aut vehiculum.

*Actus* est jus agendi vehiculum aut jumentum.

*Via* complectitur utrumque jus itineris et actus.

*Aquæductus* est jus ducendi aquam per alienum fundum.

2° *Servitutes innominatæ* sunt jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, arenæ fodiendæ, calcis coquendæ, etc. [3]

Quæres 4. *Quænam sint jura et obligationes servitutum?*

Resp. Regulariter loquendo, ea pendent a natura rei, lege vel conventione. Deficiente vero conventione, præcipua jura sic statuuntur.

1° Qui *active* jus habet ad servitutem, omnia perficere potest opera quæ necessaria sunt ad ea utendum et ad eam conservandum.

2° Si dividatur fundus, ad cujus utilitatem constituta est servitus, hæc debetur cuique parti fundi divisi.

3° Servitutem serviens nihil agere potest ex quo servitutis usus minueretur; et reciproce, is cui debetur servitus, nihil facere potest unde conditio, v. gr. prædii servientis, gravior evadat; ita fert æqualitas, cui varia jura consonant.

*Hinc* 1° Si agatur de servitutibus naturalibus, non po-

[1] Leg. 2, ff. *de Servit. præd. urban.* — [2] Leg. 1, ff. *de Servit. præd. rust.*
[3] *Dig.*, toto tit. *de Servit.*

test dominus agri superioris quidquam facere ut fluxus aquarum vehementius augeatur; nec vicissim dominus prædii inferioris potest quacumque via vel arte cursum naturalem aquæ deflectere, in præjudicium agri superioris.

2° Qui agros possident ad ripas fluminum vel locorum publicorum, obstare nequeunt quin aperiatur via ad tractum navigiorum, vel ut fiant ea quæ ad ejus conservationem attinent. At in utroque casu, proprietarii læsi jus habent ad congruam indemnitatem, si fieri possit.

QUÆRES 5. *Quomodo extinguatur servitus?*

RESP. Servitus extinguitur: 1° *tempore elapso,* vel impleta conditione, si in diem vel sub conditione instituta fuerit; 2° *renunciatione* expressa vel tacita proprietarii; 3° *confusione,* id est, si serviens servitutem, rei subjectæ dominus fiat, et vice versa; 4° *præscriptione*, seu non usu per trigenta annos.

*Nota.* Ad acquirendum præscriptione jus servitutis, v. gr. aquæductus per alium fundum, debet præscribens exercere actus positivos quibus jus acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat jus illud ad se pertinere, nec sufficit scientia vel tolerantia illius contra quem præscribitur. Ita P. Gury, num. 587.

## ARTICULUS IV.

### DE HABITATIONE ET SUPERFICIE [1].

QUÆRES 1. *Quid sit habitatio?*

RESP. Est *jus habitandi in alienis ædibus, salva earum substantia.*

*Habitatio* est species ususfructus, cum is qui habet jus habitationis, *non solum in ea per se degere possit, sed etiam aliis locare* [2], quæ dispositio viget in Gallia

[1] Cod. civ., art. 625 et seqq. — [2] *Instit.*, tit. *De habitatione.*

Quæres 2. *Quid sit superficies?*

Resp. Est *jus quo quis alieni fundi superficiem possidet, et in eo ædificare potest.*

*Superficiarius* habet dominium utile domus superficiariæ; dominus fundi habet proprietatem, unde *superficies* comprehendi potest sub usufructu latius sumpto.

## QUÆSTIO II.

### DE PRINCIPALIORI SPECIE JURIS, NIMIRUM DE DOMINIO ET POSSESSIONE.

Hic nobis explicandum : 1° quid et quotuplex sit dominium; 2° quid et quotuplex sit possessio; 3° de dominii et possessionis origine ; unde triplex articulus instituitur.

### ARTICULUS I.

#### DE ESSENTIA ET DIVISIONE DOMINII.

Quæres 1. *Quid sit dominium in genere?*

Resp. Est *jus gubernandi subditos, vel disponendi de re tanquam sua;* unde duplex est dominium, *jurisdictionis* scilicet, et *proprietatis.*

Dominium jurisdictionis *est legitima potestas gubernandi suos subditos liberos.* Actus gubernandi sunt *præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, præmiare,* in ordinem ad bonum commune.

Dixi *liberos*, quia mancipia pertinent ad *dominium proprietatis.* De hoc dominio hic non agitur.

Dominium proprietatis *est jus disponendi de re tanquam sua, nisi lex vel pactum obsistat.*

Dicitur 1° *disponendi de re tanquam sua,* id est, suo no-

mine, in proprium commodum, et in omnem usum a lege permissum.

Dicitur 2° *nisi lex vel pactum obsistat*, quia potestas dominii potest ligari a lege, vel pacto ; sic pupillus non potest bona sua alienare, licet sit eorum dominus, ut dicit Apostolus [1] ; nec debitor pignus, quamvis sit ejus dominus ob pactum cum creditore initum.

Dices : Hæc definitio non datur per genus, cum dominium sit jus, et jus dominium : ergo, etc.

Resp. *Nego ant. et ejus probationem.* Quia *jus in re*, de quo hic, latius patet *dominio ;* omne enim dominium est in re, non tamen omne jus in re est dominium. Nam, v. gr. usufructuarius habet jus in re circa agrum, depositarius circa depositum, non tamen habet dominium.

Dices iterum : Videtur implicare ut quis habeat jus disponendi de re tanquam sua, et tamen non liceat per legem.

Resp. *Nego ant.* Aliud enim est jus disponendi, aliud actus disponendi : jus manet integrum, solus actus prohibetur a lege ; qua prohibitione cessante, non confertur novum jus, et tamen constat esse jus perfectum disponendi de re : ergo jus illud non fuit ablatum per legem, sed solum fuit ligatum.

Quæres 2. *Quomodo dividatur dominium jurisdictionis ?*

Resp. Dividitur eo modo quo jurisdictio ordinaria, quia ab hac non videtur distingui : hinc dividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*. Jurisdictio *ecclesiastica* est ea quæ in rebus sacris et in recte vivendi ratione dirigit ; *civilis* ea est quæ in rebus civilibus et profanis gubernat ad pacem et bonum Reipublicæ procurandum.

Quæres 3. *Quomodo dividatur dominium proprietatis ?*

Resp. Dividitur in *eminens* seu *altum*, et in *humile*. Sed *dominium eminens* est illud quod convenit Reipublicæ in bona et personas subditorum, sic exigente bono publico.

[1] Ad Galat., v.

Verum dominium eminens, seu *jus altum*, non est dominium proprietatis stricte sumptum, sed jus administrationis, jus ordinandi et præscribendi quod bono communi conveniens est. Hinc Sencia : *Ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas* [1]. *Sub optimo rege, omnia rex imperio possidet ; singuli dominio* [2]. Hinc Codex civ. [3] : *Le droit de propriété est un droit sacré ; personne ne peut être contraint de céder sa propriété, si ce n'est pour cause d'utilité publique, et moyennant une préalable indemnité.*

*Dominium humile,* cui proprie definitio convenit, dividitur in *plenum* seu *perfectum*, et *imperfectum*.

*Dominium plenum* est jus disponendi de re illiusque fructibus tanquam suis [4].

*Dominium non plenum* est jus disponendi vel de sola re, vel de solis emolumentis ; unde subdividitur in *directum* et *utile*.

*Dominium directum* est jus disponendi de re tanquam sua, non autem de fructibus rei ; tale est dominium quod habet dominus in agro quem tradidit in emphyteusim.

*Dominium utile* est jus disponendi de fructibus rei, non autem de ipsa re : tale est jus quod habet emphyteuta in agro sibi in emphyteusim tradito.

QUÆRES 4. *Quænam requirantur ad dominii acquisitionem ?*

RESP. Jure communi requiruntur *ordinarie* duo, scilicet : *titulus* et *traditio : titulus*, quia est radix dominii ; *traditio*, quia, ex lege traditionis, *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur,* inquit antiquus Codex de pactis. Quomodo autem fiat traditio, vide Cod. civil. [5], et

[1] *De Beneficii*, lib. VII, cap. 4. — [2] Ibid., cap. 3. — [3] Art. 545.

[4] Sed hic revocandum est jam annotatum, quod, scilicet, dominium rei in sua rigorosa acceptione sit *facultas disponendi de totalitate usuum quos res dare potest*... Res enim quæ penitus fit inutilis, desinit esse objectum dominii. Hinc, quando dicitur quod dominium distinguitur ab usu, intelligendum est unum habere rem cum usu pro tempore determinato vel determinando, quin possit illam destruere, et deinde rem, id est reliquos usus alteri restituere debet.

[5] Art. 160 et seqq.

infra, ubi *de Emptione*. Plures addunt *possessionem*, qua completur acquisitio rei.

Dixi *ordinarie*, quia sunt certi casus in quibus lex non requirit *traditionem* ad hoc, ut acquiratur dominium. Et quidem

1° Quando aliquid datur aut venditur civitatibus, ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captivorum [1]. At in Gallia nunc illa sunt ejusdem conditionis ac cætera.

2° In Beneficiis jus in re acquiritur per solam *collationem* et *acceptationem* [2].

3° In hæreditate; ut enim quis fiat dominus hæreditatis, sive per testamentum, sive ab intestato, non requiritur aliud quam ut hæreditas adeatur [3]. Aditur autem hæreditas dum acceptatur verbo vel facto [4]. Verum in Gallia plerumque non adimus, nisi mittemur [5].

4° In donatione sub ea conditione, quod donatarius alimenta præbeat donanti; illo non præbente, statim dans recipit dominium et possessionem illius rei, absque ulla traditione [6].

*Nota*. Quod in his casibus, licet acquiratur dominium ante traditionem rei non tamen acquiritur ejusdem possessio, quæ nunquam ad nos pertinet, nisi sit naturaliter apprehensa [7]; sæpe enim accidit unum esse verum agri dominum, alium vero possessorem.

Quæres 5. *Quid sit titulus?*

Resp. Est *radix unde dominium aut jus quodvis oritur*, v. gr. emptio, donatio, successio hæreditaria, electio, collatio in Beneficiis, etc.

Quæres 5. *Quotuplex sit titulus?*

Resp. Triplex: *verus* nempe, *coloratus* et *præsumptus*.

*Titulus verus* est ille qui a parte rei subsistit, et est vera radix dominii.

[1] Lib. ultim., Codic. *de Sacrosanctis Ecclesiis*. — [2] Cap. *Si tibi absenti*, *De præb.*, in 6. — [3] L. *Cum hæredes*, *De acquir. vel amitt. possessione*; et Cod. civil., *de Testamentis*, num. 1003 et seqq. — [4] *Inst.*, *de Hæredum qualit.* [5] Cod. civ., art. 1008. — [6] Lib. I, Cod. *De Trad. quæ sub modo*. — [7] L. *Naturaliter*, § *De acquir. possessione*.

*Titulus coloratus* est ille qui bona fide creditur esse verus, licet ob latentem aliquem defectum talis non sit; v. gr. venditio ab eo facta, qui rei venditæ dominus merito credebatur, licet talis non esset.

*Titulus præsumptus* ille est quem jus, ob temporis diuturnitatem, intervenisse supponit et præsumit, cum tamen forte non intervenerit; unde est potius defectus tituli quam titulus.

## ARTICULUS II.

### DE POSSESSIONE.

Quæres 1. *Quid sit possessio?*

Resp. Possessio, quæ dicitur *a pedum positione*, sumitur vel pro actu possidendi, vel pro jure possidendi; unde prius dividenda videtur quam definienda, ut omnis tollatur æquivocatio. Itaque *possessio* alia est *facti*, alia *juris*.

*Possessio facti* est rei apprehensio, corporis, animi et juris adminiculo.

Dicitur 1° *apprehensio*, vel prima, quæ est possessionis acquisitio; vel continuata, quæ est rei detentio.

Dicitur 2° *rei*, sive corporeæ, ut ager; sive incorporeæ, ut Beneficium, census, servitus, etc.

Dicitur 3° *adminiculo corporis*, quia, ut res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi vel in se, v. gr. manibus, pedibus, oculis; vel in alio, in quo censeatur contineri, v. gr. instrumento publico, clavium traditione, etc.; quæ fit manu et pede dicitur *vera*; quæ fit alio modo vocatur *ficta*, quia eo in actu, juris fictione censetur res apprehensa.

Dicitur 4° *animi*, quia debet eam apprehendere animo possidendi: unde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi sibi.

Dicitur 5° *juris*, non quod omnis possessio facti sit justa,

nam fur vere possidet rem furto ablatam, licet injuste; sed quia jus facit ut talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam possessionem, nec eam impedit, sicut impedit ne detentio rei sacræ per laicum, censeatur possessio[1].

*Possessio juris* est jus insistendi rei tanquam suæ, non prohibitæ possideri.

Dicitur 1° *jus,* ut excludatur *possessio facti,* quæ est quasi acquisitio possessionis, ex qua oritur hoc jus si justa fuerit : quod si ista acquisitio sit injusta, non oritur ex ea *jus* in conscientia, sed tantum in foro civili, quod non judicat de internis.

Dicitur 2° *insistendi rei,* ut excludatur dominium quod per se et formaliter est tantum jus disponendi de re ; propria autem ratio juris possidendi, est quod possessor possit rem pacifice tenere, et juris remediis tueri adversus perturbantes, quod hic dicitur *insistere rei.*

Dicitur 3° *tanquam suæ,* quia si quis insistat nomine alterius, non erit vera possessio, unde tutor non est possessor bonorum pupilli, quia tutor non possidet, sed pupillus possidet per tutorem.

Dicitur 4° *non prohibitæ possideri*, quia ubi lex possessionem prohibet, nullum est jus possidendi; sic laicus jus decimas possidendi non potest acquirere.

Quæres 2. *Quomodo iterum dividatur possessio?*

Resp. In *civilem* et *naturalem.*

*Possessio civilis* est ea qua res, corpore et animo apprehensa, solo animo retinetur; sic possidet res suas qui ab eis abest.

*Possessio naturalis* est ea qua res corpore et animo occupatur; ut cum quis rem occupat de facto, vel per se, vel per alium, quam etiam retinere cupit ; diciturque naturaliter et civiliter possidere, et hæc possessio est firmissima secundum jura. Aliquando possessio *naturalis* separatur a *civili,* ut quando fur occupat rem meam; tunc

[1] L. *Qui universos, De acquir. et admitt. possessione.*

nim ego civiliter, ille naturaliter possidet; et hæc possessio est infirma; valet tamen ad hoc ut quis non possit ab extraneo deturbari, et interdum ne ab ipso quidem domino, sine auctoritate publica.

Dices: Fur non tantum naturaliter, sed etiam civiliter possidet rem furtivam, quia corpore et animo retinet ut suam: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Quia secundum jura, quis dicitur naturaliter tantum possidere, quando rem ab alio civiliter possessam occupat, etiamsi habeat animum retinendi. Sed

Quæres 3. *Quomodo acquiratur possessio?*

Resp. Tribus modis acquiritur possessio; *apprehensione vera, apprehensione ficta,* et *legis dispositione.*

1° *Apprehensione vera,* quæ fit manibus vel pedibus. Hæc est necessaria ad acquirendum possessionem rerum quæ sunt nullius, v. gr. ferarum, gemmarum, thesauri, etc., vel quando quis clam seu vi vult possidere.

2° *Apprehensione ficta,* quæ locum habet quando res habet possessorem a quo tradatur, vel quando, loco possessoris, auctoritate judicis traditur, quæ fit: 1° vel oculis, ut cum antiquus possessor eminus ostendit mihi fundum; oculi enim dicuntur *longæ manus* quibus res visæ quasi contrectantur; 2° vel cum traduntur claves in quo sunt merces possidendæ; 3° vel cum traditur scriptura instrumentaria quæ constet de titulo et jure rei possidendæ; 4° vel cum venditor rei absentis mihi venditæ, se constituit meo nomine possessorem, aut præsentis rei venditæ custodem; 5° vel quando post contractum, antiquo domino consentiente, apponitur custos nomine ejus ad quem res transfertur, vel aliis similibus modis a jure constitutis.

3° *Legis dispositione,* qua hæres, etiam inscius, acquirit possessionem, quibusdam exceptis casibus[1], defuncti

[1] Vid. Cod. civ., art. 1004.

tentatoris; hinc adagium : Mortuus induit vivum; *Le mort saisit le vif*[1].

Quæres 4. *Quomodo amittatur possessio?*

Resp. 1. Possessio tum naturalis, tum civilis *rerum mobilium* amittitur : 1° utraque, sola voluntate possessoris nolentis amplius possidere : 2° naturalis, per furtum aut rapinam alterius : 3° item naturalis, per amissionem, v. gr. crumenæ, vel alicujus hujusmodi, non autem manicipii, si non habeat consuetudinem redeundi, ut infra dicetur.

Resp. 2. *Rerum immobilium* possessio civilis aut naturalis amittitur : 1° per diuturnam absentiam domini nec per se, nec per alium insistentis; 2° per negligentiam, timiditatem vel impotentiam domini rem suam ab injusto invasore vindicandi; 3° per longam oblivionem quod res sit sua, et ideo nec censet eam in bonis suis; tunc enim caret animo possidendi.

Quæres 5. *Quinam sint effectus possessionis?*

Resp. Possessio *bonæ fidei* 1° parit præscriptionem; 2° in judicio parit præsumptionem : unde possessor non tenetur probare rem esse suam, sed oppugnantis est probare quod non sit : 3° turbatus in possessione, in ea est restituendus priusquam de possessionis justitia agatur; et alia plura quæ videri possunt apud legum interpretes.

## ARTICULUS III.

### DE ORIGINE DOMINII PROPRIETATIS SEU POSSESSIONIS.

Quæres 1. *Undenam repetenda sit origo dominii proprietatis?*

Resp. Dominium (ut ita dicam) quod homines habent in seipsos, nempe supra suam voluntatem et liberum arbitrium, supra famam et honorem, etc., a natura sibi convenit, et simul cum natura ortum duxit; item jus ac-

[1] Conf. Cod. civ., art. 1604 et seqq.

quirendi dominium proprietatis naturale est homini, triaque distincta continet, scilicet: jus bonum suum possidendi, de illo disponendi, et illud vindicandi. Illius juris violatio, dicitur injuria. Attamen rerum temporalium dominium, nempe agrorum, gregum, divitiarum, etc., ex divisione rerum, tanquam ex prima radice, dimanavit. Certum est enim omnia in prima origine mundi fuisse communia communione *negativa* : Adamo enim et ejus posteris terram absque ulla divisione tradidit Deus [1]: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Tunc ergo omnia erant communia, id est nullius in individuo : *Nec erat meum ac tuum frigidum illud verbum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.* Ita omnes.

QUÆRES 2. *Quo jure et quando facta sit rerum temporalium divisio?*

RESP. 1. **Nec a jure** divino, nec a jure naturali, nec a **jure gentium, nec a jure** civili introductam fuisse.

PROB. PER PARTES. 1° *Non* quidem *introducta est a jure divino;* quia nullibi apparet Deum talem distributionem fecisse aut præcepisse, sed omnia sub pedibus hominum constituit, tantum ut sibi subjicerent.

2° *Nec* etiam talis divisio *ex jure naturæ habetur;* quin potius, natura omnia sunt communia communione *negativa*, id est, nondum alicui in particulari adjudicata; nec est absolute et ex natura rei ac per se necessaria vitæ humanæ, semotis aliis inconvenientibus quæ oriuntur ex malitia hominis, ut dicemus infra. Ad eam tamen inclinat, quia Deus introduxit homines in mundum quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent, et accipiendo facerent sua ea quæ antea erant communia omnium, *jure primi occupantis.*

3° *Nec ex jure gentium* facta est talis divisio rerum, id est, hominum beneplacito et consensu, aliquo pacto positivo, seu conventione quadam interveniente. Certum

[1] Psalm. CXIII, 16.

est enim, a primæva ætate quamdam bonorum divisionem factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius; siquidem dicitur Abel Deo obtulisse de primogenitis gregum suorum [1].

4° *Non jure humano civili* hæc divisio contigit, propter eamdem rationem. Aliunde jus humanum civile supponit proprietatem circa quam dicit, non e contra. Divisio bonorum consentanea tamen est, tum juri gentium, tum civili, non quod sit aliquod præceptum apud omnes de tali divisione, sed quia, secundum commune omnium judicium, divisio rerum est utilis et conveniens, atque, attentis circumstantiis, necessaria ad pacem et tranquillitatem populorum, ut dicemus infra.

Resp. 2. Dicendum est ergo bonorum divisionem primæva ætate factam fuisse, statim ac plures fuerunt homines in terra, illamque oriri ex illa facultate connaturali quam habet homo sibi vindicandi ea quæ nullius sunt, et ita sibi suas facere, ut alterius esse nequeant absque suo consensu. Deinde jure gentium, seu consensu omnium, factum est ut alii hanc, alii aliam terræ partem sibi retinerent, quam ipsi priores occupaverant, et contra invasores, pro singulis possessoribus, omnes consurgerent.

Hinc sapienter ait Lugo : *Nihil natura alicui in particulari applicuit, sed introduxit homines in mundum quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent, et accipiendo facerent sua ea quæ antea erant communia* omnium, id est, ad manum primi occupantis, quod jus etiamnum durat, *sicut ligna cædua communia, antequam cædantur, sunt in dominio communi,..... per cæsionem vero sunt propria cædentis.*

Dices 1° *Id quod ante nullius est, naturali ratione conceditur occupanti*, ex *Inst., De rerum divis.*, § *Feræ* : ergo ex ratione naturali talis divisio accipitur. 2° Furtum est contra naturam; atqui furtum est rei propriæ alterius ac-

[1] Genes. IV, 4.

ceptio : ergo necesse est quod proprietas sit ex jure naturæ, alias acceptio rei propriæ alterius non esset contra naturam.

RESP. AD PRIMUM. *Dist. ant.* Supposita occupatione rei, jus naturæ dictat ut res sit occupantis, *conc.;* secus, *nego.* Aliud est enim quod, supposita occupatione, res ex jure naturæ sit illius qui primo occupat, aliud quod proprietas sit jure naturæ introducta. Deus enim nullam rerum fecit aut præcepit divisionem, sed dedit homini facultatem res nullius ita faciendi suas, ut verus sit earum dominus, sine aliorum consensu, alioquin primus homo non potuisset possidere, ea proprietate ut, adveniente secundo homine, furtum adhuc fuisset possibile. Jus igitur naturæ occupationem non assignavit pro dominio, sed ipsa occupatio facta ab ente intellectuali et capaci rem nullius faciendi suam. Hoc tamen posito, jam dictat ipsa natura rem propriam esse illius qui accepit.

AD SECUNDUM similiter *dist. ant.* Supposita proprietate rei, est contra jus naturæ eam auferre invito domino, *conc. ;* secus *nego.* Pariter negatur *conseq.;* nam minime probatur rem fieri propriam ex jure naturæ, ex eo quod, supposita proprietate rei, est contra jus naturæ eam auferre invito domino, sicut, supposita in uno homine superioritate, ex jure naturæ est debita illi subjectio et observantia, quamvis superioritas non sit ex jure naturæ. Ita Salmant. [1].

Ex dictis patet differentia quæ est inter jus et dominium.

1° Enim omne dominium producit aliquod jus; verum omne jus non est dominium. 2° Omne jus dominii oritur ex dominio, non e contra; jus enim præsupponit quod meum est, sive interius, sive exterius a me existat. 3° Jus latius patet quam dominium; siquidem dominium respicit res tantum exteriores, jus vero resultat ex omnibus quæ nobis pertinent, tam intus quam extra. 4° Dominium am-

[1] Cap. II, part. 1, num. 8.

plectitur omnes usus rei ; jus autem habet pro objecto qualemcumque partem usus , cum sit ac illas in entibus rationabilibus faciendi vel non faciendi, qualescumquesint atriusque limites. Ita Mastrofini [1].

Quæres 3. *An divisio rerum sit licita et necessaria ?*

Resp. 1. Illam esse omnino licitam. *Est de fide.*

Prob. 1. Ex sacris Paginis, præcipiuntur reddi bona aliena: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, cui tributa, tributa;* et *Genes.* iv, dicitur de Abel obtulisse primogenita de gregibus suis ; et de Abraham, Isaac et Jacob, plures habuisse possessiones, vel a Deo concessas, vel proprio labore et industria comparatas. Præterea Sacræ Scripturæ præcipiunt dare eleemosynas, et dantibus promittunt remunerationem æternam et remissionem peccatorum ; furtis abstinere, solvere debita, quæ quidem supponunt legitimam bonorum divisionem.

Resp. 2. Hæc divisio bonorum *per se* et ex natura rei, non est necessaria vitæ humanæ ; attentis vero circumstantiis, est omnino necessaria ad pacem, tranquillitatem, prosperitatem, imo ad vitam societatis.

Prima pars patet ex dictis, siquidem nec præcipitur jure naturali , nec divino ; præterea , divisio bonorum abrogata fuit et communitas reintegrata , nascente Ecclesia, Hierosolymis, et etiam nunc in monasteriis : ergo, etc.

Prob. secunda pars. Quod autem, attentis circumstantiis, inconvenientia ex malitia hominum frequenter contingerent, nisi talis divisio fieret, constat: quia, post peccatum, homines elati superbia, avari , cupidi, desides, ac negligentia torpescentes circa bona communia, omnes vellent cuncta sibi occupare, omnibus dominari, jurisdictionem in alios omnes habere, nulli servire, nec laborare. Hinc jurgia, hinc bella quotidiana exurgerent; et cum fere omnes homines sint in rebus communibus segniores, nullus curaret agros excolere, etc. Hinc omnia in ruinam abirent;

[1] Lib. II, num. 283.

dum e contra maxime curant quæ sunt propria, juxta illud Aristotelis: *Amabile bonum, cuique autem proprium.* Ergo, etc.

DICES : Rerum divisio videtur jure naturali prohibita, quia jure naturæ omnia sunt communia : ergo est injusta.

RESP. *Nego ant. et distinguo ejus probationem.* Omnia sunt communia jure naturali *positive*, nego; *negative*, conc. Non itaque, ut jam diximus, sunt communia hoc sensu, quod jus naturale præcipiat rerum communitatem, sed negative, hoc sensu quod non constituerit rerum divisionem; sed potestatem fecerit omnibus utendi qualibet re priusquam ab aliquo sit occupata, quod jus etiamnum durat.

INST. S. Clemens docet *per iniquitatem factum esse ut quisquis haberet propria* [1] : ergo, etc.

RESP. *Dist.* Per iniquitatem *occasionaliter*, quia occasione sumpta ex iniquitate peccati originalis introducta fuit rerum divisio, *conc.; formaliter*, quasi ipsa divisio fuerit injusta, *nego.*

Itaque S. Clemens hac ratione hortatur fideles Hierosolymitanos ad possessionem rerum in communi quoad usum, ex eo quod hæc vita sit consentanea statui innocentiæ, in quo omnia debebant esse communia ; rerum autem divisio orta est occasione peccati. Hierosolymitanorum fidelium exemplo probatur assertio nostra; nam [2] Petrus Ananiam reprehendens, dixit illi : *Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat protestate?* Ergo Ananias agri venundati vere dominus erat : ergo, etc.

Hinc patet quam turpiter hallucinantur, si tamen hallucinantur, *Communistæ*, *Socialistæ*, et alii ejusdem furfuris, effutientes *omnia bona esse communia*, *nullum dominium*, *nullumque jus proprietatis in humana societate esse admitten-*

[1] Cap. *Dilectissimis*, 12, quæst. 1. — [2] Act. Apost. v, 4.

*dum; jus proprietatis in civili societate nihil esse aliud quam ipsum furtum*, etc.

Dixi *si tamen hallucinantur;* nam ne seipsos quidem decipiunt, licet sibi mentiantur: unum enim volunt, nempe sua retinere, aliena rapere, si possunt, concupiscere, si non possunt, honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, etc.

## QUÆSTIO III.

### DE SUBJECTO ET OBJECTO DOMINII, SEU QUINAM ET QUARUM RERUM HABEANT DOMINIUM.

*Nota.* Dicemus 1° de subjecto et objecto dominii in genere; 2° de subjecto et objecto dominii in specie, duplici articulo.

### ARTICULUS I.

#### DE SUBJECTO ET OBJECTO DOMINII IN GENERE.

Quæres 1. *Cuinam competat dominium?*

Resp. Omni et soli naturæ intellectuali, nempe Deo, Angelis et homini competit dominium: 1° quia omni et soli naturæ intellectuali competit fundamentum dominii, scilicet intellectus et voluntas, per quæ habet immediate potestatem in actus suos, et per suos actus in res exteriores. 2° Quia ratio dominii includit potestatem liberam et ordinariam in aliquem finem; atqui omnis et sola voluntas et intellectus potest aliquid ordinare libere in aliquem finem; ergo, etc. 3° Confirmatur ex sacra Scriptura [1]: *Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus et bestiis terræ.* Hic tribuitur homini do-

[1] Genes. I.

minium in bestias et pisces, eo quod sit imago Dei; atqui homo est imago Dei per intellectum et voluntatem, etc., Hinc

1° Deus quidem summum, universale, et prorsus independens, habet dominium in omnes creaturas, ratione creationis et perpetuæ conservationis, juxta illud [1]: *Domini est terra et plenitudo ejus;* et [2]: *Meus est orbis terræ et plenitudo ejus;* unde de omnibus libere disponere potest prout sibi placuerit, nec cuiquam facit injuriam.

Hoc autem dominium Deus non potest abdicare, neque ulli creaturæ communicare, neque ullam creaturam ab eo valet eximere, non magis ac ejus creationis et conservationis titulum.

Quamvis autem Deus sit causa universalis, communicat tamen rebus creatis rationem particularem agendi; ita, quamvis sit omnium Dominus, communicat creaturis intellectualibus particulare dominium in res creatas, essentialiter ipsius dominio subordinatum. Unde, quamvis Deus omnia donet, postquam etiam sunt data, Dei dominio manent subjecta, sicut, quamvis communicet virtutem agendi causis particularibus, remanet tamen semper suprema et universalis causa, quod de particularibus dominiis dici nequit.

2° Angeli sive boni, sive mali, non videntur habere dominium, nisi in suos actus. Boni administrant quidem res corporales, sed non ut suas, neque in suum commodum, sed ut præfecti regii, qui, nomine Regis, provincias sibi commissas administrant. Eo sensu tantum vocantur domini.

Diabolus autem vocatur caput malorum, princeps tenebrarum, et rector hujus mundi, non quia horum dominium habet, sed quia homines ut tortor captivos detinet.

3° Satis ergo evidens est inter creaturas solum et omnem hominem esse dominii capacem, cum solus et omnis

[1] Psalm. XXV. — [2] Psalm. XLIX.

homo ratione et libero arbitrio (quæ totius dominii fundamentum sunt) sit præditus, et, ipsis mediantibus, capax sit, saltem in actu primo, de rebus externis tanquam suis disponere.

Dixi 1° *omnis*, sive justus et fidelis, sive peccator et infidelis, ut contra Wiclefum et Joan. Hus definivit Ecclesia [1]: ratio est, quia in ipsis est fundamentum dominii, ratio nempe, et liberum voluntatis arbitrium.

Dixi 2° *saltem in actu primo*. Nam actualis rationis usus ad dominium non requiritur, ut constat in parvulis et perpetuo amentibus, qui bonorum suorum veri sunt domini, licet eorum administrationem non habeant, juxta illud Apostoli [2]: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium*. Licet enim non disponant per se de suis bonis, disponunt per alium, quod sufficit.

## ARTICULUS II.

### DE OBJECTO DOMINII IN GENERE.

Quæres 1. *Quarum rerum homo, prout homo, sit dominus?*

Resp. Homo innocens, a Domino omnium creaturarum inferiorum accepit dominium, juxta illud: *Faciamus hominem ut præsit* [3]. Verum, post lapsum hominis, dominium illud remansit quidem in genere humano: *terram autem dedit filiis hominum* [4]; sed non in quolibet individuo; quia, post peccatum, facta fuit rerum divisio quam humanæ leges et consuetudo firmarunt, ut supra dictum est.

Porro res sublunares vel inferiores, usibus hominis accommodatæ, sunt respectu hominis vel externæ vel internæ. *Externæ*, quæ dicuntur bona fortunæ, sunt vel *corporeæ*, vel *incorporeæ*. *Corporeæ* illæ sunt quæ pedibus vel manibus contrectantur, ut fundus, vestis, etc., quæ iterum sunt vel *mobiles*, quæ seipsas movent, ut animalia;

[1] In Conc. Constantiensi, sess. 6. — [2] Ad Galat. IV, 1. — [3] Genes. I, 26. [4] Psal. CXIII.

l quæ e loco in locum moventur, ut pecunia, supellex, vis, etc. *Immobiles* vero dicuntur quæ vel natura sua overi non possunt, puta domus, ager, etc.; vel, ratione æ destinationis, sic disponente lege, tanquam immobiles bentur, ut animalia et instrumenta quæ dominus fundi eo collocavit, vel colono tradidit[1].

*Incorporeæ* sunt res quæ tangi non possunt, sed in solo e consistunt, et solo intellectu percipiuntur, v. gr. obli-tiones, tituli ad hæreditatem, servitutem, et similia, quæ tione legis dicuntur res, cum sint tantum jura.

Res *internæ* sunt bona animæ, ut voluntas, intellectus, ertas, etc.; et corporis, ut vita, membra, etc. Sed

QUÆRES 2. *An homo sit dominus suæ famæ?*

RESP. *affirm.* Ille enim famæ suæ dominus est, cui mpetunt primarii actus dominii circa famam; atqui, etc.; test enim homo famam et honorem sibi acquirere, latam in judicio repetere, restitutionem ejus condonare: go homo est dominus suæ famæ, *nisi*, ait Div. Thomas *pergat in alterius nocumentum*[2].

Dixi *nisi id vergat in alterius detrimentum;* vergit au-n: 1° cum ex infamia unius sequitur alterius infamia; fama patris, prælati, imo simplicis religiosi non potest olari, quin infametur filius et communitas; 2° cum ex in-nia sequitur scandalum proximi, et hoc locum maxime bet in Sacerdotibus, qui sive ex officio, sive ex chari-e, tenentur officium præstare proximo, ad quod neces-ia est fama. Hoc sensu intelligendum est illud: *Curam be de bono nomine*[3]; et illud Augustini: *Nobis necessaria vita nostra, proximis fama nostra*[4].

DICES: Possemus condonare mutilationem membri; at-i tamen non inde sequitur quod simus domini membro-m: ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Possumus condonare pro damno se

[1] Cod. civ., art. 517 et seqq. — [2] Quæst. 73, art. 4, ad 1. — [3] Eccl. XLI, 15. [4] Lib. *De bono viduitatis*, cap. 22.

cuto ex mutilatione, *conc. maj.;* membri enim habemus dominium utile, quo privamur per mutilationem; possumus condonare mutilationem membri quoad dominium directum, *nego maj.;* unde si restitui posset, non possemus condonare, fama autem restitui potest.

At etiam præter casus memoratos, veniale est peccatum se infamare sine causa, peccatum dico non injustitiæ, sed prodigalitatis, sicut qui dilapidat divitias quarum est dominus.

*Justæ autem causæ* præcipuæ sunt: 1° causa humilitatis; 2° consilium petendi; 3° peccati superbiæ vitandi; 4° alterius famæ injuste ablatæ reparandæ, et similia.

Quæres 3. *An Principes vel Respublica dominium habeant in cives?*

Resp. Non habent dominium *directum* in vitam et membra civium, quasi pro libitu de his disponere possint; sed habent *indirectum* tantum, quatenus quorumdam vita est bono publio noxia vel mors necessaria.

Utrumque patet, tum ex præcepto: *Non occides;* tum quia cives se habent respectu societatis, sicut membra respectu corporis; atqui non habent dominium *directum* sed *indirectum* in vitam et membra nostra, ut dictum est supra: ergo, etc.

Quæres 4. *An homo possit esse dominus alterius hominis?*

Resp. 1. Homo non habet jure naturæ dominium in alterum hominem; omnes enim homines jure naturæ sunt pares, cum sint ejusdem naturæ, ex eodem parente, et ad eumdem finem conditi. Hinc in statu naturæ integræ nulla futura fuisset servitus, et communiter dicunt SS. Patres [1], quia servitus est pœna peccati, unde dicit S. Augustinus: *Nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noë justus peccatum filii vindicaret: nomen itaque istud culpa meruit, non natura* [2].

[1] S. Greg., lib. XXI *Moral.*, cap. 11. — [2] S. Aug., *de Civ. Dei*, lib. XIX, cap. 15; et Lib. *de Viduitat.*, cap. 15.

Resp. 2. Jure tamen gentium et civili potest quis effici servus (gallice *esclave*) ut patet ex Exod. XXI, Levit. XXV, ubi conceditur Israelitis ut alteri in servum perpetuum se tradant, et I Cor. II, ac Tim. I, 1.

Porro aliquis alterius servus effici potest dupliciter.

1° *Voluntarie*, ut si homo se ipsum vendat, sive ut se ab infeliciori statu eripiat, sive ut succurrat proximo, quomodo, teste S. Gregorio, fecit sanctus Paulinus, Nolanus Episcopus, qui servum se fecit ut viduæ cujusdam filium a servitute redimeret.

2° *Ex justa necessitate*. Et hoc quadrupliciter: 1° ratione *nativitatis*, quando quis ex matre serva nascitur, etiamsi pater sit liber, quia *partus sequitur ventrem* [1]; 2° ratione *delicti*, ut si quis servitute puniatur in pœnam delicti commissi [2]. 3° Ratione *justi belli*, cum enim bellum conferat jus hostes interficiendi, a fortiori confert jus eos in servitutem redigendi. 4° *Jure paterno*, ut si pater ob gravem necessitatem filium vendat, quod non potest facere nisi cum pacto de retrovendendo cum ad meliorem fortunam devenerit [3]. Nunc autem, jure novo disponente, nulla amplius admittitur servitus inter Christianos, et in plerisque locis recte proscribitur pro infidelibus.

Unde cum servitus non vigeat apud nos, prætermitto varias quæstiones de ipsa agitari solitas.

Quæres 5. *An homo sit dominus vitæ et membrorum ?*

Resp. Homo habet quidem in vitam et membra dominium utile, cum sine cujusquam injuria possit uti vita et membris ad omnem usum lege permissum; sed non habet dominium *directum :* solus enim Deus, *vitæ et necis habet potestatem* [4].

[1] L. *Partum*, cod. *De rei vindicatione*. — [2] Cap. *Ita quorumdam, de Judæis et Saracenis*. — [3] L. 1 et 2, ff. *De patribus qui filios suos distraxerunt*.
[4] Sap. XVI, 13.

*Ratio prima* est, quia dominium non est nisi in res distinctas et inferiores; atqui vita et membra non sunt distincta a nobis, nec nobis inferiora : ergo, etc.

*Ratio secunda* est, quia illud non subjicitur dominio, quod præsupponitur ad dominium tanquam ejus fundamentum ; atqui bona animi et corporis præsupponuntur : ergo, etc.

*Ratio tertia* est, quia dominium non est nisi in eas res quas nostra industria possumus acquirere, has enim sicut possumus acquirere, ita et relinquere ; atqui vitam, membra et alia de quibus quæstio, non possumus acquirere : ergo, etc.

*Ex quo concluditur* hominem non posse se *occidere directe,* aut *mutilare, nisi ad conservationem sui ipsius.*

Dixi 1° non licere homini se *occidere directe :* quia ipsi licitum est, justa de causa, aliqua facere vel omittere, ex quibus mors probabiliter *indirecte* est secutura ; sic pastor licite et laudabiliter vitam suam periculo exponit, ut peste infectis Sacramenta administret ; item miles stationem suam custodiens, in bello justo hostem aggrediens, etc.

Objicies : Canon : *Non est nostrum* [1] sic habetur : *In persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur :* ergo ad vitandum stuprum, fornicationem, etc., licet se occidere.

Resp. *Nego conseq.*, et dico in hoc canone particulam *absque eo,* non esse exclusivam, sed inclusivam quomodo sumitur Cant. iv : *Quam pulchra es, amica mea, absque eo quod intrinsecus latet ;* unde sensus est : *Illicitum est se occidere, atque etiam id remanet illicitum ubi castitas periclitatur*

Quod si quædam virgines ad vitandum stuprum, et Samsonem ad se vindicandum de hostibus, se dederint præcipites, hac fecerunt vel ex speciali Dei instinctu, vel

[1] Causa 23, quæst. 5.

putantes (secundum quosdam) hoc esse licitum, ex ignorantia invincibili, a peccato excusante.

Dixi 2° hominem non posse se *mutilare*, *nisi ad conservationem totius;* quia cum pars sit propter totum, ratio naturalis dictat ipsam posse abscindi pro salute totius. Ad hoc tamen nemo tenetur, si ingentes dolores sint sustinendi, cum media adeo difficilia, quis non obligetur adhibere, nisi ejus vita bono communi necessaria censeatur.

Colliges 1. Graviter peccare qui seipsos castrant ad vincendas carnis tentationes, quia hoc ad eum finem non est necessarium. An vero peccent qui se castrari permittunt, vel parentes qui filios, modo sint consentientes, castrari jubent ad vocis suavitatem retinendam? *Prima* sententia probabilis affirmat, cum Salmant., Lugo, Bonacina et aliis. *Secunda* vero sententia, etiam probabilis, negat, cum Mazzota, Elbel, etc., tum quia eunuchi utiles sunt bono communi ad laudes divinas suavius in Ecclesia canendas; tum quia conservatio vocis non parvum affert castratis perpetuum emolumentum; tum quia castratio in usum deducitur quotidianum, et ab Ecclesia toleratur.

Colliges 2. Posse virginem, ad servandam castitatem ab invasore, tum in certum periculum vitæ, non vero in certam mortem, se conjicere; tum mortem potius pati, quam violari permittere; imo illud ei suadendum esse, propter periculum consensus, si permissive tantum se haberet[1].

Colliges 3. Licere cum evidenti periculo vitæ, vel etiam cum certa morte, navim incendere, ne illa veniat in manus hostium.

Colliges 4. Licere Carthusiano in extrema ægritudine, cum certo periculo mortis a carnibus abstinere propter bonum Ordinis, modo necessitas vescendi veniat ex morbo, non vero ex inopia ciborum, quia tunc hæc mors violenta sibi imputaretur. Ita Lugo, Sanch., S. Ligorius[2].

Colliges 5. Licere per se vitam abreviare pœnitentiis, ex

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 368. — [2] Lib. IV, num. 370.

concilio prudentis Prælati vel Confessarii, ad perfectionem promovendam; non vero indiscretis pœnitentiis, carnisque macerationibus; hoc nim non esset permittere, sed mortem positive sibi afferre [1].

## ARTICULUS III.

### DE SUBJECTO DOMINII IN SPECIE.

*Nota.* Diximus primo articulo omnes homines esse dominii capaces. Movetur tamen difficultas de quibusdam hominum conditionibus, scilicet: 1° de filiisfamilias; 2° de uxoribus; 3° de Clericis; 4° de auctoribus, de quibus totidem paragraphis [2]. De dominio Religiosorum diximus in tract. de *Obligationibus* [3].

### § I.

#### De dominio filiorum.

QUÆRES 1. *Quarum rerum filiifamilias nondum emancipati, dominium habere possint?*

*Nota.* Bona filiorumfamilias esse quadruplicis generis, nimirum: castrensia, quasi-castrensia, adventitia, et profectitia, *ex jure Romano.*

*Castrensia* sunt ea quæ in militia, vel occasione militiæ, item quæ in obsequio Principis in aula ejus exhibito, vel in custodia alicujus arcis, etiam tempore pacis, acquiruntur.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 371.

[2] *Nota.* Quia nimis prolixum esset omnia jura variarum gentium hic exponere, duo tantum præcipua in medium afferemus, Romanum scilicet et Gallicum. *Romanum* utique, quod dicitur *ipsa ratio scripta*, vel jus commune, quodque forma fuit ad quam cætera jura exarata fuere, et etiamnum variis in locis propter Pontificiam ditionem viget adhuc. *Gallicum* vero, quod etiam *jus novum* appellatur, et, quia cum brevitate et perspicuitate cæteris omnibus facile antecessat, apud plures alias gentes magna parte fuit acceptum.

[3] Cap. 2.

*Quasi-castrensia* sunt ea quæ filiusfamilias acquirit: 1° *ex Beneficio ecclesiastico*, imo quidquid acquiritur post Clericatum, etiamsi alias esset adventitium [1], quod maxime notandum; 2° *ex officio publico*, non mechanico, v. gr. judicis, advocati, etc.; 3° *ex professione* scientiæ et artis liberalis. Vocantur *quasi-castrensia*, quia gaudent privilegio castrensium.

*Adventitia* sunt ea quæ neque a patre, neque intuitu patris, adveniunt filio, sed aliunde, puta successione in bona materna, amicorum donatione, inventione thesauri, labore artificiali. Dicuntur *adventitia* respectu patris, quia ab eo non proveniunt.

*Profectitia* sunt ea quæ filius acquirit, vel ex bonis patris, v. gr. ea administrando, aut ex iis negotiando; vel intuitu patris, v. gr. si quis daret aliquid filio ob amicitiam et obsequium patris. His diligenter notatis,

Resp. Filiifamilias bonorum castrensium et quasi-castrensium habent plenum ac perfectum dominium; adventitiorum habent quidem dominium directum, sed pater habet eorum usumfructum et administrationem. Excipitur a jure: 1° si pater huic usufructui renuntiaverit; 2° si hæc data sit filio ea conditione, ne usufructus patri concedatur; 3° si filio non sit relictus nisi usufructus, quia super usumfructum non potest statui alius usufructus. Profectitiorum vero filiifamilias nec directum nec utile habent dominium, sed penes patrem remanet. Ratio horum omnium est dispositio juris [2].

*Ex jure Gallico* sic statuitur: bona filiorumfamilias distinguuntur: 1° in bona acquisita *industria separata* filii, aut ipsi soli data; 2° in bona cætera filiis provenientia *quacumque ex causa*. Hoc notato,

Resp. 1. Filiusfamilias (vel proles matrimonio subsequenti legitimata) habet, sicut cæteri homines, dominium

[1] Authentica *Presbyteros*, cod. *de Episc. et Presb.* — [2] Lib. II *Inst.*, in ut. 9.

directum in bona quæ legitimo titulo sibi obveniunt, cujuscumque sint generis.

Resp. 2. Filiusfamilias habet perfectum dominium in bona quæ suo proprio labore aut industria separata et propria sibi comparat, et in ea quæ ipsi soli fuere donata vel legata, sub conditione patrem et matrem usufructu privante [1], vel quæ majoratum componunt [2], quamvis administrationem non habeat ante majoritatem 21 annorum, vel ante emancipationem, sed ipse pater, qui et de proprietate et de reditibus horum bonorum reddendæ rationis est obnoxius [3].

Resp. 3. Filiusfamilias habet dominium directum tantum in cætera bona, ante annum decimum octavum completum, vel ante emancipationem, quæ post annum decimum quintum fieri potest ; minor autem emancipatur ipso jure per matrimonium contractum ; interea autem stante matrimonio, pater ; matrimonio autem soluto, pater vel mater superstes habet usumfructum et commoda bonorum filii, ideoque non debent rationem nisi de nuda proprietate. Hoc tamen jure privatur mater superstes ad alias nuptias convolando [4].

Quæres 2. *An filiusfamilias habeat dominium plenum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis ?*

Resp. *Dist.* Generatim loquendo, *negat.*, si hæc bona non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc. ; tunc enim filiusfamilias habet tantum dominium utile, quia parentes vulgo non habent intentionem aliud ipsis conferendi. Hæc itaque bona filiusfamilias alienare vel mutare non potest absque parentum consensu, saltem præsumpto. *Affirm.* vero si hæc bona sint primo usu consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forsan agatur de pecunia ad libros emendos, vel pensionem solvendam, etc. Ita omnes.

[1] Cod. civ., art. 387. — [2] Conseil d'Etat, 18 janv. 1811. — [3] Cod. civ., art. 389, 481 et seqq. — [4] Cod. civ., art. 384, 476 et seqq.

QUÆRES 3. *An filius censeatur renuntiare usufructui ad quem jus habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?*

RESP. *negat. generatim loquendo.* Silentium enim in tantum æquivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset; atqui quominus id facile queat, plerumque metus reverentialis obstat. Ita P. Gury, cum communiori sententia.

QUÆRES 4. *An filius habeat dominium eorum quæ in domo paterna lucratur?*

RESP. *Distinctione iterum utendo;* unde

1. Filius habet dominium in sequentibus casibus: 1° si sit emancipatus; 2° si laboret nomine proprio, arte propria, commercio peculiari [1]; sed tunc pater non tenetur eum alere; si tamen eum alit sine stipulatione, non computantur impensæ in partem hæreditatis [2]; 3° si non teneatur ex conditione sua laborare; 4° si *excessu extraordinario* plus cæteris fratribus operis et laboris insumat [3].

2. Non habet autem dominium: 1° si lucra sua sint necessaria ad vitam parentum sustentandam. Id patet, tum jure naturali, quo filii parentibus egentibus subvenire tenentur, saltem ex officio pietatis; tum jure civili [4], quo conceditur parentibus egentibus actio contra filium in tribunalibus; 2° si non compleverit ætatis suæ decimum octavum annum, nec fuerit emancipatus, quia, ex jure civili [5], ante prædictum tempus parentes retinent usumfructum ad compensandas educationis impensas; 3° si parvum lucrum faciat, quia vix tunc impensas pro se a parentibus factas adæquaret. Sed

QUÆRES 5. *Utrum bona a filiisfamilias in domo paterna proprio labore comparata, profectitia sint, an adventitia?*

RESP. 1. Si filiusfamilias ex solis operibus artificialibus lucrum reportaverit, illud erit *adventitium*, ac proinde

[1] Cod. civ., art. 387. — [2] C civ., art. 852. — [3] Gury. — [4] Cod. civ., art. 205. [5] Art. 384.

poterit illud retinere, vel recuperare post patris obitum, deductis tamen alimentis a patre susceptis, quia pater non tenetur alere filium habentem propria. Ita Cabassutius [1], qui asserit omnes Doctores in hoc puncto esse unanimes, et probat ex lege penult., *ff. de Obseq. parentibus præbendo*, quæ sic habet : *Pietatem liberi parentibus, non operas debent;* intellige, nisi pauperes sint.

Resp. 2. Si filius in domo patris remanens, aliquid lucratus fuerit ex ejus bonis, ejusque nomine negotiando, illud lucrum pertinet ad patrem tanquam profectitium, quia ex pietate debet patri ejusmodi servitia; si tamen protestetur vel expresse, vel tacite, nisi obstet timor reverentialis, aut prævisa protestationis inutilitas, se velle salarium, nec teneatur patrem alere, quia non indiget, tunc, ait Cabassut. cit., habet jus in partem hujusce lucri, quia hoc peculium in hac hypothesi non est omnino profectitium, sed mixtum ex profectitio, quoad bona paterna, et adventitio, ratione proprii laboris; bona autem adventitia pertinent ad filium, qui consequenter si clanculum servaverit summam labore suo non majorem, eam retinere potest, aiunt Pontas [2], Elbel, Navarr., Lessius. Hic casus, cum sit quotidianæ praxis, est maxime notandus. Alii vero probabilius negant. Ratio, quia tunc filius censetur agere ut membrum familiæ, et sic omne lucrum familiæ cedere debet. Aliunde, cum in domo paterna maneat, et a patre alatur, obsequia illa sunt patri debita. Ita S. Ligor. [3], Billuart, Layman, Antoine et alii, cum P. Gury.

Cæterum tria sunt notanda : 1° quod lucrum illud filius repetere non debet *per se* ante mortem patris, quia difficile filius judicare potest utrum damnum passus sit necne; 2° quod in praxi vix id filio indulgendum sit, ob hallucinationis periculum; 3° quod attente perpendi debeant cir-

[1] Lib. VI, cap. 4, num. 6. — [2] Verbo *Compensatio*, cas. 6. — [3] Num. 488.

cumstantiæ in quibus versantur filius et ejus cohæredes, ut judicetur quid æqualitas juris stricte requirat. Ita P. Gury.

## § II.

### De dominio uxorum.

QUÆRES 1. *Quarum rerum uxores possint habere dominium?*

*Nota.* Bona uxoris sunt triplicis generis, nempe : *paraphernalia, dotalia* et *communia.*

*Paraphernalia* definiuntur a Polmano : *bona superaddita doti uxoris*, nempe quæ uxor in contractu dotali sibi servavit, vel quæ contracto matrimonio acquisivit, sive donatione, sive legato, sive industria, etc.

*Dotalia* sunt ea quæ uxor tradidit marito ad sustentanda onera matrimonii.

*Communia* sunt ea quæ tempore matrimonii, communi labore et industria, sunt acquisita [1]. Quo notato,

I. — *Ex jure Romano,*

RESP. 1. Uxor habet dominium perfectum bonorum *paraphernalium* jure communi [2]. Servanda tamen est locorum consuetudo.

2. Uxor habet dominium directum *dotis*, maritus vero administrationem et usumfructum [3]. Marito autem mortuo, dos sine onere obvenit uxori.

3. Bonorum *communium* uxor habet proprietatem pro dimidia parte, sed administratio et ususfructus sunt mariti.

II. — *Ex jure Gallico* [4],

RESP. 2. Liberum est sponsis ante matrimonium quas voluerint, quoad bona sua, portiones facere, minime tamen bonis moribus contrarias. Quibus vero deficientibus, bona sua semper ad normam legis civilis disponere censentur [5].

[1] Cod. civ., art. 1400 et seqq. — [2] Cod. *de Pactis conventis.* — [3] L. VII *Digesti.* [4] Cod. civ., art. 1387-1581. — [5] Cod. civ., art. 1387.

Juxta vero pleraque pacta quæ ante matrimonium iniri possunt, conjuges, ratione bonorum, sub quadruplici regimine constitui posse videntur : 1° sub regimine communitatem bonorum *includente ;* 2° sub regimine communitatem bonorum *excludente ;* 3° sub regimine *separationis* bonorum ; 4° sub regimine *dotali*. Pro diversis illis regiminibus, diversa sunt uxorum jura.

1° Regimen communitatem bonorum *includens*, illud est in quo bona communia et propria conjugum distinguuntur. Duplex est illa communitas : alia *legalis*, quæ locum habet quando sponsi matrimonium ineunt sine ulla conventione, aut simpliciter declarant se sub regimine communitatis contrahere ; alia *conventionalis*, quæ nihil aliud est quam communitas legalis cui contrahentes varias apponunt pactiones a lege non prohibitas.

Inter bona *communia* referuntur : 1° omnia *mobilia*, quæ conjuges primo die matrimonii possiderunt, aut postea hæreditate vel donatione acceperunt, donatore non contraria statuente ; 2° omnia *immobilia* in matrimonio ex bonis vel ratione communitatis (non aliter) acquisita ; immobilia vero quæ conjuges jam ante matrimonium possiderunt, vel in matrimonio hæreditate vel legato alterutri facto acquisivere, minime in communitate allata censentur ; 3° omnia *fenora*, pensiones annuæ, qualescumque fructus et reditus quæ conjugibus obveniunt tempore matrimonii, et ex bonis jam primo die matrimonii ipsorum propriis, aut in matrimonio quolibet titulo acquisitis.

Sub regimine communitatis, omnia uxoris bona sunt dotalia, et maritus eorum integram administrationem et usumfructum habet. Solus maritus bona in communitatem allata potest alienare et oppignorare absque consensu uxoris, nisi agatur de immobilibus, vel de mobilium universalitate, aut de quotitate (id est de dimidia, tertia, quarta, etc., parte) mobilium gratuito titulo [1]. Dissoluta

[1] Cod. civ., art. 1421 et seqq.

communitate, bona et onera in duas partes dividuntur, nisi uxor aut illius hæredes maluerint bonis renuntiare, et ita ab oneribus se eximere. Tale est regimen quod dicitur *communitatis legalis,* quod diversis pactis a lege assignatis modificari potest [1]. Communitas conventionalis in omni re sequitur leges communitatis legalis, nisi huic implicite vel explicite derogatum sit.

2° Regimen communitatem bonorum *excludens* tunc locum habet, quando sponsi, non stipulato regimine dotali, matrimonium inire intendunt cum clausula communitatem excludente, aut separationem bonorum includente. Sub hoc regimine administratio et ususfructus pertinent ad maritum, sicut sub regimine communitatis; nulla autem bona sunt communia quoad proprietatem, sed soluto matrimonio, aut separatione bonorum ex sententia judicis facta, ea integra uxoris reddenda [2].

3° Sub regimine *separationis* bonorum, omnia bona sunt *paraphernalia;* uxor mobilium et immobilium administrationem, necnon usumfructum habet, sed tenetur conferre ad matrimonii onera sustentanda juxta conventionem; hac autem deficiente, uxor pro tertia parte suorum redituum concurrit [3].

4° Regimen *dotale,* sic dictum, non ex constitutione dotis, si quidem in aliis duobus prioribus regiminibus dos etiam potest constitui; sed quia dos peculiaribus gaudet privilegiis. Sub hoc regimine, maritus administrationem et usumfructum bonorum dotalium habet; uxor tamen partem sibi redituum suorum reservare potest. Bona quæcumque non expresse in dotem constituta, remanent uxori omnino propria [4]. Bona dotalia immobilia alienari vel hypothecari non possunt durante matrimonio, neque ab uxore, neque a marito, neque ab utroque simul, exceptis casibus a lege definitis [5]. Dotis tamen integræ vel

[1] Cod. civ., art. 1487. — [2] Cod. civ., art. 1529 et seqq. — [3] Cod. civ., art. 1536 et seqq. — [4] Cod. civ., art. 1540 et seqq. — [5] Cod. civ., art. 1554 et seqq.

partis ex mobilibus quorum æstimatio facta est, eo animo, ut æstimatio rationem habeat venditionis, maritus possessor existit, obligatus ad reddendum solum pretium statutum [1].

5° Uxor, sub quocumque regimine nupserit, non potest alienare, oppignorare, nova acquirere, se obligare, sistere in judicio, sine consensu mariti vel judicis [2].

*Sequitur ex dictis,* in utroque jure :

1° Uxorem peccare contra justitiam, et teneri restituere viro vel ejus hæredibus, si aliquid de bonis communibus aut dotalibus surripiat aut impendat, invito rationabiliter domino; in quo tamen maritus plus indulgere solet uxori, quam extraneis.

Dixi *invito rationabiliter domino;* uxor siquidem de bonis communibus vel dotalibus aliquid absque furto subripere potest : 1° ad modicas et statui suo convenientes eleemosynas faciendas, nisi tamen vir sufficientes largiatur; 2° ad impediendum grave damnum familiæ, v. gr. si maritus sit prodigus; 3° ad vitandum damnum mariti, quia tunc negotium mariti utiliter gerit; 4° ad necessitatibus suis aut liberorum, quibus subvenire renuit maritus, subveniendum; 5° ad subveniendum patri, matri, aut proli ex alio matrimonio, si indigeant quoad vitam vel statum, quia hæc obligatio est naturalis; tenetur tamen uxor ea quæ sic dedit, in partem suam referre, cum ad partitionem cum hæredibus viri deveniendum erit, si tamen hæc sunt majoris momenti; secus, non tenetur referre, quia inter eleemosynas utrisque conjugibus communia recensentur. Ratio horum est, quia maritus consentire censetur, vel saltem non est rationabiliter invitus.

*Sequitur* 2° maritum peccare contra justitiam et teneri ad restitutionem uxori, vel ejus hæredibus : 1° si dilapidat ejus dotem; 2° si accipiat aut impendat paraphernalia uxoris. Utrum vero peccet contra justitiam, si bona

[1] Cod. civ., art. 1551. — [2] Cod. civ., art. 215 et seqq.

communia notabili quantitate, invita uxore, prodige donet, affirmant plures Doctores contra Habert [1]. Ratio, quia, licet bonorum communium administratio sit penes maritum, tamen proprietas mediæ partis illorum ad uxorem jure communi pertinet, ac proinde maritus facit ei injuriam, partem ipsius, ipsa rationabiliter invita, profundens.

Secunda vero sententia distinguit. Si maritus, dissipando bona communitatis, non excedat limites juris a lege concessi, etsi peccaverit contra pietatem et prudentiam, non tamen contra justitiam propter rationem primæ sententiæ, nempe, quia non habet uxor jus strictum nisi ad medietatem communium bonorum, quæ, soluta communitate, exstabunt; stante vero matrimonio, maritus est bonorum communitatis dominus, nec tenetur reddere rationem suæ administrationis. Si autem tales limites excesserit, cogendus est ad restitutionem.

Ex jure autem *Gallico*, excederet juris limites, si titulo gratuito daret aliqua immobilia, vel *totalitatem* aut *quotitatem*, v. gr. quartam vel tertiam partem mobilium, aut si bona communia ad sua privata bona augenda diverteret [2].

Quæres 2. *An servi habeant aliquarum rerum dominium?*

Resp. Jura civilia non videntur illis ullum dominium concedere, sed quidquid acquirunt quavis causa, dominis acquirunt; ait enim Justinianus: *Servus nec est dominus vestimenti quotidiani, quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest* [3]. Verum ista severitas consuetudine legitima est mitigata; unde, licet non habeant dominium fructuum laboris, tamen possunt in quibusdam casibus habere aliquod dominium, etiam perfectum:

1° Si dominus aliquod peculium ipsis concedat vel permittat.

2° Si aliquid eis detur ea conditione, ut non acquiratur domino.

[1] Part. 1, pag. 104. — [2] Cod. civ., art. 1421-1422; et P. Gury, num. 546.
[3] L. *Id vestimentum*, ff. *De peculio*.

3° Si aliquid de bonis propriis, ludo aut aliqua negotiatione sine domini detrimento lucrentur, vel si præter opera præscripta, alia faciant lucrativa.

4° Si aliquid eis detur pro compensatione injuriæ illis illatæ in bonis quorum sunt domini, v. gr. in fama.

*Hinc,* servus differt a Religioso solemniter professo, qui prorsus incapax est dominii.

*De dominio* Religiosorum egimus, in tractatu *de variorum Statuum obligationibus*

## § III.

### De dominio Clericorum.

*Nota* Clericos sæculares tria genera bonorum habere posse, nimirum : *patrimonialia*, *quasi-patrimonialia,* et *mere ecclesiastica.*

*Patrimonialia* sunt ea quæ Clericis obveniunt ex donatione, patris successione, propria industria, vel quovis alio titulo civili.

*Quasi-patrimonialia* sunt ea quæ Clericis obveniunt, non tanquam fructus Beneficiorum, sed ut stipendia quædam pro functionibus ecclesiasticis, v. gr. pro cantu, celebratione Missarum, etc.

*Mere ecclesiastica* sunt ea quæ Clericis obveniunt ex puro titulo Beneficii, quæque a fidelibus Ecclesiæ primitus oblata et incorporata sunt, ex quorum tamen intentione Ecclesia proventus illorum bonorum deputavit Clericis, in eorum congruentem sustentationem.

*Certum est* 1° Ecclesiasticos posse pro libitu disponere de bonis patrimonialibus et quasi-patrimonialibus, cum *patrimonialia* Ecclesiam non respiciant; *quasi-patrimonialia* autem sint stipendia pro labore, ac proinde eorum habeant plenum ac perfectum dominium, non secus ac sæculares.

*Certum est* 2° Beneficiarios ex patrimonio divites, de Beneficiorum suorum fructibus licite vivere posse. Quod probatur auctoritate et ratione Apostoli dicentis [1] : *Quis militat suis stipendiis unquam?... quis pascit gregem, et de lacte gregis non edit? nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Hinc, si Clericus de suis bonis vivat aut impendat in pias causas, potest tantumdem accipere de bonis ecclesiasticis ad se compensandum.

*Certum est* 3° Ex unanimi consensu Patrum ac Theologorum, tum veterum, tum recentiorum, fructus Beneficiorum post honestam sustentationem superfluos, in pios usus expendendos esse, gravissimeque peccare eos qui bona ecclesiastica in usus profanos dilapidant, aut parentibus suis et amicis affectu carnali distribuunt. Sed quænam sit tam stricta hæc obligatio, an *charitatis?* an etiam *justitiæ?* ita ut Beneficiarii bonorum ecclesiasticorum non sint domini, sed simpliciter œconomi et administratores, controversia est inter recentiores Theologos, quæ ut solvatur,

*Nota.* Quidam hanc quæstionem, quam fuse probant Theologi, breviori calamo expendunt, cum *parum referat*, ut ait Bellarminus [2], *utrum* Beneficiarii qui in usus profanos consumunt fructus Beneficiorum suorum, *damnentur ad inferos, quia peccaverunt contra justitiam, an quia contra charitatem;* constat enim, ait Habert [3], eos in Deum esse sacrilegos, obnoxiosque damnationis æternæ, nisi pœnitentiam egerint, et Deo satisfecerint, imo et pauperibus restituendo, si contra justitiam peccaverint.

Itaque *prima sententia* probabilis contendit Clericos non esse dominos illius portionis redundantis, sed simplices administratores, tenerique ad restitutionem si eos ad usus superfluos et profanos impenderint, et sic probant.

[1] I Cor. IX, 7. — [2] *Admonitione ad nepotem*, controv. ult. — [3] *De jure et justit.*, part. 1, cap. 21

PROB. Illa doctrina verissima et admodum certa censeri debet, quam tradunt Canones Ecclesiæ et Sancti Patres, quamque docent communiter Theologi; atqui doctrinam hanc tradunt Canones Ecclesiæ et Sancti Patres, eamque docent communiter Theologi, exceptis quibusdam inter recentiores: ergo, etc.

PROB. PRIMA PARS MIN. 1. Ex Alexand. III definiente [1]: *Episcopus et quilibet Prælatus rerum ecclesiasticurum procurator est, non dominus.*

2. Ex Concil. Aquens. [2]: *Commendatarii non existiment sibi mandatum Monasterii regimen ad luxum et prodigalitatem, aut augendam rem suam et consanguineorum familiam, sed ad piam et justam alienarum rerum dispensationem, et quarum non habent proprietatem.* Similia habent Concil. Nicæn. II, can. 12; Rhedon., anno 1273, can. 1; Rothomag., Burdig., Concil. generale VIII, cap. 15, etc.

PROB. SECUNDA PARS MIN. *Ex Patribus.*

1. Ex Div. Bernardo [3] dicente: *Si privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

2. Ex Div. Thoma, quem ad se trahere nituntur adversarii [4]: *Bonorum vero ecclesiasticorum Clerici non sunt veri domini, sed dispensatores.*

3. S. Raymondus dicit [5] *tales Clericos qui consanguineis conferunt bona ecclesiastica pauperibus debita, esse raptores, et per consequens teneri ad restitutionem omnium.* Similiter loquuntur omnes alii Patres.

PROB. TERTIA PARS MIN. *Ex Theologis.* 1. Ex testimonio Joannis Majoris [6], qui asserit nullum se scire qui ante ipsius ætatem contrarium docuerit.

PROB. 2. *Ratione.* Si Clerici sunt bonorum illorum do-

[1] Cap. *Fraternitatem, de donationibus.* — [2] Anno 1585, tit. *de Monast.*
[3] Epist. 50 *ad Bonifacium.* — [4] *Quodlib.* 6, art. 12 *in corp.* — [5] Lib. II, tit. 5, *de rapt. et præd.*, § 6. — [6] In 4, dist. 23, quæst. 6.

mini, non est ratio cur hæc bona distribuere teneantur, potius quam illa quorum habent dominium; atqui bona vere propria non tenentur distribuere, nisi in pauperum necessitate et ex charitatis virtute : ergo, si graviter peccant quoties bona Ecclesiæ superflua in pauperum usus non impendunt, non certe ex alio, nisi quia non sunt illorum domini. Ita Navarr., Henriq., Habert, Concina, Laym., Antoine, et alii.

*Secunda sententia*, etiam probabilis, imo *forte probabilior* et valde communior inter recentiores, negat, et sic probant. Illius fructus verum dominium habent Beneficiati, quibus concessit Ecclesia ; atqui Ecclesia concessit Beneficiatis dominium fructus bonorum ecclesiasticorum : ergo, etc.

*Major* patet, *minor* probatur. In primis Ecclesiæ sæculis, omnes Clerici in communi vivebant, et bona ecclesiastica singulis secundum merita, ab Episcopis distribuebantur, quantum exigebat honesta uniuscujusque sustentatio, et reliquum applicabatur fabricæ aut pauperibus sublevandis ; at frigescente charitate, vel quia forte Episcopi non tam fideles erant in tali distributione, Simplicius Papa [1], qui erectus est anno 465 [2], fructus bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes divisit, primam applicando Episcopo, secundam Clericis, tertiam fabricæ ecclesiæ, quartam pauperibus, quod postea confirmavit Gelasius Papa [3], Gregor. Mag. [4] ; quam divisionem supponit et asserit pro certo factam S. Thomas [5].

Ergo, quamvis ante hanc divisionem nullus Clericorum in hæc bona jus haberet, post divisionem tamen eorum dominium adepti sunt. Ergo obligatio quam habent Beneficiarii erogandi superflua pauperibus, non oritur ex justitia, sed ex virtute religionis, quæ non obligat ad res-

[1] In cap. *de Reditib.*, caus. 12, quæst. 25. — [2] Alii dicunt B. Sylvest. Pap. circa ann. 324; Billuart, diss. 3, art. 5, *de Justit. et jure.* — [3] In cap. *Nobis enim.* [4] In cap. *Cognovimus*, dist. 29, caus. 12, quæst. 2. — [5] *Quodlib.* 6, art. 12, ad 3.

titutionem, et sic respondetur ad secundam rationem primæ sententiæ.

2. Ex S. Thoma, in *Quodlib.* 6, art. 12, ad 3, ubi distinguens bona ecclesiastica assignata pauperibus, sicut sunt bona hospitalium, ab illis quæ assignantur Clericis, prout sunt præbendæ, dicit : *In primis bonis pecccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum alius in suos usus consumit quod est alterius ; et ideo tenetur ad restitutionem, tanquam defraudator rei alienæ. In secundis vero non committitur peccatum nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus ; unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum, ad pœnitentiam peragendam.*

3. Ex auctoritate Canonum. Bonifacius VIII [1], cum statuisset distributiones quotidianas esse distribuendas præsentibus, subdit : *Qui aliter de distributionibus aliquid receperit.... rerum sic perceptarum dominium non acquirat, nec faciat suos.* Ergo præsens dominium earum acquirit, et facit suas. Item Tridentinum [2] præcipit quod Beneficiarius *omittens recitationem Horarum, privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos.*

*Insuper* Concilium Lateranense V [3] declarat quod Beneficiarius Officium post sex menses a possessione Beneficii omittens, *fructus suos non faciat.* Ergo, si Officium non omittit, jam facit suos.

4. *Ex ratione.* Clerici sunt in possessione omnium fructuum sui Beneficii, *ut per se patet ;* atqui imponenda non est alicui obligatio justitiæ, nisi ex manifesto jure, aut manifesta ratione probetur, in dubio namque possidentis est melior conditio. Atqui eos teneri ad restitutionem, si male impendant, probari non potest : 1° neque ex parte donantium, quia fideles donarunt hæc bona Ecclesiæ et Eccle-

[1] Cap. *Consuetudinem, de Clericis non resident.*, 13, 23, in 6. — [2] Sess. 42, cap. 12 *de Reform.* — [3] Sess. 9, *Statuimus.*

siasticis simpliciter et absolute, non vero sub conditione, saltem expressa et in pactum deducta, erogandi superflua in usus pios, eo magis quia hæc bona non gratiose, sed ut debita ex justitia a fidelibus Deo offeruntur in sustentationem ministrorum ejus ; 2° neque ex parte Ecclesiæ; si enim Ecclesia censeret aut vellet Clericos stricto jure teneri ad restitutionem, id procul dubio claris et expressis terminis declarasset, cum res hæc sit maximi momenti: atqui nullibi claris et expressis terminis id declaravit: ergo, etc.

*Sed amplius* ad primam rationem primæ sententiæ, respondetur bona ecclesiastica dici bona pauperum, et Clericos vocari raptores et fures, per quamdam exageratione, sicut de divitibus sæcularibus qui indigentibus non succurrunt ex his quæ superfluunt. Hinc Hieronymus: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria continere probatur* [1].

Ad secundam vero rationem, respondetur nihil impedire quominus, præciso jure justitiæ, Clerici teneantur sub gravi hæc superflua impendere in usus pios, tum ex virtute charitatis, tum ex virtute religionis, tum ex præcepto Ecclesiæ quo manent vinculata. Tale vero vinculum quod ab omnibus agnoscitur, non officit vero et absoluto dominio, nec importat obligationem justitiæ, aut onus restitutionis. Ita Lugo, Billuart, Lessius, Salmant., et alii apud S. Ligorium.

Quæres 1. *An pensio, quæ in Gallia Sacerdotibus a gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat?*

Resp. *affirm.* Ratio, inquit P. Gury [2], quia ex Concordato anni 1801, pensio prædicta videtur statuta in compensationem bonorum ecclesiasticorum, quæ tempore perturbationis Galliæ subrepta sunt. Ergo eamdem habet naturam ac bona quibus substituitur.

Constat etiam ex variis S. Pœnitentiariæ responsis.

1 Relatus in cap. *Hospit.*, dist. 42. — 2 Num. 55.

QUÆRES 2. *An Clerici possint superflua reservare in futurum ad usus pios ?*

RESP. *affirm.* Ex S. Thoma [1]. Hinc, laudabiliter facit qui, necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ superfluunt reponit ad fundationem piam, vel utilitati Ecclesiæ aut necessitatibus pauperum in futurum providendum. Eo vero casu cautio adhibenda est, ne, morte adveniente, tales reditus forte a consanguineis diripiantur [2].

QUÆRES 3. *Quinam veniant sub nomine pauperum ex superfluis sublevandorum ?*

RESP. Veniunt : 1° non solum ostiatim mendicantes, sed etiam ii qui aliter nequeunt suum statum conservare, sive loci sint, sive extranei ; pauperes enim loci ex mente canonum non videntur præferendi.

2° Consanguinei, si vere pauperes sint, ita ut alias non possint proprium statum sustinere. Imo Clericus potest hos consanguineos indigentes præferre aliis pauperibus, etiam gravius indigentibus, quia subventio propinquorum indigentium pertinet etiam ad statum Clerici servandum, cum illorum paupertas in ipsius dedecus redundet. Ita communiter [3]. Sed in his sibi caveant Clerici.

## § IV.

### De dominio auctorum.

*Nota. Certum* est hominem habere jus in fructum suæ industriæ et ingenii. Si enim res *fructificat domino suo*, a fortiori illud verum est de facultatibus internis hominis, cum nihil sit tam suum quam seipse. Sola ergo difficultas est, utrum auctor, quando conceptiones suas in lucem edit, possit adhuc aliquod retinere dominium in eas, et alios ab eorum usu excludere. Unde

[1] 2 2, quæst. 185, art. 7, ad 4. — [2] S. Ligor., num. 491, quær. 4. — [3] S. Ligor., num. 491, quær. 2.

QUÆRES 1. *An violet jus alienum qui manuscriptum sine consensu auctoris typis edit ?*

RESP. *affirm.* PROB. Ille violat jus alienum, qui rem alienam subripit invito domino ; sed qui manuscriptum typis edit sine consensu auctoris, subripit, etc.

*Prob. min.* Fructus ingenii sunt in dominio privato auctoris quamdiu manent in manuscriptis, et in lucem ipse, aut, ipso consentiente, alter non edidit : ergo, etc. ; unde subripiens tenetur ad restitutionem, seu ad damnorum compensationem. Ita P. Gury, num. 576.

QUÆRES 2. *An qui librum typis edidit, jus habeat impediendi ne quisquam illum prælo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolæ cui auctor jus suum transmisit ?*

RESP. *affirmative* de jure *positivo* in Gallia, et quibusdam aliis locis. Si vero agatur de jure *naturali*, controvertitur, et *probabilius* negatur. Ratio, quia res in communitatem tradita, fit eo ipso communis.

QUÆRES 3. *An lædat jus alienum qui typis mandat lectiones publicas professoris, vel concionem auctoris ?*

RESP. *affirm.* de jure *positivo* in Gallia. Sic judicavit tribunal *appellationis* Parisiensis [1].

Ex jure autem *naturali* controvertitur. Nobis *probabilius* videtur negandum, quia, sicut res in communitate tradita fit communis, ita et doctrina seu lectiones verbis publice enuntiata ; siquidem nulla essentialis differentia intercedere videtur opus editum inter et lectiones seu conciones publicas. *Aliter* sentiunt D. Carrière [2] et P. Gury [3].

QUÆRES 4. *An typis mandari possit liber in regno vicine recenter evulgatus sine licentia auctoris ?*

RESP. *affirm.* Quia auctor nullum jus certum repetere potest, et proinde de violato certe *dominio* conqueri nequit.

[1] 28 febr. 1825, et junii 1852. — [2] Num. 61. — [3] Num. 556.

Idem dicendum est de inventionibus variarum artium. Ita *probabilius* Carrière [1] et P. Gury [2].

## ARTICULUS IV.

### DE MODIS QUIBUS ACQUIRITUR ET TRANSFERTUR DOMINIUM.

*Nota.* Bona vel sunt sub dominio alicujus, vel sub nullius sunt dominio.

Quæ sunt sub dominio alicujus, possunt acquiri *volente* domino, vel eo *nolente.*

Quæ sub nullius sunt dominio, vel nunquam habuerunt aut censentur habuisse dominum, vel habuerunt dominum, sed postea amiserunt et inter communia bona reincederunt, et variis modis acquiruntur.

Hinc duæ sectiones: 1° dicemus de modo acquirendi dominium rerum quæ nullius sunt; 2° de modo acquirendi dominium rerum quæ alicujus sunt.

### SECTIO I.

*De modo acquirendi dominium rerum quæ nullius sunt.*

*Nota.* Bona quæ sub nullius sunt dominio, præcipue acquiruntur: 1° *occupatione;* 2° *inventione.* Unde

### § I.

**De acquisitione dominii per occupationem.**

*Nota* 1. Occupatio seu apprehensio realis rerum quæ sunt nullius, est legitimus modus acquirendi. *Quod* enim *nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur* [3]. Tres tamen requiruntur conditiones: 1° ut res sit dominii privati capax, et ad neminem jam pertineat. Hinc aer, sol, luna, maria, in dominium privatum venire non possunt;

[1] Num 91. — [2] Num. 557. — [3] Ex § *Fera,* inst. *de Rerum divisione.*

2° ut occupans intendat rem facere suam; 3° ut nulla lex occupationi obstet, quia, ex regula 64, *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

*Nota* 2. In Europa, ubi divisio rerum jam a multis sæculis est facta, nulla fere sunt immobilia quæ sint nullius, hujusmodi enim bona jam ad gubernium ubique fere pertinent. Itaque nunc in praxi, occupatione fere tantum acquiruntur: 1° animalia; 2° gemmæ, venæ metallicæ, etc.; 3° sylvæ communes et pascua, et quædam alia huic quæstioni affinia. Unde

### N° 1. — *De occupatione animalium.*

QUÆRES : *Quomodo acquiratur dominium animalium?*

*Nota.* Animalium alia sunt natura sua fera et sylvestria, ut cervi, lepores, etc.; alia mansueta, ut oves, boves, gallinæ domesticæ, etc; alia cicurata ex feris, ut cervi quos domi nutrimus, pavones, columbæ domesticæ; alia retinent indolem sylvestrem.

### CONCLUSIO I.

*Animalia ex natura sua mansueta et domestica, quantumvis aberrent et fugiant, non licet occupare* [1].

PROB. Quia cum sint natura sua domestica [2], licet fugerint, non tamen ideo recuperant libertatem: ergo sunt prioris domini. Quare, ubicumque inventa fuerint, dominis sunt restituenda, imo etiamsi capta a lupo, qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit, ait Lessius [3].

[1] § *Gallinarum*, instit. *de Rerum divers.*

[2] Quidam volunt animalia natura sua domestica, naturam et habitudinem ferarum induere, si procul abierint, diuque inter sylvas remanserint, quod vix credibile est.

[3] Lib. II, cap. 5, dubit. 6.

## CONCLUSIO II.

*Animalia fera seu sylvestria, usu mansuefacta, non licet occupare quamdiu consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in potestatem domini; quod si amittant consuetudinem redeundi, fiunt occupantis* [1].

Prob. Quia in primo casu non censentur recuperasse naturalem libertatem, quam in secundo recuperarunt, ac proinde non amplius sunt in potestate prioris domini: ergo sunt primi occupantis. Hinc,

Inferes 1. Si in columbario tuo appositis illecebris attrahas aliorum columbas, teneris ad restitutionem; quod si columbæ alterius sponte et sine fraude (quia v. gr. melius pabulum eis das, vel commodiori loco collocas) se aggregent columbis tuis et consuetudinem redeundi in proprium columbarium amittant, sunt tuæ. Dicuntur autem consuetudinem redeundi deseruisse, *si bis terve tempore consueto non redeant*, ut docet Navarrus [2].

Inferes 2. Examen apum, quamvis avolet ex alveario tuo, tamen tuum manet quamdiu in tuo conspectu versatur, nec difficilis est ejus prosecutio, alioquin occupantis fit: sunt verba Justiniani [3].

## CONCLUSIO III.

*Animalia omnino fera et sylvestria in loco publico et non circumsepto vagantia* (idem dic de piscibus) *fiunt primi occupantis, etiam contra voluntatem Principis venationem prohibentis.*

Prob. Nam, licet piscatores aut venatores quandoque graviter contra obedientiam peccent, transgrediendo legem justam Principis, non tamen peccant contra justitiam;

[1] § *Pavonem*, eodem titulo. — [2] Cap. 17, num. 128. — [3] Instit., *de Rerum divis.*

unde fiunt domini prædæ, nec ad restitutionem tenentur. At si conspectum occupantis ita evadant, ut difficilis sit eorum prosecutio, fiunt secundi occupantis, quia de novo suam libertatem recuperarunt.

Dixi *in loco non circumsepto;* si enim sit circumseptus, pisces et feræ censentur esse domini illius loci, nisi ita vastus sit, ut naturali libertate frui videantur.

*Nota.* Qui a gubernio recepit jus piscandi, non potest ab illo privari sine injustitia. Unde tenetur ad damnum compensandum, qui tantam magnam multitudinem piscium in flumine prædicto emptori assignato caperet vel destrueret, ut jus piscationis notabiliter læderet [1].

Quæres 1. *Cujus sit fera ab uno læsa et ab alio capta?*

Resp. Ex Justiniano [2], *eam esse capientis;* verum hæc dispositio non viget in Gallia, ubi fera vulnerata est vulnerantis eam insequentis cum morali certitudine quod eam sit apprehensurus, quia tunc moraliter per vulnus inflictum est apprehensa; sanxit autem Henricus IV, ut qui feram excitavit in fundo in quo habet jus venandi, et a fortiori qui vulneravit, eam possit in alieno fundo insequi, donec vel capta sit, vel omnino evaserit, quod etiamnum viget. Si fera læsa evaserit, pertinet ad capientem, ut primum occupantem. At in dubio, præda dividenda est pro ratione dubii. Ita Laym., Lessius, S. Ligor., etc.

Quæres 2. *Ad quem pertineat fera laqueo, item piscis retibus inhærens?*

Resp. Si inhæreat *inextricabiliter*, est ponentis laqueum et rete, quia est occupata per instrumentum; si *extricabiliter*, est primi occupantis, propter contrariam rationem. Sed in dubio præda est dividenda.

[1] Ex Cod. civ., art. 715, patet jus piscandi et venandi specialibus legibus in Gallia determinari, unde: 1° non licet venari sine legali licentia vulgo dicta *port-d'armes;* 2° nec in fundo alterius sine ejus consensu bene præsumpto; 3° nec in proprio extra tempus determinatum; 4° nec piscari in flumine vel in mare cum retibus quæ statutam qualitatem non habent.

[2] § *Item quæsitum*, inst. *de Rer. divisione.*

Quæres 3. *Si fera quam insequor cadat in laqueum tuum, cùjus erit?*

Resp. Cum Tournely [1]: si aliter occupaturus eram, quod ex inflicto vulnere debet dijudicari, erit mea; si vero occupaturus non eram, erit tua: in dubio, melior erit conditio primo occupantis, juxta multos [2], juxta alios debet dividi.

Quæres 4. *An licitum sit occidere columbas, gallinas*, etc., *alienas agro tuo nocentes?*

Resp. Non licet, si non inferant grave damnum, aut facile abigi possint. Secus, licet, maxime si dominus admonitus non curat, quia licet tibi rem tuam servare cum pari alterius damno quod indirecte sequi debet.

At gallinæ et columbæ, generaliter loquendo, non censentur graviter nocere, nisi tempore messis vel seminum, quibus temporibus licet *expresse* ex *jure Gallico* illas occidere, quia tunc jubentur recludi.

*Nota* 1. Etsi venatio et piscatio sit prohibita ratione utilitatis publicæ, ut, scilicet, multiplicationi avium et piscium consuletur, non est tamen peccatum mortale, nisi modus venandi vel piscandi sit valde perniciosus commodo Reipublicæ vel particulari; animalia tamen capta, in neutro casu sunt restituenda, cum lex non prohibeat acquisitionem, sed actum solum venationis vel piscationis [3].

*Nota* 2. Venatores conculcantes agros, vineas, segetes, etc., et quorum canes occidunt gallinas vel alia animalia pauperum, teneri ad restitutionem.

[1] Tract. *de Justitia*, pag. 2, cap. 1 *de Dominio*. — [2] Less., Becan., etc. [3] S. Ligor., lib. IV, num. 604.

N° II. — *De occupatione lapillorum, gemmarum, fodinarum plumbi, ferri, venarum auri, argenti,* etc.

*Nota.* Res quæ in mare vel in fluminibus reperiuntur vulgo appellantur *épaves,* ex verbo *expavere,* quod dicitur de animalibus errantibus, quorum dominus est ignotus.

Quæ inveniuntur in fluminibus, dicuntur *épaves de rivière;* quæ in littore maris, nuncupantur *épaves maritimes.*

Ex his aliæ nascuntur vel effodiuntur in aquis, ut capilli, corallia, etc.; aliæ sunt spolia, v. gr. naufragantium; de quibus infra, ubi de rebus amissis.

Quæres 1. *An lapilli, gemmæ, ambrarum, corallum,* etc., *quæ in littore maris inveniuntur, sint primi occupantis?*

Resp. Cum Justiniano [1] *affirm.* Ratio est, quia nullius sunt. Hæc dispositio viget in Gallia, ait Tournely hic; at de spoliis aliter disponunt jura positiva cujusque nationis [2].

Quæres 2. *Ad quem pertineant spolia ea quæ in fluminibus reperiuntur?*

Resp. 1. Ex jure naturali, de his sicut de rebus nuper amissis est judicandum.

Resp. 2. Ex jure antiquo Gallico, quod etiamnum viget, distinguendum est: res rel reperiuntur in fluminibus *navigabilibus,* vel in *non navigabilibus.* Si *primum,* post elapsum quoddam tempus, domino non comparente, fisco cedunt; si *secundum,* nihil speciale statutum est: quare de his sicut de rebus nuper amissis judicandum est.

Quæres 3. *Ad quem pertineant lapidicinæ* (*gallice* carrières), *fodinæ plumbi, ferri, quæ sunt in fundo alicujus?*

Resp. Pertinent ad dominum fundi, quia vel sunt pars fundi, vel ejus fructus. Idem dic de venis metallicis auri

[1] Lib. II, tit. 1, § 18 *Lapillorum.* — [2] Vid. Toullier, tom. III et IV.

et argenti, spectato solo jure naturali et gentium, quia sunt fructus fundi cum in eo crescant, vel sunt ejus partes; tamen secundum jus Gallicum, pertinent ad Rempublicam seu gubernium[1], compensato solo damno quod infertur loco[2].

## N° III. — *De pastione et lignatione in sylvis communibus.*

*Nota.* Quamvis ea, de quibus hic quæstio est, habeantur sub dominio alicujus, propter tamen eorum modicitatem inter communia recenseri videntur.

Quæres 1. *An Princeps possit prohibere pastionem et lignationem in pascuis et sylvis communibus?*

Resp. *affirm.* Quia id aliquando expedit bono publico; atqui Princeps potest præcipere vel prohibere quidquid expedit bono publico: ergo, etc.

Resolves: Qui contra justam prohibitionem lignant in sylvis, arbores magnas et plures cædunt, vel animalia in eas introducunt, peccant mortaliter, si inde grave damnum Reipublicæ inferant, et tenentur ad restitutionem erga Rempublicam, sive sint extranei, sive incolæ; si vero non ita graviter noceant, censet Lessius [3] et communiter, non nisi venialiter peccare, nec ad restitutionem teneri, si sint incolæ; quia alias jus habent, et communitas censetur re-

[1] Venæ, sive metallicæ, sive non, jure novo dividuntur in tres classes quæ vocantur *mines*, *minières*, *carrières*, circa quæ statuitur: *Sont considérées:* 1° *comme* mines, *celles qui contiennent en filon, ou en couche, ou en masse, de l'or, de l'argent, du plomb, du fer, du charbon de terre;* 2° *comme* minières, *celles qui contiennent les minerais de fer, dits d'alluvion, les terres alumineuses, les tourbes;* 3° *comme* carrières, *celles qui renferment les ardoises, les grès, les pierres à bâtir, les marbres, les substances terreuses et les cailloux de toute nature* (Loi du 21 avril 1810, art. 2). *Les mines ne peuvent s'exploiter sans le consentement du gouvernement, qui en donne la permission, ou au propriétaire, ou à un autre, sauf indemnité. Chacun peut exploiter les* carrières *sans permission, en se soumettant aux règlements qui régissent la matière. On peut exploiter les* minières, *en faisant une simple déclaration* (Toullier, tom. III et IV, num. 252).

[2] Vide Chopin., *de Doman.*, lib. II, tit. 5. — [3] Lib. II, cap. 5, dubit. 13.

mittere non notabilem injuriam, contenta mulcta pecuniaria, si in furto capiantur. Quæ dicuntur de sylvis communibus a fortiori sunt dicenda de sylvis privatis.

*Excusantur* tamen pauperes, si ex his præcise necessaria usibus suis asportent, nec notabile damnum inferant, quia communitas id pauperibus suis membris indulgere censetur, ait Paulus a Lugduno [1].

QUÆRES 2. *Quid sentiendum de pauperibus qui ligna cædunt in sylvis quæ ad regem vel alios privatos pertinent?*

RESP. Eos fures esse et ad restitutionem teneri pro ratione rei ablatæ, vel damni illati (quod sæpe multo pluris est quam succisa valeant, si, v. gr. novellas trabes cædant); est enim ablatio rei alienæ invito domino, nisi habeant consensum expressum vel tacitum proprietariorum, qui supponitur : 1° si proprietarius non soleat curare restitutionem, sed satis ei sit ut comprehensi mulctam luant; 2° si domini non possint sine immunitate huic asportationi obsistere; 3° si his lignis non utantur. Hinc,

INFERES : Licitum esse pauperibus colligere minuta, quæ jacent ligna mortua (gallice *bois mort*), item ligna caduci roboris (gallice *mort bois*) in usum proprii foci, vel etiam in venditionem, ad sustentandam familiam; ratio est, quia domini non sunt tunc inviti, vel sunt irrationabiliter inviti.

De jure pascendi tacere cogor, quia variatur pro diversitate locorum ; unde consuetudo et leges municipales in his servandæ sunt.

## § II.

### De acquisitione dominii per inventionem.

*Nota.* Inventio dicitur *quædam occupatio rei a domino suo separatæ ita ut sit nullius ;* et acquiruntur inventione : 1° thesaurus; 2° res nuper amissa; 3° bona vacantia et derelicta.

[1] Dissert. 2, cap. 5 *de Domin.*

## N° I. *De inventione thesauri.*

QUÆRES 1. *Quid sit thesaurus ?*

RESP. Definitur in jure [1] : *Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.*

Dicitur 1° *vetus,* alias non esset thesaurus, sed res inventa.

Dicitur 2° *pecuniæ*, quo nomine intelliguntur gemmæ, annuli, vasa argentea, etc. Ex jure Gallico definitur: *Res quæcumque abscondita vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quæ casu invenitur;* quæ ultima verba posita sunt ne homines, spe thesauri inveniendi, incitarentur ad effodiendum aliorum agros.

QUÆRES 2. *Cujus sit thesaurus inventus ?*

RESP. 1. Jure naturali et gentium totus est inventoris ; nam quæ nullius sunt, his juribus fiunt primo occupantis. Quod verum est, ait Lessius [2], etiamsi possit sciri a quorum majoribus sit conditus, quia quod tanto temporis spatio desiit possideri, desiit etiam esse in dominio cujusquam.

RESP. 2. Jure civili Romano, cui concordat jus novum, sequentia sunt tenenda [3] :

1° *Thesaurus* in *fundo proprio* inventus, totus est inventoris ; si arte magica sit inventus, totus est fisci, non tamen ante sententiam judicis, ait Lessius citans Navarr., quia hæc dispositio est pœnalis, et lex ferendæ sententiæ, ut patet eam legenti. Hæc dispositio non viget in Gallia.

2° Inventus *in fundo alieno casu fortuito,* media pars fit inventoris, et altera domini fundi, sive sit Princeps, sive privatus, et hoc ante sententiam judicis ; quia hæc dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum ob bonum commune [4].

[1] L. *Nunquam*, ff. *de Acquir. rer. dominio.* — [2] Lib. II, cap. 5 *de Dubit.*, 15.
[3] L. *Nunquam*, ff. *de Acquir. dominio.* — [4] Lege unica, cap. *de Thesauris.*

3° Inventus in *fundo alieno, absque consensu domini*, totus adjudicatur domino fundi; non tamen inventor tenetur dare ante sententiam judicis, nec totum, nec dimidiam partem, ut quidam volunt, quia hæc dispositio, inquiunt, est pœnalis, ad puniendam injuriam factam domino fundi, quærendo in ejus fundo. Sed hæc vana est ratio: nam lex non regulat delictum, et ex jure naturæ totus cedit effossori.

4° Inventus *de industria in fundo alieno cum consensu domini*, totus adjudicatur inventori, nisi intervenerit dolus, vel pactum aliter disponens.

5° Inventus *in platea, foro, via publica, fortuito vel industria*, juxta multos, totus est inventoris. Ita Lessius citans Covarruviam, Baldum, et alios quosdam; juxta multos, debet dividi cum fisco; hic standum est consuetudini.

6° Inventus in loco sacro, *sive fortuito, sive non,* dimidium est inventoris; et dimidium cedit Ecclesiæ [1].

7° Si dominium directum pertineat ad unum, et utile ad alium dominum, pars quæ pertinet ad dominum fundi inter eos æque dividi debet. Nihil vero debetur usufructuario. Vide Lessium, S. Ligorium [2], et alios.

Cæterum, in his spectandæ sunt speciales locorum leges et servandæ, juxta Div. Thomam [3]. Unde

Resp. 3. In Gallia, ex antiquo jure, hæc de thesauris sunt tenenda:

1° Si thesaurus inventus fuisset in *via publica,* media pars cedebat inventori, altera regi, aut viarum curatoribus (gallice *voyers*).

2° Si *loco proprio,* media pars cedebat inventori, altera dynastæ (gallice *haut justicier*), vel regi, si solus in illo loco altiorem illam potestatem exerceret.

3° Si in *alieno fundo* inveniebatur, in tres partes æquales

[1] Leg. unica, cod. *de Thesaur.* — [2] Lib. IV, num. 604. — [3] 2 2, quæst. 66, art. 5, ad 2.

dividi debebat, quarum prima erat inventoris, secunda domini, tertia dynastæ [1]. Semper tamen debebat consuetudo indagari.

Quæres 3. *An qui sciens in agro alieno latere thesaurum, emit agrum illum, acquirat dominium illius thesauri?*

Resp. Si ante emptionem invenit thesaurum, puta fodiendo, media ejus pars pertinet ad dominum fundi, si casu fortuito invenit; si vero data opera, totus adjudicatur domino fundi, juxta superius dicta, quia thesaurus est in fundo alieno. Quod si ante emptionem scivit, sed nondum effodit, acquirit dominium totius thesauri; et hoc insinuatur in hac parabola : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro,* etc. [2]. Hujus ratio est, quia invenit in proprio fundo, nec tenetur pretium agri augere, quia thesaurus latens nec fructus est, nec pars substantiæ agri.

Dices : Qui gemmam pretiosam a rustico emit vili pretio, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem : ergo a pari etc.

Resp. *Nego parit. et conseq.* Nam venditor gemmæ decipitur circa substantiam rei, et gemma non venditur justo pretio, secundum communem hominum competentium æstimationem. Non autem sic de agro, ut patet ex dictis. Sed

Quæres 4. *Quid si thesaurum inventum et apprehensum in fundo alieno, iterum in eo recondas et fundum illum emas?*

Resp. Id tibi licitum esse, jure naturæ, juxta quod thesaurus est totus inventoris; idque indicat parabola, de qua supra. Attento autem jure positivo, medietas thesauri pertinet ad dominum fundi, etiam ante sententiam judicis, ut dictum est. Ratio, quia non in secunda, sed in prima vice, thesaurus fuit inventus, et ideo in fundo alieno.

[1] D. Bignon, in *Oratione habita in Senatu Parisiensi*, anno 1639.
[2] Matth. XIII, 44.

QUÆRES 5. *An usufructuarius qui ex industria thesaurum invenit in fundo cujus habet usumfructum, medietatem thesauri sibi retinere possit ?*

RESP. Alii negant, quia usufructus non dat jus nisi ad fructus percipiendos, non vero ad effodiendum fundum, thesauri inveniendi causa : ergo totus thesaurus domino fundi adjudicatur.

Alii vero, cum Delvincourt, affirmant. Ratio, quia usufructuarium habent ut inventorem innocentem effodiendo agrum cujus habet usumfructum, et ideo medietatem illi vindicant. Et hoc videtur probabilius, et menti legis magis consentaneum.

## N° II. — *De inventione rei nuper amissæ.*

QUÆRES 1. *Quid dicendum sit de rebus inventis ?*

RESP. Certum est rem inventam, domino, si inveniri potest, esse restituendam, quia res semper clamat pro domino, qui in hunc effectum diligenter inquiri debet, inquit Concilium Cænomanense [1], adhibendo diligentiam majorem vel minorem, juxta majus vel minus rei pretium, ad quod autem probabilius non tenetur ex justitia, nisi detentio redderet rei restitutionem difficiliorem, expensis tamen rei restituendæ, si sit inventor bonæ fidei ; si vero sit malæ fidei inventor, impensis propriis, qui damnum quod patitur sibi debet imputare.

At vero si, diligentia sufficienti habita, dominus non comparet, utrum inventor possit rem sibi vindicare, adsunt *tres sententiæ*.

*Prima sententia*, valde communior, docet, post Div. Thomam [2] quem sibi vindicat, quod si post sufficientem inquisitionem non reperiatur dominus, res inventa pauperibus sit eroganda, aut pios in usus consumenda, ex authent. *Omnes peregrini*, ubi statuitur: *Si peregrini intestati deces-*

[1] Ann. 1284. — [2] 2 2, quæst. 62, art. 5, ad 3

*serint, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur.*

Ratio est, quia res inventa est impendenda secundum voluntatem præsumptam domini sui, quæ haud dubie est ut res quam recuperare nequit, expendatur aptiori modo, sibi et Reipublicæ utiliori; atqui sic expenditur cum datur pauperibus.

Docent tamen, si inventor sit pauper, eum posse sibi rem applicare, quia non est deterioris conditionis quam alii pauperes, modo sit *vere* pauper; quod tamen non debet facere absque consilio Parochi, vel prudentis Confessarii, quia amor proprius in hoc negotio facile decipit.

*Secunda sententia affirmat.* Ratio est, quia, hoc ipso quod, post sedulam diligentiam adhibitam tempusque ad id sufficiens, dominus non potuit deprehendi, res censetur domino carere, et ideo fit primi occupantis. Ita Sotus, Navarr., apud S. Ligorium; et hanc sententiam valde probabilem vocant Lessius, Croix, Salmanticenses, et alii.

*Tertia sententia,* verior et sequenda, *distinguit:* vel adhuc post diligentiam habitam, est possibile dominum inveniri, vel non. *Si prius*, res ipsa vel pretium ejus servari debet contra primam sententiam, quia voluntas domini rem erogandi pauperibus gratis supponitur; quod si neutrum servari potest, res vel ejus pretium erogari debet in pios usus, propter rationem primæ sententiæ. Nam res est adhuc sub dominio alicujus, nec solo amissionis facto jus amittitur. Etenim, tamdiu dominus retinet dominium metaphysicum et morale, quamdiu res potest in manus ejus redire; atqui, semper ac res signa vel characteres retinet ex quibus dominus inveniri potest, illa in manus ejus redire valet: ergo.... Et cum nec res, nec ejus pretium servari possit, jure præsumitur velle dominum eam erogari in pios usus.

*Si posterius*, id est, si, spectatis circumstantiis, non videtur possibile quod res ad dominum suum redeat, inventor rem amissam sibi retinere potest. Nam res quæ censetur derelicta, fit primi occupantis, ut dicemus infra; atqui, res quæ ad dominum suum redire nequit, censetur derelicta : ergo, etc.

*Prob. min.* 1° Illa res est derelicta, quam nemo sibi jure vindicare potest; atqui rem quæ omnia signa proprietatis, omnemque relationem ad dominum suum amisit, nemo repetere potest, ut patet: ergo, etc.

2° Dominium consistit in facultate utendi re sua et de ea disponendi; ita jus gentium tribuit privatis dominium rerum, non ad aliud quam illis utantur: ergo, quando res non potest pervenire ad ipsum usum, tanquam derelicta habenda est, et efficitur nullius, ac redit in primævum jus naturæ, fitque primi occupantis.

Hinc Div. Thomas [1] dicit: *Et similiter si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum.* Ita S. Ligorius [2], Croix, Elbel, P. Gury, et alii.

*Nota.* Res autem amissa censetur derelicta, vel quando ex natura sua ab aliis ejusdem speciebus non est discernibilis, et ideo pro sua dominus recognoscere non potest, ut gemma, pecunia, chyrographi gubernii (gallice *billets de banque*), chyrographi censuum innominati (vulgo *rentes au porteur*), et similia, nisi per signa exteriora, v. gr. scrinium, vel circumstantias discerni valeant; vel quando, spectatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiæ loci, censetur moraliter impossibile ut ad dominum redeat.

Quæres 2. *Quid agendum si dominus compareat post factam talem applicationem ?*

Resp. Vel inventor eam applicavit in pios usus, vel sibi: in utroque casu

[1] 2 2, quæst. 66, art. 5, ad 2. — [2] Lib. IV, num. 665.

*Si res adhuc extet* sive in re, sive in pretio, est restituenda domino; quia res quandiu extat, clamat pro domino; dum enim restat aliqua spes inveniendi dominum, nec ipse, nec pauper acquisivit dominium absolutum, sed conditionatum.

*Si sit consumpta,* ad NIHIL tenetur, SI adhibuit sufficientem diligentiam, nisi in quantum consumens ditior factus est. Si autem non sufficienter inquisivit dominum rei, id est defectu diligentiæ, tunc rem, licet consumptam, domino comparenti tenetur restituere [1].

RESOLVES: Si quis pecuniam in angulo domus, in arca vel in veste invenerit, cujus depositio non videtur antiqua, si hæc domus continua successione in eadem familia manserit, vel alia certa vestigia sint, hæredibus est restituenda, quia præsumitur ipsam ab aliquo ex hac familia fuisse occultatam. Quod si vero locatores plurimi in eadem domo permanserint, nec ulla acquiri possit præsumptio ad quam familiam pecunia inventa pertineat, tunc est bonum incertum, et consequenter ratione thesauri habere censetur, et ideo medietatem retinere potest.

## N° III. — *De acquisitione dominii in bona vacantia et derelicta.*

QUÆRES 1. *Quid sint bona vacantia, et ad quem pertineant?*

RESP. 1. Sunt ea quæ reliquit aliquis ab intestato decedens sine hæredibus, qui ei juxta legem ab intestato succedant.

RESP. 2. Jure naturali sunt primo occupanti, sed fisco regio applicantur a jure [2]; excipiuntur tamen bona mobilia peregrinorum, quæ in usus pios debent per Episcopum applicari, ex Authent. *Omnes peregrini*, superius citata. At in jure Gallico, omnia bona vacantia pertinent ad gu-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 590. — [2] L. *Vacantia, Cod. de Bonis vacantibus.*

bernium [1], quod ex consuetudine ad immobilia restringitur, saltem ante sententiam judicis.

Quæres 2. *Quid sint bona derelicta, et ad quem pertineant ?*

Resp. 1. Sunt ea quæ dominus ea mente abjicit, ut in numero rerum suarum esse nolit : ita Justinianus [2].

Resp. 2. Jure Romano, sunt primi occupantis, ut ibidem docet Justinianus ; in Gallia vero pertinent ad gubernium [3].

*Inferes :* Bona naufragorum non esse derelicta, cum non sponte, sed metu naufragii fuerint projecta ; unde, si ab aliquo recuperentur, debent restitui domino [4], si appareat, deductis tamen expensis pro recuperatione eorum.

*Nec obstat* quod alias periissent hæc bona, quia res semper manet domino suo, quantumcumque periclitetur [5].

Porro, occupantes bona Christianorum naufragantium incurrunt excommunicationem Bullæ *Cœnæ Domini*.

## SECTIO II.

### *De modo acquirendi dominium rerum quæ sunt alicujus.*

*Nota.* Hactenus diximus de modo acquirendi dominium rerum quæ nullius seu communes sunt. Agendum est nunc de modo quo acquiritur dominium rerum quæ sub alicujus dominio sunt, seu quomodo transfertur dominium ab uno in alterum. Porro transfertur vel *volente* domino, variis contractibus, de quibus sequentem instituemus specialem tractatum ; vel *nolente* domino, et hoc : 1° *jure gentium*, sic res in *bello justo* capta fit capientis ;

[1] Cod. civ., art. 539 et 713. — [2] § *renult.*, Inst. *de Rer. divis.* — [3] Art. 713 supra citat., et 539. — [4] Pen. authent., *Navigia*, cap. *de Furtis.* — [5] L. Pomponius, ff. *de Acquir. dominio.*

2° *sententia judicis,* ut si fur damnetur in quadruplum; 3° *accessione;* 4° auctoritate legis, seu *præscriptione.* De bello et sententia judicis alibi dicemus; restat igitur ut dicamus de accessione et de præscriptione, duplici paragrapho.

## § I.

### De acquisitione dominii per accessionem.

*Nota.* Accessio est *modus acquirendi dominium in rem aliquam, ex eo quod res illa ad nostram accedat et cum ipsa uniatur.* Res autem aliena ad nostram accedere solet variis modis. Unde

### CONCLUSIO.

*Dominium transfertur per accessionem variis modis.*

1° *Per alluvionem.* Id quod vi aquarum *insensibiliter* uni fundo detrahitur et alteri adjicitur, fit domini fundi cui fit adjectio [1]. Viget hoc et in Gallia [2]. Dico *insensibiliter;* nam si pars notabilis tui prædii statim subita aquarum tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet [3]; verum jus alluvionis non obtinet in lacus et stagna.

In Gallia, dominus fundi abrepti reclamare debet intra annum, secus non admittitur, nisi recipiens alluvionem nondum acceperit possessionem [4].

2° *Per specificationem,* cum res aliena ad aliquam speciem artificii insumpta est; hic vel materia potest ad priorem statum reduci, vel non potest. *Si primum*, species pertinebit ad dominum materiæ, v. gr. si ex auro meo poculum feceris, meum est poculum; teneor tamen solvere artificium. *Si secundum*, ad eum spectabit species,

[1] *Inst.*, lib. II, tit. num. 20. — [2] Cod. civ., art. 556, 557. — [3] *Inst.*, lib. II, tit. num. 21. — [4] Cod. civ., art. 559.

qui speciem formavit; v. gr. si ex alienis lanis vestem conficias, vestis est tua, sed teneris solvere pretium lanæ, et damna si quæ sint, et ad hoc datur actio alteri [1].

Ita *jus Romanum*. At, ex *jure novo*, dominus materiæ rem novam confectam semper repetere potest, pretio tamen industriæ soluto. Quod si pretium industriæ ipsa materia longe pretiosior sit, opifex rem novam retinere potest, modo solvat materiæ pretium. At si artifex mala fide egerit, damna quæ emersere reparare tenetur.

3° *Per adjunctionem*, cum quid, ornatus causa, adjicitur rei alterius, ut si quis alienam domum pinxerit, accessio ejus est qui erat dominus rei, nec tenetur ad impensas, nisi tale ornamentum postulaverit. Ratio est, quia *accessorium sequitur naturam principalis*, sive magnitudine, sive pretio. Unde

Si tamen ornamentum rem cui adjectum est pretio longe superaret, ornamentum haberetur pro principale, et pertineret ad eum a quo prodiisset: *Ridiculum enim est*, ait Justinianus [2], *picturam Apellis in accessionem vilissimæ tabulæ cedere*. Sed tenetur priori domino tabulæ de damno. Ita ex utroque jure [3].

4° *Per commixtionem et confusionem*, id est, duarum rerum principalium, ad diversos dominos pertinentium. Si res commixtæ separari possint, debent separari, v. gr. oves tuæ commixtæ meis, si non possint separari, ut mel et vinum simul confusa, tunc quod resultat, fit utrique commune pro rata materiæ [4].

Quod si forte materia unius præstantior sit, v. gr. si stamnum cum argento commiscantur, dominus præstantioris materiæ totam rem commixtam vel confusam repetere potest, facta alteri debita compensatione [5].

5° *Per inædificationem*. Ædificium in nostro fundo constructum ab alio, nostrum est, secundum hanc regulam:

[1] *Inst.*, ibid., num. 21.—[2] *Inst.*, lib. II, tom. I, num. 34.—[3] Cod. civ., art. 566, 567 570, 577.—[4] *Inst.*, ibid.—[5] Cod. civ., art. 573 et 574.

*Ædificium semper solo cedit*[1]; sed attendendum est an bona, an mala fide, quis ædificaverit; si enim bona fide, ei solvendæ sunt materia et impensæ; secus, si mala fide[2]. Tamen jure Gallico sic statuitur quoad comparationem. 1° Qui in suo fundo ædificavit, vel alia opera fecit ex aliena materia, debet pretium materiæ tantum solvere, et damna, si quæ sint, reparare; alter vero materiam suam repetere non potest.

2° Qui ex sua materia in fundo alieno opera fecit, vel hæc opera sunt facta in bona, vel in mala fide. *Si primum*, dominus fundi habet tantum optionem, vel solvendi pretium materiæ et laboris, vel valoris augmentum quod inde fundus suscepit. *Si secundum*, dominus fundi potest vel cogere ad opera propriis expensis tollenda, et damna, si quæ sint, reparanda, vel ea retinere, solvendo pretium materiæ et laboris[3].

6° *Per implantationem et sationem.* Arbores et plantæ in aliquo fundo a quolibet collocatæ, cedunt domino fundi, *si modo radices egerint; ante enim quam radices egerint, ejus permanent cujus fuerant.* Ita Justinianus[4]. *Qua ratione autem plantæ solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur*[5]. Utrumque moribus nostris receptum est: qui tamen alienam plantam in suo fundo transplantavit, tenetur de damno, et compensationem statui, sicut pro ædificatione, ex jure Gallico.

7° *Per alveum.* Si fluvius, alveo priori derelicto, alium sibi quærat, jure Romano, vetus alveus vicinis prædiis cedit; jure vero Gallico, alveus qualiscumque fuminis relictus pro rata parte, et compensationis causa, iis ac crescit, quorum agri per novum alveum invaduntur.

8° *Per insulam.* Insula quæ in mari nota est, fit occupantis, jure Romano et nostro; verum nostro jure: 1° in-

[1] Ibid., num. 29 et 30. — [2] Lib. XXXVIII, ff. *de Rei vindicatione.* — [3] Cod civ., art. 552-555. — [4] Lib. XXXVIII, ff. *de Rei vindicatione.* — [5] Ibid., num. 33.

sula quæcumque in flumine, quod navibus et ratibus vehendis est nata, ad Rempublicam spectat, nisi sit titulus aut præscriptio in contrarium [1].

2° Insula vero nata in flumine quod navibus et retibus devehendis impar est, ejus est fluvii incolæ, ex cujus parte formata fuerit; est autem utriusque ripæ incolæ, cum in neutram partem vergit [2].

3° Quod si flumen novo alveo fluens, agrum vicinum præcidat, efficiatque ex eo insulam, hæc prioris domini erit, sive fluvius sit navigabile, sive non [3].

9° *Per nativitatem*, qua: 1° fiunt nostra, animalia quæ nascuntur a propriis animalibus, sed concepta ex masculo alieno: qui enim habet matrem, jus habet ad omnia animalia ex ea nata; hinc axioma: *Partus sequitur ventrem;* 2° omnes fructus, tam *naturales*, quam *industriales*, seu qui per hominis laborem et industriam ex re sterili producuntur; necnon *mixti* ad dominum rei jure accessiones spectant, solutis tamen impensis quæ ad illos obtinendos ab alio factæ sunt.

## § II.

### De acquisitione dominii per præscriptionem.

Quæres 1. *Quid sit præscriptio seu usucapio?*

Resp. Est *acquisitio dominii vel juris per possessionem bonæ fidei, continuatam tempore per legem definito.*

Dixi *vel juris*, nempe vel acquirendi, vel se ab aliqua obligatione liberandi per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege præfixis [4].

Hinc duplex distinguitur præscriptio: altera *acquisitiva*, per quam res aliqua vel jus aliquod acquiritur; altera *liberativa*, per quam ab aliqua servitute vel obligatione liberatur, v. gr. si quis non utitur, per tempus definitum, jure

[1] Cod. civ., art. 560. — [2] Cod. civ., art. 561. — [3] Cod. civ., art. 562. — [4] Cod. civ., art. 2219.

luminis vel stillicidii quod habet in prædium meum, adversus eum præscribo, et me redimo a jure, quod gallice dicitur : *Prescrire un droit*, et *Prescrire contre un droit*.

Quæres 2. *Quænam conditiones requirantur ad legitimam præscriptionem ?*

Resp. Quatuor: nimirum, possessio vera, titulus, bona fides, tempus a lege definitum.

Prima *conditio* est *possessio*, ex regula 3 juris, in 6: *Sine possessione præscriptio non procedit* [1].

Non sufficit autem possessio *naturalis* tantum, sed sufficit et requiritur possessio civilis rei non prohibitæ possideri, quo fit, ut omnis et solus capax proprio nomine possidendi, sibi præscribere possit in rebus ad præscriptionem aptis.

*Defectu hujus conditionis*, non possunt præscribi :

1° Loca sacra et res ad cultum divinum dicatæ, quia censentur semper possideri per ministros Ecclesiæ; neque jus decimarum a laico, quia jus ei resistit [2].

2° Non potest præscribere Religiosus professus, quia nihil suo nomine potest possidere.

3° Depositarius, usufructuarius, feudatarius, commodatarius, colonus et pignorator, quia non possident nomine suo, sed domini, qui possidet civiliter [3].

4° Non potest dari præscriptio rerum publicis usibus deputatarum, ut sunt forum, pontes, viæ publicæ, flumina navigabilia eorumque ripæ, quia jus resistit [4].

5° Non possunt præscribi quæ sunt juris naturalis, v. gr. obedientia Superioribus debita, Sacramenta, etc.

6° Non præscribuntur limites Provinciarum Episcopatus, si de ipsis constet [5].

7° Res furtivæ et quæ vi possessæ sunt, necnon res illius qui adeo est impotens, ut rem suam in judicio repe-

[1] Cod. civ., art. 2229. — [2] Cap. 7 *de Præscript.* — [3] Cap. *Si diligenti, de Præscript.* — [4] Cod. civ., art. 538. — [5] Cap. *Dilectio*, XVI, quæst. 3.

tere non possit; sic non præscribitur contra mente captos, minores, interdictos, nec inter conjuges [1].

*Ratio* horum omnium est, quia non est apprehensio juris adminiculo, cum jus resistat [2].

Ut autem possessio sit *vera*, debet esse:

1° *Dominativa*, qua quis proprio nomine possidet, u diximus.

2° *Publica*, id est, non clandestina, ita ut ille cujus in terest, reclamare possit.

3° *Pacifica*, quemlibet actum violentiæ excludens, quia *possessio, utilis, ibi incipit, ubi violentia desinit* [3].

4° *Certa* et non æquivoca, sed per actus demonstrata.

5° Non *interrupta*, id est, continuata per tempus a lege præfixum. Quomodo vero possessio censetur interrupta vel suspensa, dicetur infra.

Secunda *conditio* est *bona fides*, ex regula 2 juris, in 6: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Circa quam

QUÆRES 1. *Quid sit bona fides hic?*

RESP. Est *judicium prudens et fundatum, quo quis* prudenter *existimat rem quam possidet, esse suam, etsi forte non sua sit, vel se esse liberum ab aliqua servitute quæ vi præscriptionis extinguitur.*

Dixi *prudenter*, quia si ex ignorantia crassa, aut inordinata cupiditate illud judicium procedat, non erit bona fides.

QUÆRES 2. *An et quæ ignorantia officiat præscriptioni?*

*Nota.* Ignorantia alia est *juris*, qua ignoratur ipsa lex, v. gr. qui accipit aliquid contractu usurario quem putat justum; alia est *facti*, qua lex quidem cognoscitur, sed ignoratur hoc factum huic legi contrarium esse, v. gr. qui sciens illicitum esse emere a Religioso, nescit eum a quo emit esse Religiosum.

[1] Cod. civ., art. 2252, 2253. — [2] Toto tit. *de Præscript.*, et Cod. civ., tit. 20, cap. 1. — [3] Cod. civ., art. 2233.

Resp. Error invincibilis facti præscriptionem non impedit, imo facit, cum præscriptio supponat ignorantiam. Sed ignorantia juris clari, invincibilis et inculpata, impedit præscriptionem. Utrumque colligitur ex jure, quod sic habet : *Juris ignorantia negatur in usucapione prodesse ; facti vero ignorantiam prodesse constat* [1].

Dixi *juris clari*, quia jus vere dubium (id est, de quo utrinque sint multorum sententiæ) sufficit ad præscriptionem, ait Lessius [2].

Nec aliter disponit jus Gallicum, ubi dicitur, art. 2269 : *Il suffit que la bonne foi existe au moment de l'acquisition ;* quia, ex art. 2268, *la bonne foi est toujours présumée, et c'est à celui qui allègue la mauvaise foi à la prouver.* Porro, *le possesseur est de bonne foi quand il possède comme propriétaire, en vertu d'un titre translatif dont il ignore les vices. Il cesse d'être de bonne foi du moment où les vices lui sont connus* [3]. Et quidquid in contrarium statutum esset, in foro conscientiæ non obligaret.

*Nota* 1. Bona fides est necessaria ad se deonerandum in præscriptione *liberativa*, quoad servitutes *active* sumptas, non vero quoad servitutes *passivas*. Ratio *primi* est, quia eædem rationes urgent ac pro præscriptione *acquisitiva*. Ratio *secundi*, quia præscribens nullo jure tenetur, decurrente tempore præscriptionis, alium monere ut contra se ipsum jure servitutis utatur.

*Nota* 2. Ex jure Gallico, non datur distinctio inter jus dubium et clarum, quia lex præsupponit juris cognitionem in civibus. Hinc 1° ignorantia, etiam invincibilis, juris impedit bonam fidem in præscriptione decimi et viginti annorum, ex art. 2265, propter rationem superius allatam. 2° At non impedit præscriptionem triginta annorum, sed sufficit bona fides theologica, ex art. 2261, quo declaratur omnes actiones, sive reales, sive personales,

[1] Lib. IV, ff. *Jur. et facti ignorantia;* et S. Ligor., lib. IV, num. 511.
[2] Cap. 6, dub. 5. — [3] Cod. civ., art. 550.

præscribi posse triginta annis absque titulo, quin præscribenti objici possit sua *juridica* mala fides.

Quæres 3. *An dubium officiat præscriptioni?*

Resp. Non officit, si superveniat possessioni bona fide inchoatæ, et moralis adhibeatur diligentia ad veritatem indagandam; quia in dubio *melior est conditio possidentis.* Quod si adfuerit dubium dum quis possidere incepit, aut si moralis non fuerit adhibita diligentia, cum supervenit possessioni, non currit præscriptio, cum in primo casu nec incipiat præscriptionem, et in secundo, amittat bonam fidem, proindeque præscriptionem interrumpit.

*Nota.* Possessor suis successoribus fidem suam bonam aut malam transmittit, sive eam noverint, sive non, proindeque hæres vel emptor rei decem annis bona fide possessæ, additis viginti annis, possessionem complet. E contra, hæres titulo universali, non autem titulo particulari, vel emptor rei mala fide decem annis possessæ, non præscribit, nisi postquam ipse bona fide triginta annis ipsam rem possedit. Bona enim fides debet continuari toto tempore quo currit præscriptio[1]. At dubium successoris de mala fide prædecessoris, ordinarie et per se loquendo, non interrumpit præscriptionem, quia mala fides præsumi non debet.

Tertia *conditio* est *titulus;* nam sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Debet esse coloratus, seu apparens; nam titulus verus sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium, secuta traditione. Ex jure autem Gallico, si agatur de mobilibus, sola possessio cum bona fide locum tenet tituli. Hinc axioma: *En fait de meubles, la possession vaut titre*[2].

In præscriptionibus tamen longissimi temporis, triginta scilicet, vel quadraginta annorum, sufficit titulus præsumptus, nisi jus contradicat. In Gallia nullus requiritur titulus, sed sufficit vera possessio.

[1] Cap. ult. *de Præscript.* — [2] Cod. civ., art. 2279.

Quarta *conditio* est *tempus a lege definitum*, quod diversum est pro diversitate rerum præscribendarum; circa quod sequentia sunt tenenda:

1° *Ex jure Romano*, ad præscribendas *res mobiles*, v. gr. animalia, vestes, etc., cum titulo requiruntur tres anni inter præsentes, et quatuor anni inter absentes; et sine titulo (supple qui probetur, nam etiam tunc præsumitur præcessisse) requiruntur triginta anni, quæ dicitur præscriptio longissimi temporis [1]. Circa quod

*Nota*. Præsentes jure communi censentur qui in eadem provincia et sub eodem regimine commorantur.

2° Ad præscribenda *immobilia* privatorum, cum titulo requiruntur inter præsentes decem anni, et viginti inter absentes [2]; sine titulo, triginta anni [3].

3° Ad præscribenda bona *immobilia* contra privilegiatos, non idem tempus sufficit; nam contra Ecclesiam Romanam et S. Pontificem requiruntur centum anni [4]; contra alias Ecclesias vel pias causas requiruntur quadraginta anni [5]. Ex *jure* autem *Gallico*, bona ecclesiastica ab aliis non distinguuntur.

*Nota* 1. Nomine *immobilium* hic etiam intelligi jura et *actiones ad immobilia;* item Beneficia, census, reditus, jus patronatus, usufructus et servitutes; hæc enim omnia fixa manent, et, instar *immobilium*, fructum vel commoditatem adferunt.

*Nota* 2. In hac materia *tempus breve* dicitur, quod est minus decennio; *longum* est spatium decem annorum inter præsentes, et viginti inter absentes. *Longissimum* est spatium triginta aut quadraginta annorum. *Immemoriale* est spatium cujus initii non extat memoria, etiam apud seniores.

Sed *jure Gallico* distinguendum est præscriptionem *acquisitivam* inter et *liberativam*.

[1] Lib. III, cod. *de Præscript.* — [2] Inst., *de Usucap.*, § 1. — [3] Cap. *Sanctorum de Præscript.* — [4] Authent. *Quas actiones.* — [5] Ibid.

In præscriptione *acquisitiva*

1° Pro rebus *immobilibus* vel servitutibus quæ sunt quasi res immobiles, *sine titulo possessis*, triginta anni requiruntur et sufficiunt ad præscribendum, ut supra diximus; *cum titulo possessis*, vel ille adversus quem præscribitur est præsens, vel absens, vel partim præsens et partim absens. In primo casu, requiruntur et sufficiunt decem anni; in secundo, viginti anni; in tertio, anni absentiæ sunt duplicandi, ut ad decem annos integros perveniatur.

Censetur autem præsens, si domicilium habet in loco subjecto curiæ superiori, vulgo dicta *Cour d'appel*, in cujus territorio fundus jacet.

2° Pro rebus *mobilibus*, requiritur et sufficit spatium trium annorum sine titulo, si agatur de rebus inventis aut a fure bona fide receptis. Quoad vero cæteras, sufficit sola possessio certa, bona fide capta, et pacifica.

3° Pro *servitutibus* active *sumptis*, præscribuntur tempore triginta annorum, si sint apparentes [1]; at servitutes non apparentes, vel discontinuæ, præscriptioni non subjiciuntur.

4° In præscriptionibus *liberativis*, quibus ab aliqua obligatione liberamur, complentur longo, vel brevi, vel brevissimo tempore.

1° *Longo tempore*, nempe triginta annorum, servitutes passivæ, seu actiones, tam reales quam pœnales census (*rentes*), tum quoad capitale, tum quoad reditus; et omnia debita extinguuntur, ut in jure Romano, supposita fide bona. Sic S. Ligor. [2], Lessius, etc.

2° *Brevi* et 3° *brevissimo tempore* complentur illæ quæ fiunt minori spatio quam triginta annorum.

Hinc 1° quinque anni sufficiunt ad præscribendum pensiones ex censibus debitas, pensiones alimentarias, locationum pretia, et generatim quidquid quotannis vel breviori termino solvendum est [3]. 2° Brevissimo tempore sex

[1] Cod. civ., art. 690. — [2] Lib. IV, num. 513. — [3] Cod. civ., art. 2277.

mensium præscribuntur stipendia annualia institutorum, hospitum, operariorum. 3° Uno anno stipendia medicorum, famulorum, apothecariorum et mercatorum, debita pro mercibus. Duplex autem annus requiritur pro stipendiis procuratorum, causa finita [1].

*Nota.* Nemini licet præscriptioni renunciare antequam sit completa [2].

Perfecta præscriptione, sequitur effectus ante sententiam judicis [3].

Qui rem præscribit, eo ipso fructus ejus acquirit [4].

QUÆRES 4. *An valeant in conscientia præscriptiones juris Gallici trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis ?*

RESP. *affirm.* Quia talis videtur esse mens legislatoris. Ita Delvincourt, P. Gury, etc.

*Nota.* Bona fides nunquam supponitur in ipso fure, sed tantum in ejus successore, v. gr. donatario, emptore, etc. An vero inventor possit præscribere in rem inventam, alii *affirmant,* quia, ut dicunt, inventor tunc incipit rem possidere cum animo eam faciendi suam, si intra tres annos dominus non compareat : ita Elbelius, Sporer. Alii vero *probabilius negant,* quia tunc deest bona fides, cum inventor sciat rem non esse suam. Ita P. Gury.

QUÆRES 5. *An cætera mobilia præscribi possint in conscientia solo titulo possessionis, juxta jus Gallicum ?*

RESP. *Controvertitur.* Alii requirunt triginta annos, eo quod ubi non est titulus, longissimum tempus requiritur. Sed hæc sententia videtur nimis rigida, res mobiles æquiparando immobilibus. Alii requirunt tres annos ; sed absque fundamento, cum sileat jus novum, et antiquum in Gallia fuerit abrogatum. Alii *probabilius* docent in rebus mobilibus possessionem pro titulo reputari, modo requisitis vestiatur conditionibus. At hæc sententia sic non

[1] Cod. civ., art. 2271 et seqq. — [2] Cod. civ., art. 2220. — [3] Cod. civ., art. 2222. [4] Art. 519 et 550.

multum distat ab antiquo jure, quod tres annos requirebat, cum hæ conditiones unico instanti nequeunt impleri. Ita Gousset, Lyonnet, Gury.

QUÆRES 6. *An valeant in foro conscientiæ præscriptiones liberativæ quinque annorum et infra, ex jure Gallico?*

RESP. *negat. generatim loquendo.* Nam motivum principale legalis præscriptionis est præsumptio solutionis ; lex enim non censetur debitorem liberare in foro conscientiæ, et dominium transferre, nisi soluto debito ; siquidem, ex art. 2275, creditores a debitoribus vel eorum hæredibus possunt exigere juramentum de facta solutione : ergo, etc. Lex igitur valet tantum in foro externo, ut nempe in eo denegetur actio præfatis creditoribus, et quidem merito ; secus enim, minuta debita et eorum solutiones facile exciderent a memoria, et debitores exponerentur periculo bis et iterum solvendi, et lites super his perpetuo nascerentur. Ita iidem.

QUÆRES 7. *An præscriptio bonæ fidei dominium transferat in foro conscientiæ, ita ut, licet, completa præscriptione, cognoscas rem fuisse alienam, ad illam restituendam minime tenearis?*

RESP. *affirm.* Illud enim dominium legitime transfertur, quod transfertur auctoritate Reipublicæ propter bonum commune ; atqui dominium quod transfertur per præscriptionem, transfertur auctoritate Reipublicæ propter bonum publicum, ne scilicet, dominia essent incerta et lites multiplicarentur, ut patet ex multis legibus civilibus approbatis jure canonico [1], quæ sine ulla limitatione dicunt : *Bono publico introducta est usucapio, ne diu et fere semper incerta essent rerum dominia* [2] ; et alibi usucapio concessa dicitur : *Ut aliquando litium esset finis* [3] : ergo per præscriptionem dominium transfertur in foro conscientiæ,

[1] Toto tit. *de Præscript.* — [2] Lib. I, ff. *de Usucapionib.* — [3] L. ult., ff. *Pro suo.*

nisi tamen prior dominus per judicem restituatur in integrum.

Dixi *nisi prior dominus restituatur in integrum;* quæ restitutio est remedium adversus præscriptionem, et definitur : *prioris juris reintegratio, qua tribuitur alicui potestas rem suam sibi vindicandi.* Hoc remedium conceditur : 1° *minoribus*, qui habent jus etiam petendi toto quadriennio, a die quo majores facti sunt [1] ; 2° *piis locis et Ecclesiis*, etiamsi præscriptio sit quadraginta annorum, et hoc per quatuor annos a die quo Ecclesia novit præscriptionem suorum bonorum [2] ; ratio est, quia Ecclesia est instar pupilli et minoris ; 3° *majoribus*, non quidem in præscriptione triginta aut quadraginta annorum, sed in præscriptione decem aut viginti annorum, modo probent præscriptionem, aut omnino sine sua negligentia, aut cum probabili sua ignorantia, fuisse peractam [3]. Habent et hi quatuor annos postquam sciverint completam præscriptionem ad petendum beneficium restitutionis in integrum.

*Nota.* In Gallia non conceditur *restitutio in integrum* nec *majoribus*, quia lex non patitur exceptionem ; neque *minoribus* et *piis locis* contra quos non datur præscriptio ; neque *bonis Ecclesiæ*, quæ non distinguuntur ab aliis.

Objicies 1. Interdum in præscriptione non intercessit culpabilis negligentia : ergo in tali casu non transfertur dominium in foro conscientiæ.

Resp. *Nego conseq.* Quia præscriptio non introducta est principaliter ad puniendam negligentiam prioris domini, sed ob prædictos fines bonum commune spectantes, nempe ne dominia maneant incerta, ne lites multiplicentur, ne titulorum fictores aliena bona invadant, etc.

Inst. 1. Nemo sine culpa debet privari re sua [4] ; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Nisi ratio boni communis aliud postu-

[1] L. *finali*, cod. *de Temp. rest. in integrum.* — [2] Cap. 1 *de Restit. in integrum.* [3] L. 1, § final., ff. *Ex quibus causis major.* — [4] Ex reg. 23 juris, in 6.

let, *conc.;* ubi postulat, ut fit in casu proposito, *nego;* nam sic habet regula : *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Hic autem subest causa, nempe bonum commune.

Inst. 2. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria et jactura*[1]; atqui per præscriptionem locupletatur aliquis, etc. : ergo, etc.

Resp. *Dist. reg.* Non debet locupletari ex jactura alterius per injuriam et auctoritate privata, *conc.;* utendo beneficio legis, *nego;* nam tunc, cum transferatur dominium, non est injuria.

Objicies 2. Qui, tempore præscriptionis elapso, cognoscit rem esse alienam, non magis eam retinere potest, quam possit quis rem sibi per sententiam judicis adjudicatam retinere, cum cognoscit eam non esse suam ; atqui, etc.

Resp. *Nego maj.* Disparitas est, quod judex per sententiam dominium non transfert, sed solum declarat juxta allegata et probata, cujus sit res litigiosa ; in præscriptione autem transfertur dominium, ob varias rationes quæ bonum commune spectant.

Inst. Ideo non potest quis retinere bonum sibi a judice adjudicatum, quia sententia judicis nititur falsa præsumptione ; atqui pariter lex præscriptionis nititur falsa præsumptione : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Quia falsum est leges præscriptionis potissimum præsumptione negligentiæ nixas esse, ut ex dictis constat.

Resolves 1. Non teneris rem legitime præscriptam restituere, etsi, completa præscriptione, noveris eam fuisse alienam.

Resolves 2. Si quis, ignorans præscriptionem esse modum legitimum acquirendi dominium, rem præscriptam priori domino reddiderit ut non suam, potest eam ab ipso

[1] Regul. 48 juris, in 6.

repetere vel sibi compensare, quia falso restituere intendit quod non debebat.

QUÆRES 8. *Quandonam præscriptio dicatur interrupta?*

RESP. Dicitur interrupta quando ita cessat, ut si rursus reviviscat, posteriores anni non uniantur cum prioribus, sed iterum inchoare debeat, et hoc duplici modo accidere potest : 1° *naturaliter*, ut cum aliquid incipit deesse quod necessario requiritur ad præscriptionem, v. gr. bona fides, possessio vera, etc. ; 2° *civiliter*, cum *juridice* interpellatur præscribens, nec interpellatio a judice rejecta fuerit. Ita jus utrumque.

QUÆRES 9. *Quandonam præscriptio dicatur suspensa, vel dormire?*

RESP. Quando impedimentum ei objicitur ne ulterius procedat, ita tamen ut, remoto impedimento, pergat sine alio detrimento, quam temporis dormitionis. Et hoc etiam accidit duplici modo : 1° dum judicia exerceri nequeunt, v. gr. tempore belli vel pestis ; 2° cum is contra quem præscribitur jus suum prosequi non valet ; sic contra pupillos, minorenses, interdictos, conjuges, contra Ecclesiam, dum caret rectore superiore, contra invicem captivos, etc., suspenditur præscriptio. Ita omnia jura.

# PARS SECUNDA.

## DE VIOLATIONE JURIS, SEU DE INJUSTITIA.

*Nota.* Hactenus explicavimus quid sit justitia, quid jura, quænam ejus species, et imprimis quid dominium, quibus et in quæ competat, quibusve modis comparetur. Nunc autem dicendum est quomodo jus violetur, seu de injustitia et injuria, 1° in genere, 2° in specie, duplici dissertatione.

# DISSERTATIO I.

## De injuria in genere.

## QUÆSTIO UNICA.

### DE NATURA ET DIVISIONE INJURIÆ.

QUÆRES 1. *Quid sit injustitia seu injuria?*

RESP. Sicut nomen *justitiæ* dupliciter accipitur, ut supra ostensum est : 1° scilicet pro omni virtute, quatenus est quædam legis obedientia, et sic omne opus bonum est justitia ; 2° pro virtute particulari quæ continet æqualitatem in commutationibus ; ita etiam nomen injustitiæ duplici sensu sumitur : 1° nempe, pro omnis legis violatione, et sic omne peccatum vocatur injustitia ; 2° ut opponitur justitiæ particulari, et definitur : *Voluntaria juris alieni violatio, absque causa legitima ;* nec differt ab injuria, quia tota ratio injuriæ est in violatione justitiæ.

Dicitur 1° *voluntaria ;* unde si quis ex ignorantia invincibili alienum auferret, non committeret injuriam nisi materialem ; faceret quidem injustum, sed non injuste.

Dicitur 2° *juris alieni*, sive sit *jus in re*, sive sit *jus ad rem ;* nam ex alterutrius juris violatione oritur obligatio restitutionis.

Dicitur 3° *absque causa legitima*, quæ si adesset, nulla esset injuria, ut si v. gr. a furibundo gladius auferatur.

QUÆRES 2. *Quomodo dividatur injuria ?*

RESP. Injuria dividitur : 1° in *formalem* et *materialem*, prout fit *scienter et voluntarie*, vel *absque cognitione et consensu*, ut diximus.

2° In *habitualem* et *actualem*. *Habitualis* est prava voluntatis dispositio ex actibus injustis orta, et ad similes actus inclinans ; *actualis* est ipse actus injustus.

3° In *gravem* et *levem*, prout per se apta est ad inferendum proximo damnum *grave* vel *leve*, vel dolorem difficile sedabilem, juxta communem hominum æstimationem.

Quæres 3. *Utrum volenti fieri possit injuria ?*

Resp. Scienti et sponte volenti cedere juri suo non fit injuria, ex regula 27 juris, in 6°, quia nemo potest injuriam pati, nisi jus ejus violetur ; atqui jus volentis non violatur : ergo, etc.

Ad hoc tamen tria ab omnibus requiruntur : 1° ut qui cedit jus, plane, id est, scienter, advertanter et spontanee consentiat, si cessio juris sit gratuita, et hoc de jure naturali ; at requiritur tantum advertentia et voluntatis propensio quæ sufficiat ad peccatum grave, si cessio, sit onerosa, idque de jure positivo, nc, scilicet, fere omnes contractus onerosi nutentur in damnum societatis.

2° Ut sic efficaciter consentiat cessioni sui juris, ut non solum fiat cessio indignationis, sed etiam debiti.

3° Ut illa cessio agenti innotescat, alioquin formalis esset injuria.

Resolves 1. Qui solvit centum putans se debere, patitur injuriam, si quinquaginta tantum debeat, quia consentit ex errore et ignorantia. *Item* qui consentit ex vi, dolo et metu injuste incusso, quia consensum non præbet libere, sed cum ignorantia, vel ad se liberandum ab injusta vexatione. *Item* qui solvit usuras vel crumenam latroni, licet consentiat, patitur injuriam, quia, licet sit volens *simpliciter*, est tamen *secundum quid* invitus ; sed invitus secundum quid, ubi agitur de gratuitis, non cedit juri quod habet disponendi de sua re cum plena voluntate et libertate : ergo, etc.

Resolves 2. Tortores martyribus injuriam inferunt, quia, licet martyres mortem desideraverint, et libenter sustulerint, imo et jus ad iram et vindictam abdicaverint, non abdicarunt jus ad vitam sic ademptam, sed actionem injuriæ retinent in illos coram supremo Judice, ut patet *Sapien-*

*tiæ* v : *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt,* etc.

Resolves 3. Si detrahas famæ alterius ut illi noceas, injuriam illi facis, quamvis ille jure suo cedat, si talis cessio tibi non innotescit. Ita Lessius.

Quæres 4. *Utrum quis possit jus sui cedere?*

Resp. Duplex est sententia. *Prima* sententia *negat.* Ratio *prima*, quia in his homo non potest jure suo cedere, quorum non est dominus, sed solum custos ; atqui homo non est sui dominus, id est vitæ, membrorum integritatis, vel conjugis, vel prolis, etc. : ergo in his non potest suo jure cedere. *Secunda* ratio, quia quamdiu manet jus et obligatio juris, tamdiu locum habet violatio juris ; atqui quando consensus ex natura sua vel ex dispositione legis est invalidus, manet obligatio juris : ergo, si contra illud fiat, injuste fit, licet consentienti. Hinc dicunt : pupillus consentiens in ablationem suorum bonorum, Clericus consentiens sui percussionem, patiuntur injuriam, quia non possunt cedere suo jure. Ita Vogler, Lyonnet, P. Gury et alii.

*Secunda* sententia *affirmat :* 1° quia essentia injuriæ est, ut erga nolentem exerceatur ; nam, ex Div. Thoma [1], injustum pati, est oppositum ei quod est injustum facere ; atqui nullus facit injustum nisi volens : ergo per oppositum nullus patitur injustum, nisi nolens ; 2° quia, ex eodem Div. Thoma [2], nemo sibi injuriam facere aut a se injuriam recipere potest ; quia non valet a se invitus pati, fieri enim non potest ut quis sibi damnum velit inferre, et simul nolit illud pati : ergo quando vult ut alter sibi damnum inferat, non magis injustum formale patitur quam si ipse sibi hoc damnum inferret : ergo, etc.

Ad rationem *primæ* sententiæ, respondetur quod ad formalem injuriam non sufficit ut quis jure suo non possit cedere, sed requiritur insuper ut injustum patiatur invitus,

[1] 2 2, quæst. 59, art. 3. — [2] Ibid.

secus illud jus jam non permaneret sub ratione *formalis* justitiæ, sed solum *materialiter*: ergo tum infertur injuria non *formaliter*, sed *materialiter* tantum. Sicut enim potest esse injuria *materialis* ex parte inferentis, ita etiam ex parte cui infertur. Hinc, qui Titium volentem occidit, qui adulterium marito consentiente committit, non violat jus Titii vel mariti, *qua ipsius est*, quia etsi ipse lædatur, non tamen patitur injuriam, cum nullus patiatur injustum volens. Ita Lessius et alii. Hæc sententia probabilior videtur propter rationes intrinsecas.

Dicitur *qua ipsius est*, quia, licet jus non violetur præcise *qua ipsius est*, potest tamen violari quatenus ad alium pertinet. Idque accidit quotiescumque alter alteri ita subjectus et connexus est, ut jura eorum inter se connexionem aut dependentiam habeant; sic, qui spoliat servum volentem, licet non faciat injuriam servo cedenti suo jure, facit tamen domino, qui jus habet ne spolietur servus. *Item*, qui occidit volentem, licet non inferat illi injuriam, nec teneatur ad restituendum hæredibus, irrogat tamen injuriam Deo, qui est dominus vitæ, peccatque contra præceptum: *Non occides*. *Item*, percutiens Clericum volentem, etsi non faciat illi injuriam, nec ad restitutionem teneatur, facit tamen Ecclesiæ prohibenti Clerici percussionem, et incurrit excommunicationem.

# DISSERTATIO II.

## De injuria in specie, seu de peccatis contra justitiam.

*Nota*. Tot sunt modi quibus peccari potest contra justitiam, quot sunt varii modi quibus justitia potest violari et injuria irrogari; porro, justitia violari potest tum *in bonis corporis*, tum *in bonis honoris* et *famæ*, tum *in bonis fortunæ*. De primis tribus dicemus infra, in tertia parte hujus

tractatus. Hic igitur agemus tantum de injuriis in bonis fortunæ, scilicet de furto et ejus speciebus, duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

*Nota.* Dicemus 1° de natura est divisione furti; 2° de quantitate materiæ furti.

### § I.

#### De natura et divisione furti.

Quæres 1. *Quid sit furtum?*

Resp. Furtum est *injusta ablatio vel detentio rei alienæ, invito rationabiliter domino.*

Dicitur 1° *ablatio*, ut distinguatur a damnificatione, nam omne furtum est damnificatio; sed contrarium non procedit, unde differunt, saltem *materialiter:* furtum enim postulat acceptionem, seu usurpationem, qua quis rem alienam sibi vindicat, licet tantum ad tempus; damnificatio vero non aufert rem alienam, sed destruit, at damnum infert ac si eam auferret.

Dicitur 2° *injusta;* nam, si res aliquo titulo justo accipiatur, jam non est furtum, ut patet.

Dicitur 3° *vel detentio*, quia ablatio et accepti detentio moraliter censentur eadem actio, cum detentio sit ablatio continua.

Dicitur 4° *rei alienæ*, id est, rei qua proximus juste fruitur legitimo titulo, sive dominii, sive usufructus, sive depositi, etc.; nam ablatio rei suæ quæ esset apud alium non esset furtum, qua suæ.

Dicitur 5° *invito domino rationabiliter*, dum enim domino rei suæ detentioni tenetur consentire, irrationabiliter est invitus, et nulla ipsi infertur injuria: sic, furto non est reus qui furioso gladium aufert ne sese aut alium occidat.

Quæres 2. *Quomodo dividatur furtum ?*

Resp. Furtum dicitur : 1° *simplex,* si fiat occulte ; 2° *rapina,* si fiat aperte et cum violentia domino facta ; 3° *fraus* et *dolus,* quando fit dominum decipiendo, v. gr., in contractibus ; 4° *sacrilegium,* si res sacra accipiatur, vel profana in loco sacro, tanquam in asylo deposita ; 5° *peculatus,* quando res ad fiscum pertinet ; 6° *plagiatus,* si fiat de personis, v. gr., uxorem, prolem, mancipium, etc., auferendo, vel aliena scripta, quæ proles ingenii dicuntur, sibi vindicando ; 7° tandem *abigatus,* si de armentis agatur.

Quæres 3. *Quale peccatum sit furtum ?*

Resp. Quocumque nomine appelletur furtum, est *ex genere suo* peccatum mortale ; nam illud peccatum est ex genere suo mortale, quod graviter prohibetur jure naturali et divino, quod graviter lædit charitatem proximi, quodque excludit a regno Dei ; atqui furtum graviter prohibetur : 1° jure naturali : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis ;* 2° præcepto divino : *Non furtum facies ;* 3° graviter lædit charitatem proximi, ut patet ; 4° *Propter quod, neque fures, neque avari, neque rapaces, regnum Dei possidebunt*[1] : ergo, etc.

Notandum tamen cum Lessio, furtum *ex genere suo* minimum esse peccatorum, quod in proximum committitur, quia bona fortunæ sunt infima. Ratione tamen incommodorum quæ inde sequuntur, potest esse majus aliis.

Quæres 4. *An furta sint alia aliis majora, et an inter se specie differant ?*

Resp. Furtum, sacrilegium et rapina graviora sunt peccata simplici furto, et speciem malitiæ diversam habent. Illud quidem, quia præter injustitiam lædit religionem ex quo mutuatur nomen et malitiam sacrilegii. Illa vero, quia peccato injustitiæ addit injuriam contra personam cujus læditur honor, dum ei quasi e manibus res sua violenter et injuriose aufertur. Et ideo novam malitiam continet,

[1] I Cor. VI, 10.

quam simplex furtum excludit. Hinc fieri potest, ut quis non peccet mortaliter in ratione furti, et peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut si rem levis momenti per vim a persona illustri auferat. Cæteri autem modi vel objecta furti speciem non mutant, quia istis, inquit P. Gury, natura damnificationis non mutatur.

## § II.

### De quantitate materiæ furti ad peccatum mortale.

QUÆRES 1. *Quænam quantitas requiratur ut furtum de se sit peccatum mortale?*

RESP. 1. Ea non est mathematice, sed moraliter determinanda, id est, non tantum ex valore rei ablatæ, seu *absolute in se*, sed *relative* ad circumstantias loci, rei, temporis et personæ, ita ut gravior materia requiratur ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem, gravior in tali loco vel tempore, quam in alio, prout pecunia, quæ ex conventione hominum est mensura valoris omnium rerum, rarior et pretiosior existit. Ratio est, quia gravitas furti, sicut gravitas cujuslibet injuriæ, pendet præcipue a majori vel minori nocumento, dolore, voluntatis reluctantia, quam patitur dominus rei ablatæ ; atqui quod respectu unius est leve, respectu alterius erit grave. Hinc Div. Thomas [1] dicit : *In amissione unius gallinæ plus pauper gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis.* Hinc, aliquando grave furtum esse potest auferre acum sartoris, qui ea carens nequiret sibi de victu providere ; sed hoc peccatum magis indueret speciem injustæ damnificationis, quam furti, ut patet.

*Reluctantia* autem voluntatis æstimanda est ut *communiter* et *rationabiliter* habetur inter homines, non vero respectu ad homines nimia cupiditate divitiis adhærentes ;

1 Opusc. *de Erud. princip.*, lib. VII, cap. 8.

secus, peccaretur graviter ratione furti, etsi forte charitas christiana graviter non læderetur.

Aliqua tamen gravitas materiæ debet determinari, quam sine gravi culpa præteriri nequaquam potest ; nam si per omnem modum servanda esset proportio inter omnes hominum conditiones, profecto maxima quantitas in furto respectu prædivitum requireretur, quod valde societati nocivum esset. Unde, ex P. Gury, qui pro se vindicat recentiores,

Resp. 2. *Ad gravem materiam relative spectatam, attentis præcipue Europæ locis et temporum adjunctis, requiri videntur : 1° relate ad pauperes, circiter valor unius franci, seu viginti asses, et non raro minus, pro gradu necessitatis, 2° relate ad operarios circiter duo vel tres franci, seu quadraginta vel sexaginta asses ; 3° relate ad homines mediocriter divites, circiter quatuor vel quinque franci ; 4° circiter vero sex vel septem relative ad divites ordinarios ; 5° tandem novem vel decem franci semper efficient materiam gravem in furto erga ditissimos, etiam Principes.*

Unde patet quod, de se materia furti censeatur gravis, quando circiter diurno victui vel labori unius hominis æquipollere videtur.

Dixi *circiter*, quia in hac, sicut in omnibus moralibus, quæ parum distant, nihil distare dicuntur, si *quintum casum* excipias, quæ nunquam absque gravi culpa excedi potest.

Dixi *de se*, quia furtum rei levis potest esse mortale per accidens, et ratione *alterius :* 1° ratione *damni inde secuti* aut *lucri cessantis ;* 2° ratione *scandali*, ut si leve eripias alteri, quem nosti propter hoc blasphematurum ; 3° ratione *doloris,* quem concipit alter ex ablatione rei suæ, ut diximus.

Quæres 2. *Quænam materia requiratur in furtis uxorum, filiorum et famulorum, ut gravia evadant ?*

Resp. 1. Si surripiant aliquid notabile, peccant morta-

liter; nam particeps homicidæ peccat mortaliter; sed ex *Prov.* XXVIII, *qui subtrahit aliquid a patre suo et matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ : ergo*, etc. Ratio, quia rerum paternarum non sunt domini. Sed,

RESP. 2. Major quantitas requiritur in furtis uxoris vel filii, quam externorum. Ratio, quia paterfamilias vel non rationabiliter, vel saltem minus est invitus ; vel, etsi valde sit invitus, id sæpe tamen fit non tam ratione rei acceptæ, quam modi, v. gr. clam, furtim, vel finis surripiendi, v. gr. ad ludendum, ad potandum, etc.

Unde, communiter et *probabilius* auctores requirunt summam duplicem majorem pro his quam pro externis. Sed in praxi, nulla regula generalis certa assignari potest, inquit P. Gury, siquidem hoc a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque pendet.

RESP. 3. Quod attinet ad famulorum furta, pendet etiam a majori vel minori dominorum *tenacitate*, ex *qualitate* vel *situ* rei subreptæ, v. gr. si sit comestibilis vel non, aperta vel clausa, etc. ; porro, juxta *probabiliorem* sententiam, minima furta in exulentis et poculentis quæ claudi non solent, non coalescunt ad mortale, si surripiant in usus proprios, quia, quoad ista, domini non solent esse inviti, nisi quoad modum clam surripiendi, non quoad rem. Secus vero, si domo exportant aut divendant, vel magna sit quantitas, et delicatiora, et dominis reservata.

Si vero famuli arripiant pecuniam vel res sedulo servatas, non major, sed forte minor requiritur quantitas, quam in furto externorum, quia domini magis forte sunt inviti, et talia furta severius a lege civili puniuntur, propter *abusum confidentiæ*, ut dicitur.

QUÆRES 3. *An et quomodo minuta furta coalescant ad gravem materiam efficiendam ?*

Ante responsionem, notandum minuta furta committi posse : 1° vel ex *occasione* tantum, vel cum *intentione*

paulatim ditescendi, aut grave damnum inferendi; 2° vel uni, vel pluribus privatis; 3° vel ab uno solo a pluribus, et hoc, vel per *conspirationem* plurium inter se, vel non; 4° in minutis furtis retentio comparatur ad quantitatem tanquam ad unum objectum, et acceptiones singulæ comparantur ad res non notabiles. Unde retentio potest esse mortifera, quamvis acceptiones singulæ non sint nisi veniales, ut patebit. His notatis,

Resp. 1. Minuta furta coalescere possunt ad gravem materiam efficiendam. Id liquet ex propositione 38 ab Innocentio XI damnata, quæ generaliter dicebat: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantacumque sit magna summa totalis.* Unde sic: ibi est gravis obligatio restituendi: ergo gravis debet esse materia restitutionis; atqui non potest esse gravis materia restitutionis, nisi minuta furta coalescant: ergo, etc.

Et hoc verum est sive agatur de furtis erga *eamdem* personam, sive erga *plures*. Ratio *primi* est, quia per minuta furta multiplicata, facile damnum grave domino inferri potest. Ratio *secundi* est, quia, etsi singuli domini vix sentiant aliquid incommodi, tamen præceptum: *non furtum facies*, prohibet non solum ne damnum grave proximo inferatur, verum etiam ne quis re aliena ditetur. Pæterea talis fur, sic ditescendo, grave intulit damnum Reipublicæ. Ita S. Ligorius [1].

Resp. 2. Si quis *ex occasione* tantum furatur uni vel pluribus, absque intentione ditescendi vel alteri graviter nocendi, non peccat mortaliter; at cum perventum fuerit ex minutis furtis ad quantitatem notabilem, eam detinendo potest peccare mortaliter, etsi nunquam advertat ad culpam gravem, ut fatentur omnes. Ratio, quia tunc, saltem implicite, voluntatem habet retinendi rem alienam in notabili quantitate. S. Ligor. [2], Lessius [3].

[1] Lib. IV, nu 534. — [2] Lib. IV, num. 533. — [3] Diss. 8.

Utrum autem illud ultimum furtum complens notabilem quantitatem sit *ex se* peccatum mortale, affirmant plures; sed alii *probabilius* negant, quia damnum incipiens esse nunc notabile non infertur per hoc ultimum furtulum, sed per omnia collective sumpta, quorum unumquodque nonnisi veniale est. Peccatur ergo graviter, non quidem voluntate tunc committendi hoc ultimum furtulum, sed voluntate retinendi rem alienam notabilem [1]. Unde oritur gravis obligatio restituendi.

RESP. 3. Si quis furatur *cum intentione* paulatim ditescendi, vel graviter nocendi per minuta furta uni vel pluribus facta, peccat graviter ea intentione, et quodvis externum minutum furtum ex ejus vi procedens, quamvis sit tantum veniale *ex se*, tamen est continuata executio peccati mortalis. Ratio *primi*, quia intendit accipere rem alienam notabilem, invito domino. Ratio *secundi*, quia illa singula furta externa procedunt ex eadem intentione mortifera, suntque ejus executio; quidquid autem fit ex intentione mortifera, continuat peccatum mortiferum.

Ratio vero *generalis* est, quia hujusmodi latrunculi graviter nocent Reipublicæ, et praxis illa valde perniciosa est societati humanæ. Hinc illud *Prov.* XI: *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et *Deuter.* XIV: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus... abominatur enim Deus eum qui facit hoc.*

*Hinc,* graviter peccant mercatores utentes falsis ponderibus et mensuris, sartores particulam panni a diversis retinentes, etc., quia isti et similes intendunt pervenire per minuta furta ad notabilem materiam, ut de facto plerumque ad gravissimam perveniunt. Ita communiter.

Excusantur tamen a mortali: 1° qui id faciunt, ut se servent indemnes, vel quia pretium deberent augere, et sic non invenirent emptores; 2° qui animum habent paulo post restituendi [2]; 3° qui sunt hujus conditionis, ut alii

[1] Lessius et multi alii. — [2] S. Ligor., Lib. IV, num. 331.

teneantur illis succurrere ; 4° et etiam a veniali, ii quibus consuetudo alicubi vigens ut minus solvatur, reliquias materiæ concedit, vel quibus constat de domini voluntate.

Resp. 4. Qui *per conspirationem*, id est, plures simul conspirantes, furantur et graviter nocent, singuli peccant mortaliter, et tenentur restituere in solidum, ut dicemus infra : secus autem, si casu, etsi eodem tempore, furentur, advertantque ad grave damnum inferendum, quia tunc nemo est causa notabilis damni, quod per accidens ab aliis domino advenit. S. Ligorius [1], Lessius et alii.

Sed quid, si plures plura minuta furta committant, ita ut unusquisque moveatur exemplo alterius, quamvis sine conspiratione ? Respondeo illos *probabilius* non peccare graviter contra justitiam, sed tantum contra charitatem, si materia non sit gravis, ratione *scandali*. Etenim nullus illorum graviter peccat, nec ut causa efficiens, defectu, scilicet, gravitatis materiæ et intentionis, neque ut causa movens, cum exemplum non sit causa positiva influens in damnum alienum. Ita S. Ligorius [2], Lessius et alii contra plures.

Dices : Ergo fieri potest, ut quis grave damnum subeat, et tamen nemo teneatur sub gravi restituere.

Resp. Conceditur totum. Id enim advenit per accidens, nec repugnat, siquidem id accidit etiam in casu ubi ab uno, sine culpa gravi, tale damnum infertur.

Quæres 4. *An, si post quantitatem notabilem per minuta furta sublatam, addat quis furta alia parva, toties sit peccatum mortale, quoties aliquid superadditur ?*

Resp. Quidam affirmant cum Sporer ; sed alii *valde probabiliter negant*, nisi pertingat ad aliam novam quantitatem gravem ; sed mortifera erit voluntas retinendi illa minuta furta cum aliis. Lessius [3], Ligor. [4] et alii.

Quæres 5. *An minuta furta adhuc coalescant, si inter ipsa magnum interponatur intervallum ?*

[1] Lib. IV, num. 536. — [2] Lib. IV, num. 536. — [3] Diss. 8. — [4] Lib. IV, num. 538.

Resp. *negative*, quia tunc prædicta furtula non amplius constituunt unum atque idem objectum in genere morum. Est communis [1].

Quodnam vero tempus magnum censetur intervallum? Alii, cum Layman, Bonacina, Lugo, intervallum minus unius anni requirunt; alii, cum Navarro, docent sufficere si unus mensis intercedat, vel etiam brevius tempus, si agatur de furtis minimis. At priores in rigorem, et posteriores in laxitatem propendere videntur, inquit P. Gury, qui, cum S. Ligorio et aliis, dicit magnum intervallum censeri spatium duorum mensium, ultra quod non amplius coalescunt furta, etsi materia quasi ad gravem accederet.

Quæres 6. *Quænam materia dicitur gravis in minutis furtis?*

Resp. 1. Si furta minuta eidem fiant per intervalla, vel diversis eodem tempore, *communiter* requiritur et sufficit simplum cum dimidio, id est, ut excedat media parte summam ad furtum grave communiter requisitum.

2. Si furta fiant diversis personis et discontinuatim, materia censenda erit gravis *per se*, quando duplo major erit quam summa ad furtum grave communiter requisita [2].

## QUÆSTIO II.

### DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS.

*Nota.* Duplex est causa ob quam aliquis potest a furto excusari : 1° necessitas, 2° compensatio.

### § I.

#### De necessitate a furto excusante.

Quæres 1. *An liceat in gravi vel gravissima et extrema necessitate aliena subripere?*

Resp. Non licet in *gravi* necessitate; secus, si sit *extrema* vel *gravissima*.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 530. — [2] S. Ligor., ibid.

PROB. PRIMA PARS. Aliena non licet subripere, nisi sint communia ; atqui non sunt communia in gravi necessitate : ergo, etc. Unde Innocent. XI damnavit hanc 36 propositionem : *Permissum est furari, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.*

PROB. SECUNDA PARS. Ex communi omnium sententia, quæ docet in extrema necessitate omnia, saltem quoad usum, fieri communia, rerumque divisionem non comprehendisse, nec comprehendere potuisse casum extremæ necessitatis. Etenim finis rerum sublunarium est, ut hominibus in necessitate subsidio sint, et ut per illas homines vitam suam conservare possint ac tueri; divisio autem bonorum quocumque modo fuerit facta, non potest derogari juri naturali : ergo in extrema necessitate licet rem alienam subripere, ad subveniendum non solum sibi, sed et *proximo sic indigenti*, ait Div. Thomas [1].

*Excipe,* si dominus rei auferendæ per hoc in æqualem necessitatem sit redigendus ; nam ex regula juris : *In pari causa, melior est conditio possidentis.*

Dixi *vel gravissima ;* puta, si quis est in probabili periculo amittendi bona quæ sunt omnibus communia, v. gr. incurrendi mortem, amittendi membrum, incidendi in perpetuam captivitatem, et alia id genus, quia quæ de extrema necessitate dicuntur, de gravissima dici possunt propter eamdem rationem.

QUÆRES 2. *An qui in extrema necessitate versatur, possit occulte aliena subripere, quin illa petat ?*

RESP. Quidam negant, nisi prævideat se nihil obtenturum si petat. Ratio, quia nemo potest, sub levi tamen, vivere ex alieno, quando potest ex proprio, efficiendo ut res aliena fiat sua per donationem. Ita Lessius, Layman, Concina, etc. *Probabilius* autem affirmant alii ; nam ille non peccat, qui subripit rem ad quam habet jus absolutum ; sed qui in extrema necessitate est constitutus, abso-

[1] 2 2, quæst. 66, art. 7, ad 3.

lutum jus habet subripiendo quod est absolute necessarium ad inopiam sublevandam, et dominus tenetur eam cedere quocumque modo surripiatur : ergo, etc.

Dixi *absolute necessarium ;* peccaret enim mortaliter clam subripiendo rem peculiarem non absolute necessariam ad vitæ conservationem. S. Ligorius, Lugo et alii.

QUÆRES 3. *An pauper in extrema necessitate possit auferre rem magni valoris, si illa sit absolute necessaria ad suam vitam servandam?*

RESP. Duplex est sententia. *Prima* negat. Ratio, quia pauper in tantum potest accipere a divite, in quantum dives ipse tenetur ex charitate subrogare ad sublevandam pauperis inopiam ; atqui dives non tenetur extraordinariam summam expendere, quia charitas non obligat cum tanto dispendio : ergo pauper non habet jus ad bona extraordinaria : ergo, etc. Ita Croix. *Secunda* sententia verior affirmat, dummodo dominus rei auferendæ per hoc in æqualem necessitatem non sit redigendus. Ratio, quia pauper jus habet accipiendi omne id quod necessarium est ad servandam vitam, sive illud sit parvum, sive magnum. Hinc S. Thomas [1] dicit indistincte : *Per talem necessitatem efficitur suum id quod quis accipit ad sustentandam propriam vitam.*

Ad probationem primæ sententiæ, negatur major et consequentia, propter disparitatem rationis; nam, etsi dives non teneatur tunc permagnam summam erogare, quia charitas non obligat cum tanto dispendio, non datur consequens; nam, ante bonorum divisionem, quisquis poterat ex his accipere quantum erat sibi necessarium ; nullus tamen tenebatur ex justitia bona dare; sic etiam in extrema necessitate, quamvis omnia sint communia, et ideo pauper habeat jus accipiendi bona divitis, dives tamen non tenetur ex justitia dare, sed ex charitate tantum, quæ non obligat cum tanto incommodo : ergo aliud

[1] 2 2, quæst. 66, art. 7, ad 3.

est jus pauperis, et aliud obligatio divitis. Lugo, S. Ligorius [1].

Quæres 4. *Utrum qui in extrema necessitate bona aliena abstulit, ad restitutionem teneatur ?*

Resp. *cum distinct.* Si res ablata in sua specie post transactam necessitatem permaneat, debet restitui [2], quia cessante necessitate, cessat jus ex ea ortum; sic qui equum alterius aufert ut fuga vitæ consulat, tenetur illum reddere ubi ex periculo evasit, quia indigebat solum usu equi, non proprietate.

Quod si res ipso usu fuerit consumpta, adhuc distinctione opus est: vel consumens tempore necessitatis est absolute pauper, id est *in re et spe;* vel non. Si prius, nullo postea titulo restituere tenetur, licet ad pinguiorem fortunam redierit; non titulo *rei acceptæ,* cum non exstet amplius; non titulo *acceptionis injustæ,* cum in extrema necessitate positus, in eam verum dominium habuerit. Si *posterius,* ad restitutionem tenetur, juxta veriorem sententiam, quia non potest rem alienam absolute accipere, et facere suam, cum habeat ex suis unde sibi provideat. Indiget tantum ut dives ipsi mutuat cum obligatione restituendi. Hinc Div. Thomas [3] dicit: *Unusquisque tenetur ad liberandum proximum a morte secundum suam conditionem; et hoc quidem convenienter implevit, qui pecuniam mutuavit; non autem tenetur concedere in casu quo ille poterat per mutuum liberari.*

Quæres 5. *An dives non subveniens extremam patienti necessitatem, teneatur postea ad restitutionem ?*

Resp. *Probabilius negat.* contra Cardenas, Concinam, Layman et plures alios. Prob. Ille non tenetur ad restitutionem, qui non peccat contra justitiam; atqui dives non subveniens pauperi tempore quo ille erat in extrema ne-

[1] Lib. IV, num. 520, quæst. 111. — [2] Cap. *Quod,* 1, quæst. . — [3] *Quodlib.* 5, art. 17.

cessitate non peccavit contra justitiam, sed tantum contra charitatem : ergo non tenetur ad restitutionem nec ad damna inde sequentia.

Dices 1. Pauper in extrema necessitate habet jus ad bona divitis : ergo si dives non tradat, peccat contra justitiam, ac proinde tenetur ad restitutionem.

Resp. *Nego conseq. et consequentiam.* Ratio, quia ex una parte, necessitas non dat dominium rei indigenti, sed dat jus eam apprehendendi; jus autem illud tamdiu solum durat, quamdiu ipsa necessitas urget ; ex alia autem parte, obligatio succurrendi pauperi oritur ex præcepto charitatis, quæ ad restitutionem non obligat. Etenim, sicut ante divisionem bonorum, cum omnia essent communia, quisquis poterat accipere sibi necessarium, sed nemo ipsi tenebatur *ex justitia* dare; sic, cum in extrema necessitate omnia sint communia, pauper habet jus ex bonis divitis accipiendi sibi necessarium, sed dives ipsi non tenetur *ex justitia* dare : ergo, etc.

Dices 2. Si dives non teneretur ex justitia dare de suis pauperi in extremam necessitatem patienti, non peccaret contra justitiam, impediendo quominus ipse pauper suum arriperet, nec teneretur ad restitutionem damni quod hæredibus obveniret ; atqui nemo hoc dicit : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam, sicut ante divisionem rerum nullus eorum habet dominium ante apprehensionem, habet tamen jus ad eas apprehendendas ; ita pauper in extrema necessitate, etsi non habeat dominium bonorum divitis, habet tamen jus ad ea apprehendenda ; qui autem impedit aliquod jus, peccat contra justitiam : ergo dives peccat contra justitiam, non quidem quia debet ex justitia, sed quia pauper jus habet ad illa.

Hinc pauper, ait Lessius, poterit se tueri a domino impediente, *tanquam qui injuste ab altero invaderetur, et, si necesse sit, servato justæ defensionis moderamine, impedientem occidere.*

Quæres 6. *An fur rem ablatam consumens in extrema necessitate, teneatur semper ad restitutionem?*

Resp. *Prima sententia*, quam gravissimam et communiorem vocat S. Ligorius, *affirmat.*

Ratio prima, quia tunc obligatio jam contracta ex injusta acceptione non extinguitur superveniente necessitate; secunda, quia necessitas furi non tribuit dominium rei, sed tantum jus eam retinendi, et obligationem restituendi suspendit. Ita Sylv., Azor., Conc., etc.

*Secunda sententia* tamen, quæ mihi videtur verior, *negat.* Etenim in extrema necessitate omnia fiunt communia: ergo fur, sicut habet jus accipiendi bona aliena, sic habet jus consummandi, non secus ac de novo surripiendi; nam per talem necessitatem *efficit suum id quod accipit,* ut ait S. Thomas [1]. Igitur quando fur in extrema necessitate rem consumit, non alienam, sed suam consumit: ergo non tantum suspenditur, sed penitus extinguitur obligatio restituendi, secus ille teneretur restituere quod per usum fecit suum. Ita Paludanus, Navarr., Sporer, apud S. Ligorium, qui ad hanc sententiam propendere videtur.

## § II.

### De occulta compensatione.

Quæres 1. *Quid sit occulta compensatio?*

Resp. Est *actus quo quis rem suam vel aliquid æquivalens ab alio inscio et invito accipit.*

Dicitur *aliquid æquivalens,* quia certum est compensationem fieri posse in re debitoris, si tua jam non existat, vel recuperari non possit; vel etiam in alia specie, si non possit fieri in eadem.

Quæres 2. *An liceat uti occulta compensatione ad rem suam aut sibi debitam recuperandam?*

[1] *Quodlib.* 5, art. 17.

Resp. Occulta compensatio est justa et licita concurrentibus certis conditionibus; quia jure naturali quilibet potest se indemnem servare citra alterius injuriam; sed qui utitur occulta compensatione, se indemnem servat citra alterius injuriam, cum auferat quod suum est, non quod est alterius : ergo, etc.

Dixi *concurrentibus quibusdam conditionibus*, quarum *Prima* est quod rem suam non possit auctoritate publica obtinere; alias, peccaret contra justitiam legalem, violaretque jus judicis; non tamen obligaretur ad restitutionem, nec probabilius peccaret graviter, nec leviter (stante causa), v. gr. molestia notabilis repetendi a judice, quia compensatio est essentialiter justa.

*Secunda*, quod certum sit rem illam nunc *actu* exigibilem et debitam esse *ex justitia;* quia in dubio melior est conditio possidentis. Et 1° *debitam ex justitia;* non enim est licita compensatio, si res sit solum debita ex gratitudine, religione, vel charitate; quia debitum ex gratitudine, etc., nullum parit jus ad rem. Defectus hujus conditionis importat obligationem restitutionis. 2° *Nunc actu exigibilem*, quia *qui terminum habet, nihil debet.*

*Tertia*, quod caveatur ne debitor aut ejus hæredes iterato solvant, et prudenter moneat sibi nihil deberi.

*Quarta*, quod absit omne periculum scandali, vel damni alicujus tertii, qui de furto posset accusari, et cogi ad restitutionem.

*Quinta*, quod compensatio fiat ex bonis debitoris; ideo qui rem alienam commodatam subriperet, furtum utique committeret, tenereturque restituere.

*Sexta*, quod generatim non fiat, nisi de consilio viri prudentis.

Verum cum omnes istæ conditiones rarissime concurrant (vix enim abest periculum scandali, aut infamiæ), raro est a Confessariis permittenda, rarissime consulenda. Non tamen ad restitutionem obligabunt pœnitentes qui ea usi

fuerint proprio motu, si adfuerint conditiones requisitæ, quia jure suo, licet periculose, usi sunt.

Quæres 3. *An liceat operariis, famulis, officialibus justitiæ recte judicantibus se minus justo accipere, occulte sibi compensare?*

Resp. *cum distinct.* 1° Si quis *gratis* laborem suum offerre intenderit, nihil subripere potest, quia jam cessit juri suo.

2° Si expressa vel tacita conventio de justo *pretio* intervenerit, famulus jus habet ad compensationem, si dominus non solvat.

3° Si conventum fuerit de *pretio*, etiam *infimo*, huic standum est, cum sit undequaque justum, juxta illud [1]: *Non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum?*

4° Si vero pactum fuerit de *pretio infra infimum*, distinguendum est. Si famulus, nulla cogente necessitate, libere convenerit cum domino de tali pretio, se compensare non potest, quia *scienti et volenti nulla fit injuria.* Si necessitate fuerit coactus, puta ad sublevandam suam miseriam, tunc *probabilius* jus habet ad compensationem usque ad pretium infimum. Etenim ille jus habet ad compensationem, cujus herus tenetur augere pretium; sed herus tenetur augere pretium famuli vel operarii, qui, cogente necessitate, se locavit pro pretio infra infimum; nam non cessit juri suo sponte, sed coacte, et ideo ipsius paupertas non excusat herum ne solvat ei saltem stipendium infimum: ergo, etc.

Ad hoc tamen duo requiruntur: *primum*, quod dominus facile alios famulos vel operarios pro eodem pretio conducere non potuerit; *secundum*, quod dominus tunc ex sola misericordia non susceperit. Ita S. Ligorius [2], et communiter.

Dices: Innocentius XI damnavit hanc propositionem 37: *Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis sub-*

[1] Matth. xxii. — [2] Lib. iv, num. 522.

*ripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod acceperunt :* ergo ne famulus quidem qui paupertate coactus convenit ex pretio infra infimum, potest se compensare.

Resp. *Neg. conseq.* Siquidem illa propositio jure præscripta fuit, quia nimis generaliter loquebatur; interdum, inquit S. Ligorius, certum est Decreta pontificia non intelligi obligare contra justitiam.

Quæres 4. *An famulus augens operas debitas se compensare possit?*

Resp. *Dist.* Non potest se compensare, si augeat ex electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad conciliandam sibi domini gratiam. Secus autem, si operas augeat ex voluntate domini tacita vel expressa, quia tunc servanda est regula : *Dignus est operarius mercede sua.* S. Ligor. [1], Salmant., P. Gury, etc.

# PARS TERTIA.

## DE REPARATIONE JURIS, SEU DE RESTITUTIONE.

*Nota.* In prima parte hujus tractatus explicavimus quid sit justitia, quid jus, quænam ejus species, et imprimis quid dominium, quibus et in quo competat, quibusve modis comparetur. In secunda autem parte diximus quomodo justitia et jus violentur. Nunc autem dicendum est quomodo jus violatum restauretur, id est, de *Restitutione.* Hæc vero tertia pars duplicem habet sectionem : 1° de restitutione *in genere;* 2° de restitutione *in specie.*

[1] Lib. IV, num. 523.

## SECTIO I.

### *De Restitutione in genere.*

*Nota.* Agendum est 1° de restitutione *in se;* 2° de circumstantiis restitutionis; 3° de causis a restitutione excusantibus, triplici dissertatione.

# DISSERTATIO I.

## De Restitutione in se.

## CAPUT I.

### DE DEFINITIONE ET NECESSITATE RESTITUTIONIS.

QUÆRES 1. *Quid sit restitutio ?*

RESP. Est *actus justitiæ commutativæ, quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur.*

Dicitur 1° *actus justitiæ commutativæ,* quia in restitutione debet servari æqualitas rei ad rem; quod pertinet ad justitiam commutativam.

Etenim 1° non debetur restitutio ex læsione justitiæ *legalis,* quia objectum justitiæ legalis est obedientia legum, quod non est essentialiter repetibile; nam vel lex continuat jubere, vel non: *si prius,* actus compensativus est impossibilis, cum omnes actus sequentes satisfaciant tantum præcepto, quod semper urget; *si posterius,* transacta occasione justitiæ regulis obediendi, illius motivum non perseverat, et ideo inobedientia per novam obedientiam reparari non posset: ergo, etc.; 2° neque ex læsione justitiæ *distributivæ,* quæ non attendit æqualitatem rei ad rem, sed ad merita personarum in officiis et muneribus distribuendis; sed merita *per se* non dant jus strictum ad offi-

cium et munera, ut supra dictum est. Unde, licet superior peccet contra justitiam *distributivam*, non tenetur ex illo capite ad restitutionem : ergo, etc. ; 3° neque ex læsione justitiæ *vindicativæ*, quæ pro objecto habet punitionem scelerum ; alioquin sequeretur reum jus habere ad pœnam : ergo, etc. [1].

Dicitur 2° *quo res*, vel in se, vel in æquivalenti.

Dicitur 3° *res alterius*, per quod differt 1° a satisfactione quæ respicit personam offensam, non vero rem alterius ; unde major debet esse satisfactio, quo dignior est persona offensa ; e contra, restitutio non debet esse major erga nobilem quam erga plebeium. Differt 2° a solutione stricte sumpta, in eo quod solutio fiat ex proprio solventis ; restitutio vero ex proprio ejus cui fit restitutio ; unde quod debetur ex voto, juramento, emptione, etc., dicitur solvi, non vero restitui, e contra, depositum dicitur restitui.

Dicitur 4° *damnum illatum reparatur*, quia non minus violatur justitia alienum destruendo, quam alienum auferendo ; proindeque justitia non minus exigit ut proximum in rei suæ damnificatione indemnizetur, quam in ejusdem ablatione.

QUÆRES 2. *An sit necessaria restitutio ?*

RESP. Restitutio in re vel in voto est necessaria ad salutem *per se*, id est si de materia gravi agitur.

PROB. 1. Ex Scriptura dicente : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* [2] ; et : *Reddite omnibus debita* [3] ; et Ezech. [4] : *Si autem dixeris impio : Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, vita vivet, et non morietur :* ergo hæc nisi faciat, vita non vivet, necnon morietur.

PROB. 2. Ex S. Augustino [5] dicente : *Non dimittitur pec-*

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 547. — [2] Matth. XXII, 22. — [3] Rom. XIII, 7. [4] Ezech. XIII, XIV, XV. — [5] Epist. 54 *ad Macedonium*.

*catum, nisi restituatur ablatum ; sed, ut dixi, cum restitui potest.*

Prob. 3. *Ratione.* 1° Qui voluntarie agit contra primaria legis naturalis præcepta, salutem obtinere non potest; atqui, qui non restituit cum restituere potest, voluntarie agit contra primaria legis naturalis præcepta, qualia sunt: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.... Suum unicuique reddendum est :* ergo, etc.

*Prob. min.* Hæc præcepta vetant ne cuiquam injuria fiat, ne jus alterius violetur ; atqui, qui non restituit cum potest, facit alteri injuriam, et violat jus quod habet possidendæ rei suæ : ergo, etc.

2° Quisquis ad salutem necessario habere debet voluntatem adimplendi omnia mandata Dei ; atqui præceptum non retinendi injuste bonum alienum reducitur ad præceptum divinum : *Non furaberis :* ergo, etc.

Dixi *in re, vel in voto,* quia qui restituere non potest, ei sufficit ad salutem, ut sincerum habeat propositum restituendi, cum restituere poterit. Hinc

*Sequitur* restitutionem actualem non esse necessariam necessitate medii, cum sine ipsa in quibusdam casibus, v. gr. impotentiæ, ignorantiæ invincibilis, salus æterna obtineri possit, sed propositum restituendi, cum restitutio erit possibilis, est necessarium necessitate medii, quia lapsis necessaria est necessitate medii contritio ; sed sine proposito restituendi, nulla est et vana contritio : ergo, etc.

Dices : Illi sua res non est reddenda, qui non est rationabiliter invitus circa ejus detentionem ; atqui dominus rei non est rationabiliter invitus.

*Prob. min.* Qui debet consentire ut res sibi ablata, ab eo retineatur qui eam abstulit, non est rationabiliter invitus; atqui dominus rei debet consentire, etc.

Resp. *Nego utriusque argumenti minorem.* Si enim valeret pia hæc subtilitas, jam nulla essent furta, cum cen-

sendus esset dominus rebus sui cedere, quoties alter furari vellet, quod absurdum est.

*Prob. min.* Qui tenetur damnum spirituale proximi vitare per suum damnum temporale, tenetur consentire ut res sibi ablata retineatur ab eo qui eam abstulit; atqui unusquisque tenetur damnum spirituale proximi vitare per suum damnum temporale: ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Si proximus sit in gravi aut extrema necessitate salutis, a qua liberari non possit nisi per temporalis boni nostri cessionem, *conc.*; secus, *nego.* Porro, cum homo animæ periculum nonnisi propria voluntate subit, non censetur esse in tali necessitate; abstinere enim potest a bono alieno arripiendo vel detinendo.

QUÆRES 3. *An præceptum restituendi affirmativum sit vel negativum?*

RESP. Cum Div. Thoma [1]: *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen præceptum negativum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Hoc autem præceptum est *primario* negativum, et *secundario* affirmativum; primario enim prohibet ne retineatur alienum, invito rationabiliter domino, et ex consequenti jubet ut restituatur; unde obligat semper et pro semper.

Dixi *primario*, quia secundario est positivum. Ratio, quia præcepto affirmativo præcipitur actus virtutis, qui pro semper non est ponendus; nam homo non potest semper agere; atqui restitutio est actus virtutis: ergo, etc.

DICES: Ergo continuo peccat qui rem alienam detinet; absurdum consequens: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Continuo enim peccat, non quidem semper novum peccatum addendo (nisi cum expresse vel tacite renovatur propositum non restituendi, ut colligi potest ex dictis de multiplicatione numerica peccatorum), sed idem peccatum injustitiæ continuando, quatenus est

[1] 2 2, quæst. 62, art. 8, ad 1

diuturnior, et majus damnum causat domino illius rei, ait Sylvius [1].

QUÆRES 4. *An anima defuncti detineatur in Purgatorio donec ab illius hæredibus facta fuerit restitutio?*

RESP. *negative*, contra opinionis commenta, ex quibusdam fictis aut male intellectis revelationibus orta, quippe quæ credit animas in Purgatorio detineri donec eorum debita ab hæredibus solvantur, illasque apparuisse restitutionem postulantes, ut a flammis liberarentur. Ratio : 1° quia nemo punitur post mortem, nisi propter culpas in hoc sæculo commissas; 2° quia inde sequeretur quod in Purgatorio perpetuo detinerentur animæ illæ quorum hæredes nunquam restituerent, quod est insanum. Sperandum tamen est, ex misericordia Dei, ut illæ restitutiones, tanquam pia opera illis applicanda per modum suffragii, refrigerio sint. Billuart, Gury.

*Ex dictis resolves :* 1. Qui rem ablatam aut ejus valorem impar est restituere, debet habere firmum propositum restituendi quando poterit, et interdum comparare ut possit.

2. Qui totum nequit restituere, ad partem quam potest tenetur, ut dictum est.

3. Qui levis rei alienæ possessor est, sub levi tenetur illam restituere, cum damno proportionato; debet enim reparari injustitia levis *sub levi*, sicut gravis *sub gravi*, nisi excuset causa proportionata, quæ si sit levissima, sufficit ut modica res ablata pauperibus elargiatur.

4° Neganda igitur est absolutio : 1° iis qui recusant restituere cum possint; 2° iis qui bis aut ter promissis suis defuerint; 3° iis qui, valentes restituere per seipsos, hanc curam suis hæredibus relinquunt; 4° iis qui ære alieno gravati, victu, vestitu, æquorum, famulorum, etc., fastu impensas relative nimias faciunt; 5° iis qui, sat ampla fortuna dotati, negligunt paulatim decrescere ut debitis solvant. Ita communiter.

[1] Ad art. 8, quæst. 62.

# CAPUT II.

## DE RADICIBUS EX QUIBUS ORITUR OBLIGATIO RESTITUTIONIS.

QUÆRES 1. *Quot sint radices restitutionis?*

RESP. Sunt quinque. *Prima* est res accepta; *secunda* est injusta acceptio; *tertia*, injusta detentio; *quarta*, injusta damnificatio; *quinta* est ratio contractus vel officii : de hac ultima sufficienter diximus alibi.

1° *Res accepta* est res aliena in se, vel in æquivalenti existens apud alium sine hujus culpa.

DICES : Res accepta non est radix restitutionis; nam obligatio restitutionis fundatur in injustitia; atqui in re accepta sine accipientis culpa, non est injustitia : ergo, etc

RESP. *Dist. maj.* Obligatio restitutionis fundatur in injustitia, quæ semper est actu, *nego;* quæ vel talis est actu, vel satis erit nisi restituatur, *conc.;* unde restitutio facienda ratione rei acceptæ, respicit injustitiam præcavendam.

2° *Injusta acceptio* est usurpatio rei alienæ, invito rationabiliter domino.

3° *Injusta detentio* est detentio rei alienæ cognitæ ut talis, sive per injuriam, sive titulo apparenter vero obtenta fuerit.

4° *Injusta damnificatio* est damnum culpabiliter proximo illatum, v. gr. domum illius incendendo, etc. Hæ tamen quatuor radices ad duas communiter reducuntur, scilicet ad *injustam acceptionem*, cui adjungitur detentio rei alienæ, et obligatio restituendi ex contractu; et ad *injustam damnificationem.*

QUÆRES 2. *Cum omnis obligatio restituendi in delictis fundetur in culpa, ex qua culpa nascatur talis obligatio?*

Resp. Nascitur ex sola gravi culpa theologica, et etiam probabiliter intra casum contractus aut officii.

Dixi 1° *intra casum contractus aut officii*, v. gr. tutoris, advocati, confessarii, medici, chirurgi, artificis, etc., quia leges obligantes in conscientia imponunt explicite vel implicite contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa juridica lata, vel etiam aliquando ex culpa levi, conjuncta semper cum culpa gravi theologica, ut dicemus tract. *de Contractibus*, ubi de deposito.

Dixi 2° *culpa theologica*, quia duplex est culpa quacum actio damnificans fieri potest: nempe culpa *theologica*, quæ respicit conscientiam, et est eadem ac peccatum, sive mortale, sive veniale; et culpa *juridica*, seu omissio alicujus diligentiæ, ex qua alteri damnum provenit, et quam Juristæ vocant *culpam*, sive ea sit voluntaria et formale peccatum, sive sit involuntaria, et materiale tantum peccatum.

Culpa *juridica* dividitur in latam, levem, et levissimam.

Culpa *lata* est omissio diligentiæ quam solent homines prudentes adhibere in negotiis similibus, ut si quis exeat domo, non clauso ostio cubili interioris.

Culpa *levis* est omissio diligentiæ quam prudentiores et diligentiores adhibent, ut si quis exeat, clauso quidem cubiculo, sed non obserato.

Culpa *levissima* est omissio diligentiæ quam prudentissimi et diligentissimi tantum solent adhibere, ut si quis clausum quidem et obseratum ostium, non tentaverit manu num bene esset obseratum. Ita *ex jure Romano*.

*In jure* autem *Gallico*, hæc triplex distinctio culpæ juridicæ non agnoscitur. Postulatur tamen pro quibusdam casibus major cura quam pro aliis; v. gr. in deposito, expresse statuitur adhibendam esse majorem curam si depositarius stipendium acceperit. Sic: *Sive contractus cedat in utilitatem unius solum partis, sive in utilitatem utriusque, conservationi rei invigilare debet ut bonus pater-*

*familias* [1]. In quibusdam casibus requirit curam alienæ rei, sicut suæ, quæ minor videtur quam cura patrisfamilias. His notatis, quod ex sola culpa theologica oriatur obligatio restituendi

Prob. 1. Non tenetur quis ad restitutionem, nisi ratione injuriæ; atqui, qui absque culpa theologica damnum intulit, nullam facit proximo injuriam : ergo, etc.

Prob. 2. Ex cap. final. *de Injuriis*, Gregorius IX dicit : *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet :* ergo, etc.

Dices : Jure naturali, qui posuit inæqualitatem, tenetur eam reparare; sed qui alteri damnum intulit, etiam absque peccato, reipsa posuit inæqualitatem : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Qui posuit inæqualitatem per injuriam, tenetur eam reparare, *conc.;* absque injuria, *nego.* Tunc enim inæqualitas attribui debet casui fortuito, de fortuito autem casu nemo tenetur.

Inst. Hujusmodi damnificator damnaretur ad restitutionem in foro externo, tum canonico [2], tum civili [3] : ergo et in foro interno tenetur.

Resp. *Nego conseq.* Ideo damnaretur in foro externo, tum ob præsumptionem fraudis et culpæ gravis, tum ne detur locus negligentiæ, præsumptio autem non habet locum in foro interiori. Sed

Quæres 3. *Ex qua culpa theologica oriatur obligatio restituendi?*

Resp. Certum est apud omnes : 1° ex *gravi* culpa theologica gravem oriri obligationem rem gravis valoris restituendi; nam restitutio in delictis communiter accipitur ut pœna. Ubi igitur gravis fuerit culpa, conscientia tenetur ad gravem obligationem restituendi.

[1] Cod. civ., art. 1137. — [2] Can. *Consuluisti*, 2. 2, quæst. 4. — [3] L. *Qui accidit*, ff. *Ad leg. Aquiliam*, § *In hac quoque.*

*Certum est* 2° ex *levi* culpa theologica, si sit levis ratione parvitatis materiæ, oriri obligationem restituendi sub levi; nam justitia exigit ut ubi levis est injuria et damnificatio, levis etiam sit obligatio reparationis.

Sed quid, si culpa sit venialis ratione inadvertentiæ, sive indeliberationis, et damnum illatum sit grave? obligatne ad restitutionem?

Resp. Hæc de re plures sunt sententiæ. Aliqui affirmant, ut Flor. de Coq.[1], Henric. a sancto Ignatio[2] et docent damnificatorem ad totum teneri sub mortali; sed falso, quia gravis obligatio ex culpa levi oriri non potest. Alii obligant ad totum sub levi; sed adhuc negatur, quia inter vim obligationis et illius objectum non esset proportio. Alii, ut Lugo, Grandin, Paulus a Lugd., Habert, Tournely, Antoine, Ponias[3], asserunt satis esse, si resarciat partem damni pro quantitate culpæ, judicio viri prudentis, sub levi obligatione.

Prob. prima pars. Per peccatum veniale alicui injuria formalis infertur; nam ab eo infertur injuria formalis, qui sciens et volens lædit jus alterius; atqui per peccatum etiam veniale, sciens et volens lædit jus alterius: ergo, etc.

Prob. secunda pars. Injuria venialis (extra contractum) non tantam debet parere obligationem, quantam injuria gravis et plene voluntaria; atqui si teneretur quis ex culpa veniali ad refusionem totius damni, injuria venialis tantam pareret obligationem, quantam injuria gravis: ergo, etc.

Dices: Idem damnum et forte magis intulit, quam si mortaliter peccasset: ergo eadem opus est reparatione.

Resp. 1. *Retorq. argum.* Aliquis ex inadvertentia inculpabili, ac proinde absque culpa theologica, idem damnum intulit proximo, quam alter sciens et volens: ergo eamdem debet reparationem; an admittent consequentiam adversarii?

Resp. itaque 2. *Nego conseq.* Nam obligatio restitutionis

[1] Sect. 2 *de Restit.* — [2] Tom. II, pag. 505. — [3] Verbo *Restitut.*, cas. 177, etc.

sumitur non ex parte damni objective sumpti, sed ex parte injuriæ formalis: ergo satis est, si tantum damni reparetur, quantum satis est ut reparatio sit injuriæ proportionata.

At communius et probabilius Filiucius, Lessius, Roncaglia, Salas, Sanchez, Viva, S. Ligorius, de Lugo, Gury, Scavini, et alii plures docent nullam oriri restitutionis obligationem, neque sub gravi, neque sub levi. Non *sub gravi* quidem, quia gravis obligatio non habet proportionem cum culpa levi : ergo, etc. Non *sub levi* autem, quia obligatio levis non habet proportionem cum materia gravi : ergo.—Aliunde ridiculum esset ut quis pro centum damni illati, teneretur sub levi viginti vel triginta asses afferre pro reparatione damni. Et ratio generalis est, tum quia culpa venialis ex deliberationis defectu et advertentiæ, non est simpliciter delictum et injuria; quis enim offensum se habebit ex culpa fragilitatis ? Ideoque non potest parere restitutionis onus; tum quia leves hujusmodi inadvertentiæ cuique passim occurrunt, et potius habendæ sunt fortuitæ quam præconceptæ, quoad restitutionis obligationem, nisi velimus, inquit Scavini, latissimam mentis angustiis et scrupulis viam patefacere : ergo, si culpa theologica non fuerit nisi venialis ex defectu deliberationis et advententia, etsi grave sit damnum inde illatum, non est quidquam restituendum.

*Hinc duo notanda sunt pro praxi.*

*Primum*, posse esse tantum damnum, ut pars illius correspondens culpæ veniali sit adhuc gravis momenti, ideoque sub mortali restitui debeat; alioquin retineretur res notabilis, invito rationabiliter domino, quod est mortale. Hoc autem accidere potest cum in ultimo furtulo vel damno completur materia gravis, ut dictum est supra. Sed tunc ad vitandum mortale, sufficit restituere materiam illam parvam quæ materiam gravem complet.

*Secundum*, quando damnum est grave, et dubitatur an

culpa mortali, an veniali fuerit illatum, judicandum est mortali culpa illatum; ideoque imponenda est obligatio reparandi totius damni; quia, cum opera externa graviter periculosa periculum suum statim et facile ingerant, mentemque ad sui considerationem excitent, raro contingit ut quis non tantum attendat quantum ad peccatum mortale necessarium est, ut notat Lessius [1]. Sed de his fusius in sectione tertia, diss. III.

# DISSERTATIO II.

## De circumstantiis restitutionis.

*Nota* 1. Ex hucusque dictis, patet solum rei dominum habere jus *per se* eam possidendi, nec ejus dominium amittere, ad cujuscumque manus deveniat. Ita omnia jura.

Dixi *per se;* nam per *accidens,* v. gr. titulo bonæ fidei vel erroris invincibilis, aliquis jus habere potest rem alienam possidendi.

Ex hoc autem principio defluunt quasi naturaliter quatuor sequentia axiomata :

Primum : *Res clamat domino*, id est, dominus habet jus rem suam recuperandi, ubicumque illam invenerit.

Secundum : *Res fructificat domino suo,* id est, hoc ipso quod fructus proveniunt e re tua, cedunt in tuum dominium; nam fruitio in idea dominii perfecte includitur.

Tertium : *Res naturaliter perit domino,* nullus enim potest esse dominus rei non existentis; si tamen res existit *in æquivalenti,* ipsum æquivalens domino competit.

Quartum : *Nemo ex re aliena locupletari debet;* tantum igitur restituendum est quantum detinetur.

Verum hæc varia principia generalia sæpe modificantur, pro rerum et personarum adjunctis. Unde

[1] Lib. II, cap. 7, dub. 6.

*Nota* 2. Novem vulgo numerantur circumstantiæ restitutionis, hoc distycho comprehensæ :

Quis, quid restituat, quantum, cui, quomodo, quando,
Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

De ipsis sit sermo tribus capitibus : in *primo*, expendemus quis, quid, et quantum restituere debeat; in *secundo*, cui, quomodo et quando restituere debeat; in *tertio*, quo ordine personis læsis restituere debeat; at quænam sint causæ a restitutione excusantes, dicemus in quarta dissertatione.

## CAPUT I.

### QUIS, QUID ET QUANTUM RETSITUERE DEBEAT.

*Nota*. Constat teneri ad restitutionem, tum eos qui alienum possident, sive bona, sive mala fide; tum eos qui bona aliena damnificaverunt; tum eos qui alterius damno cooperati sunt. Unde hic nobis agendum : 1° de possessore bonæ fidei; 2° de possessore malæ fidei; 3° de possessore dubiæ fidei; 4° de injusto damnificatore; 5° de iis qui alterius damno cooperati sunt.

### ARTICULUS I.

#### DE POSSESSORE BONÆ FIDEI.

*Nota* 1. Possessor bonæ fidei est qui alienam rem possidet, prudenter putans eam esse suam; et de eo quæritur an rem restituere debeat cum fructibus quos ex ipsa bona fide percepit; cui quæstioni ut satisfiat,

*Nota* 2. Fructus rei dividuntur in *naturales*, *industriales*, *mixtos* et *civiles*.

*Fructus naturales* sunt ii qui natura sola, aut fere sola producuntur; tales sunt fœtus animalium, herba pratorum, etc.

*Fructus industriales* sunt ii qui per solam industriam et laborem producuntur ex re mere sterili, v. gr. ex pecunia per negotiationem.

*Fructus mixti* sunt ii qui partim ex natura, partim ex industria prodeunt, ut fructus agrorum, vinearum, etc.

*Fructus civiles* sunt ii qui ex juris dispositione ob rei usum oriuntur, ut domorum et jumentorum locatio : hi cum naturalibus in jure confunduntur.

*Nota* 3. Expensæ circa rem factæ, aliæ sunt *necessariæ*, quæ impediunt deteriorationem rei ; aliæ *utiles*, quæ rem meliorem faciunt ; aliæ *voluptuariæ*, quæ speciem dumtaxat ornant, ut sunt viridaria, picturæ, etc.

*Nota* 4. Nullus, sive sit bonæ, sive malæ fidei possessor, tenetur restituere fructus industriales, quia non sunt fructus rei, sed fructus industriæ.

*Nota* 5. Restitutio fructuum facienda intelligi debet deductis operibus, quæ a domino fieri debuissent ad illos percipiendos, et impensis tum necessariis, tum utilibus, quia, iis deductis, dominus non patitur damnum, et reponitur æqualitas [1]. Quoad impensas voluptuarias, ipsas deducere potest possessor bonæ fidei, etiamsi non amplius exstent, quia eas fecit de re quam prudenter judicabat suam ; possessor vero malæ fidei non potest ipsas deducere, si non amplius exstent, vel si non sint a re ipsa separabiles [2].

Quæres itaque 1. *Quid teneatur restituere possessor bonæ fidei ?*

Resp. 1° Tenetur restituere rem, ubi primum novit esse alienam, vel id in quo factus est ditior, si non exstet ipsa res, quia tantumdem et non amplius habet ex re aliena sive in se, sive in æquivalenti ; quod si non reddat ubi primum potest commode, incipit esse possessor malæ fidei, et, ut talis, incipit obligari ad restitutionem.

2° Tenetur restituere fructus rei *naturales*, *civiles* et

[1] L. VII, ff. *Soluto matrimonio*. — [2] Lib. XXXVIII *de Hæred. petit.*

*mixtos*, qua parte sunt naturales, si adhuc exstent, quia res fructificat domino ; quod si illi fructus non extent, tenetur solum restituere quatenus ex eis factus est ditior: *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores exstiterint*, ait Justinianus [1].

3° *Ad nihil* prorsus tenetur, si, durante bona fide, rem alienam vel ejus fructus consumpsit, modo ditior inde non evaserit ; non enim tenetur ratione *rei acceptæ*, quia jam non existit; neque ratione *injustæ detentionis*, cum esset in bona fide ; neque ratione *damnificationis* quam intulit sine culpa formali. Hinc [2] dicitur : *Qui quasi rem suam neglexit, nulli querelæ subjectus est.*

*Nota.* 1° Ex jure novo [3], omnes fructus mixti habentur ut industriales.

2° Omnes fructus, tum naturales, tum civiles, tum mixti, assignantur possessiori [4].

Ad hoc autem requiritur : 1° ut rem ipsam possideat ut proprietarius [5] ; 2° ut sit in bona fide juridica tempore quo fructus colliguntur [6]; 3° ut fructus sint collecti, si pendentes, vel radicati natura sint, vel correspondentes tempore elapsis (gallice *échus*), si agatur de fructibus civilibus [7]. At impensæ quæ ab usufructuariis communiter solvuntur, repeti non possunt, quia compensantur per fructus perceptos [8].

Porro, *probabilius*, illæ juris dispositiones obligant in conscientia, tum ob bonum publicum, culturam proprietatum promovendo, securitati fortunarum præcavendo, rixis præcurrendo, etc. ; tum quia lex nititur in præsumptione juris. Ita Carriere, Gousset, Vernier, P. Gury, etc.

QUÆRES 2. *Quis dicatur ex re aliena ditior factus ?*

RESP. Is qui rem alienam consumendo, aut donando, rebus suis, quas consumpsisset, pepercit, vel qui, rem

[1] L. prima, ff. *de Hæred. petit.* — [2] Lib. XI, § 3, ff. *de Petit. hæred.*
[3] Cod. civ., art. 583. — [4] Ex art. 547. — [5] Art. 550. — [6] Ex art. 549.
[7] Ex art. 580 et 586. — [8] Art. 548.

alienam alienando, aliquid acquisivit ; sed non censetur ditior factus, cum propterea lautius quam vixisset, vixit, nisi rem alienaverit ex contractu oneroso, ut dicetur infra.

*Nota.* Donatarius tenetur restituere, si res adhuc existat, quia donatio fuit invalida. Donator vero donatarium ut restituat, vel dominum ut rem suam recuperet, admonere debet, non quidem obligatione *justitiæ*, ut patet, sed ratione *charitatis*, quando id facile præstare potest. Hoc sequitur ex generali charitatis principio. *Ita omnes.*

QUÆRES 3. *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei qui rem a fure emptam alteri vendidit?*

Casus est quo bona fide rem alienam, v. gr. equum emeris a Petro et vendideris Paulo, et postea cognoscitur rem esse Joannis.

RESP. *Cum distinctione.* Vel agitur de *casu evictionis aut spontaneæ restitutionis*, vel *non.* Unde

1° *In casu evictionis*, id est, si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium rei quod acceperat reddere tenetur, *saltem id in quo ditior factus fuit*, tum quia contractus fuit nullus ex parte dominii rei quod transferre non potuit venditor, cum nullus det quod non habet [1] ; tum quia non est æquum ut venditor lucrum faciat cum jactura emptoris.

Idem dicendum est cum res, vi contractus onerosi, in manus variorum possessorum transiverit : ultimus possessor, cognito domino, restituere debet, et ipse et singuli emptores jus habent contra suum venditorem prosequendi pretii soluti restitutionem.

Dixi *saltem id in quo ditior factus est* : plures enim dicunt te non teneri reddere nisi id in quo factus es ditior ; nam de pretio ac de ipsa re idem est dicendum ; sed qui rem alienam consumit in bona fide, nec exinde ditior evasit, ad nihil tenetur, ut supra dictum est : ergo a pari, etc. Ita Salmant, Navarr. et plures alii.

[1] Cod. civ. art. 1599.

At hæc sententia non videtur inconcussa; nam ad illius rationem supradictam, respondetur *negando paritatem :* siquidem 1° in omni contractu oneroso, venditor emptorem debet servare indemnem ab omni evictione; 2° qui rem vitiosam, vel unam pro alia, v. gr. cuprum pro auro vendens, alteri damnum intulit, emptorem indemnem facere tenetur; sed qui rem alienam ut suam vendit, quam emptor domino cogitur restituere, damnum illi infert : ergo, etc. Ita Busemb., Less., et alii.

2° *Extra casum evictionis aut spontaneæ restitutionis* ex parte emptoris, dubium est utrum venditor teneatur restituere domino, quod ut solvatur, dicimus :

1° *Ex jure Romano et naturali*, Billuart [1] et plures alii venditorem obligant pretium restituere vel emptori vel domino; tum, inquiunt, quia venditio fuit penitus nulla, nec pretium rei fecit suum; tum quia emptor ille primus factus est ditior ex illo pretio, siquidem pretium quod dederat furi jam non erat suum, sed amissum: ergo retinendo istud pretium secundi emptoris, ex toto fit ditior : ergo, etc.

At sententia *probabilior et communior* eximit venditorem ab omni restitutione, nisi ex venditione ditior factus fuerit, id est, majus pretium acceperit ab emptore quam furi dedit, et ille excessus non sit fructus industriæ; nam 1° *ex jure Romano* non tenetur. *Prob.* Ille non tenetur restituere pretium rei venditæ, quod fecit suum per venditionem; sed ex illo jure, ait P. Gury [2], licet in venditione rei alienæ bona fide peracta non tranferatur dominium rei, transfertur tamen pretium rei in venditorem: ergo pretium rei fecit suum. 2° Neque tenetur *ex jure naturali;* non quidem ratione *rei acceptæ*, cum illam non habeat, nec ex illa factus sit ditior. 3° Neque ratione *injusti damni,* cum in bona fide rem vendiderit : ergo. Ita S. Ligorius, Salmant., Lugo, Vogler, etc.

[1] *De Restit.*, art. 10. — [2] Num. 617.

4° *Ex jure novo,* quidam obligant venditorem ad restitutionem ; ille namque tenetur restituere, inquiunt, qui pretium rei venditæ non fecit suum ; sed qui rem alienam vendidit, pretium non fecit suum : ergo, etc. *Prob. min.* ex art. 1599 Cod. civ., ubi venditio rei alienæ declaratur invalida et irrita; sed in venditione penitus invalida nulla fit translatio neque rei, neque pretii. Quod confirmatur ex art. 1370 Cod. civ., qui dicit : *Qui rem bona fide acceptam vendidit , solum venditionis pretium restituere tenetur :* ergo, etc. Ita D. Carrière [1] et alii [2].

*Alii* vero non minus *probabiliter* et forsan *probabilius*, negant. Ratio, quia non est a jure antiquo recedendum, nisi probe constet aliud contrarium a jure novo fuisse statutum ; atqui non probe constat ex jure novo venditionem rei alienæ nullius esse valoris , nullumque obtineri effectum : ergo, etc.

*Prob. min.* Ex articulis citatis, rigorose sequitur tantum : 1° dominum rei jus suum in eam servare; 2° emptorem evictionis obnoxium esse ; 3° venditorem, in casu evictionis vel spontaneæ restitutionis , obligari ad restituendum emptori pretium venditionis, nec ex praxi quotidiana tribunalium aliquid aliud erui potest : ergo non claret, etc... *Insuper*, durissimum foret ad restitutionem obligare venditorem, qui nec rem habet, nec ex ea ditior factus est, maxime cum dominus recursum habeat ad emptorem vel ad furem, ut rem vel pretium recuperet. Ita DD. Gousset [3], P. Gury [4] et alii.

QUÆRES 4. *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem alienam, furto v. gr. allatam, gratuito acceptam, alteri vendiderit ?*

[1] Num. 1047.

[2] Ex jure nov. (Cod. civ., art. 2280) statuitur pro commercii securitate, quod si res empta fuerit in publico vel mercatore ejusmodi res vendente, transferatur dominium emptori, ita ut dominus emptorem cogere non possit ad rem sibi restituendam, nisi prius soluto pretio. Unde tunc domino, non emptori, venditor debet restituere. — [3] Num. 929. — [4] Num. 617.

Resp. In casu *evictionis aut spontaneæ restitutionis*, totum pretium emptori restituere teneri, patet ex supra dictis.

Extra vero casum evictionis aut spontaneæ restitutionis, *prima sententia* venditorem eximit ab omni restitutione, quia dominus nullam habet actionem contra venditorem, non secus ac in casu præcedenti. Sic tenet D D. Gousset [1] et plures alii.

*Secunda* vero *sententia* docet venditorem totum pretium acceptum domino refundere debere. Nam, ex regula juris 48, in 6°, *locupletari non potest aliquis cum alterius injuria seu jactura;* atqui in casu, venditor ex toto pretio factus est ditior, cum rem gratuito acceperit: ergo illud totum restituere tenetur rei domino, ut indemnis ille servetur. Hæc sententia est communis et in praxi servanda, inquit P. Gury [2]; verum obstat quod, licet venditor factus sit ditior, non tamen ex bono domini, sed emptoris, quamvis occasione rei alienæ [3].

Quæres 5. *An qui bona fide rem furtivam emit, possit eam furi reddere, ut pecuniam suam recuperet?*

Resp. Si dominus compareat, ipsius est rem suam recuperare; igitur ei, non furi, est restituenda, ut patet. Si dominus sit quidem cognitus, sed inscius, triplex est sententia.

*Prima sententia* dicit quod si fur domino rem est restiturus, vel dominus eam facile recuperaturus, emptor illam furi remittere potest, nec dominus tunc rationabiliter esset invitus, cum nullum inde patiatur damnum. Hinc axioma: *Quod mihi prodest, et tibi non obest, teneris illud permittere.* Sin minus, tunc cum

*Secunda sententia negant,* et docent rem domino restituendam esse, cujus rationes patebunt ex objectis.

[1] Num. 930. — [2] Num. 617.

[3] *Nota.* Ut supra notavimus, *ex jure Gallico*, si res vendita sit in foro publico, vel ab eo qui res hujusmodi vendi solet, emptor non tenetur rem domino restituere, nisi soluto pretio.

*Tertia sententia,* probabilior et communior, *affirmat.*

Prob. 1. Nemo tenetur rem alienam servare cum suo damno ; atqui, si emptor rei furtivæ non posset eam furi reddere, teneretur rem alienam servare cum suo damno, cum pecuniam suam non posset recuperare : ergo, etc.

2. Quisquis jus habet ponendi actionem quæ *per se* est necessaria et directa ad suum damnum evitandum, licet *indirecte* et per *accidens* damnum alteri eveniat : ergo in casu, venditor habet jus rescindendi contractum, cujus rescisio est actio necessaria et directa ad recuperandum pretium suum ; *subsumo :* sed hæc rescisio fieri non potest nisi res furi restituatur : ergo venditor licite reddit, esto res in deteriorem statum injiciatur, et damnum dominus *indirecte* et *per accidens* patiatur. Ita S. Ligorius [1], S. Antoninus, Lessius, Salmant., Navarr., P. Gury et alii.

Objicies 1 cum Billuart : *Res clamat domino ;* hinc, si dominus repetat rem, emptor tenetur ei reddere ; atqui repetitio non confert domino jus ut res sua ipsi immediate restituatur, sed illud supponit.

*Subsumo.* Atqui ex omissione repetitionis propter ignorantiam, non amittit tale jus : ergo etiam repetenti debet restitui, non furi.

Resp. *Dist. maj.* Emptor tenetur reddere, si dominus *active* repetat, *conc. ;* secus, *nego,* si non potest restituere sine suo damno æquali vel quasi-æquali. Etenim, extra contractum vel quasi-contractum, nemo tenetur alterius rebus providere cum tanto damno ; atqui in casu, nullus contractus vel quasi-contractus intervenit dominum inter et venditorem : ergo, etc. Unde

Ad *minorem* et *subsumptum, dist.* pariter in eodem sensu. Repetitio supponit jus ut immediate restituatur etiam non petenti, si fieri potest sine gravi damno, *conc.;* secus, *nego,* itaque *negatur conseq.*

[1] Lib. IV, num. 569.

OBJICIES 2 CUM EODEM. Non licet alteri injuriam irrogare ; sed emptor qui rem furi redderet, injuriam domino irrogaret : ergo, etc. RESP. *Nego min.*

*Prob. min.* Injuriam domino irrogat qui rem suam deteriorem facit; sed qui rem ereptam e manu furis iterum eam illi tradit, deteriorem eam facit ; ponitur enim in pejori statu quam sit apud emptorem, ubi est in tuto : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam ibi non est injuria, ubi dominus non est rationabiliter invitus ; atqui in casu, dominus non est rationabiliter invitus ; non potest enim conqueri quod alter utatur jure suo certo ad sua bona recuperanda, nec proinde quod ponat actionem quæ per se est necessaria et directa ad damnum suum reparandum ; porro emptor habet certum jus contractum resiliendi, licet per accidens et indirecte damnum alteri adveniat ; cum vero contractus rescindi non potest nisi per restitutionem rei, sequitur restitutionem tam licitam esse quam ipsam contractus rescisionem. Jam vero damnum quod in illa occasione dominus patitur, non ex mea, sed ex prava furis voluntate evenit, interdum jure meo utor a quo nemo me privare potest ; ergo dominus non est rationabiliter invitus. Ergo, etc.

INST. 1 CUM BILLUART. Dominus non tenetur consentire ut res sua tradatur furi sibi preritura : ergo est rationabiliter invitus.

*Prob. ant.* Tum quia res clamat domino, tum quia dominus habet jus eam repetendi, et ipsi repetenti tenetur emptor reddere : ergo non tenetur consentire.

RESP. *Nego prob. ant.* Propter rationes allatas... Præterea, si quis rem inveniat in via, et postea timeat ne damnum sit passurus eam retinendo, bene potest, inquit S. Ligorius, eam in eodem loco reponere, et permittere ut alter auferat, nec dominus potest esse rationabiliter invitus. Ergo a pari, etc.

INST. 2. Ergo, juxta sententiam hanc, licitum erit tradere latroni equum mei vicini, ut meum quem latro abstulit, vel vestem alterius in ignem injicere, ut meam servem.

RESP. *Nego conseq. et paritatem.* Hic enim non intervenit contractus ; et ideo res alterius non est causa cur latro tuam abstulerit ; proindeque non esset rescisio contractus unde oritur necessaria et legitima rei acceptæ restitutio, sicut in casu nostro, ut probavimus : ergo, etc.

*Præterea,* aliud est rem alterius auferre, aliud eam non servare : aliud damnum alteri directe et immediate inferre, aliud damnum alterius permittere ; aliud immediata cooperatio, aliud mediata. Ex illa terminorum confusione nascitur opinio adversariorum. S. Ligor. [1] et communiter.

## ARTICULUS II.

### DE POSSESSORE MALÆ FIDEI.

*Nota.* Possessor malæ fidei est ille qui per injuriam, rem alterius accepit, vel detinet, vel damnum intulit.

QUÆRES 1. *Ad quid teneatur possessor malæ fidei ?*

RESP. Tenetur : 1° restituere rem ipsam, si adhuc exstet, quia res clamat pro domino ; vel ejus pretium, si non exstet, quia pretium rei est res in æquivalenti : ergo pertinet ad dominum rei.

2° Compensare omne damnum emergens et lucrum inde cessans domino [2] ; nam est causa injusta utriusque.

3° Restituere omnes fructus naturales, civiles et mixtos qua parte sunt naturales, sive dominus eos percepturus fuisset, sive non, quia fructus rei, hoc ipso quod producuntur, fiunt illius qui est dominus rei ; sive eos non per-

[1] Lib. IV, num. 569. — [2] Lib. V, cod. *de Rei vindic.*

ceperit, modo dominus eos percepturus fuisset [1], quia fuit causa injusta cur dominus non perceperit; sive consumpti sint, sive per casum fortuitum amissi, nec ex illis factus sit ditior, quia ipsos consumpsit mala fide.

*Ratio* horum omnium est, quia qui injuriose damnum alicui intulit, debet illud per omnimodam indemnitatem reparare; atqui non potest illud omnimode reparare, quam supra dicta restituendo: ergo, etc.

Potest tamen deducere impensas quas fecit ad fructus colligendos, quia dominus debuisset etiam illas facere; item impensas tum necessarias, tum utiles, imo et voluptuarias, ubi, intacta remanente rei substantia, separari possunt. Ratio, quia dominus commodum reportare non debet ex re aliena. Excipe casum quo fur in pœnam delicti ad illas impensas committendas damnatus fuerit.

QUÆRES 2. *An teneatur fur restituere valorem rei, si res furtiva apud ipsum pereat, quæ æque apud dominum peritura fuisset?*

*Nota.* Res perire potest apud furem, vel ante, vel postquam periisset apud dominum, vel eodem tempore ac periculo quo apud dominum peritura fuisset, et absque sua culpa vel alterius. Unde cum distinctione:

RESP. 1. Si res aliena perierit apud furem, etiam absque sua culpa, vel alterius, sive antequam, sive postquam apud dominum fuisset peritura, possessor malæ fidei tenetur ejus valorem restituere, etiamsi ab imminente periculo illam servasset. Ratio est, quia, in *primo casu*, possessor malæ fidei tenetur de omni eventu, etiam de casu fortuito, ut supra dictum est; in *secundo casu*, quia res quocumque modo servetur, domino servatur: ergo cum fur sit injustus detentor, tenetur de casu fortuito, sicut in prima hypothesi.

RESP. 2. Si res aliena perierit apud furem absque sua culpa, vel alterius, eodem tempore ac eodem periculo, v. gr.

[1] Lib. LIII, ff. *de Rei vindic.*

eodem incendio, vel eodem naufragio, vel alio simili periculo, vel ex vitio ejus intrinseco, quo apud dominum fuisset peritura, fur non tenetur ad restitutionem. Etenim ille non tenetur ad restitutionem, qui, licet intulerit injuriam, non est tamen causa efficax damni; atqui fur intulit quidem injuriam per furtum commissum, verum non est causa efficax damni, siquidem res æque et eodem modo et tempore periisset apud dominum: ergo, etc. Ita S. Ligor. [1], et communiter contra Concinam et quosdam alios.

Resolves. Surripuisti equum ita ægrum, ut ante diem elapsum sit moriturus; *item,* ex una navi in aliam, invito domino, transtulisti merces, utraque simul pereunte in eadem tempestate; *item,* occidisti hominem ex morbo visibili vel judicis sententia certo et cito moriturum: quamvis graviter peccaveris in istis, non teneris restituere neque rei valorem, neque damna exinde secuta.

Dixi 1° *absque sua culpa*, quia non pauci docent quod si rem ipse consumpserit, vel exuerit voluntarie, vel destruxerit, antequam illud periculum evenerit, fur obligatur ad restitutionem. Sed hoc non videtur consentaneum eorum principiis; nam sive ex casu, sive ex nova culpa, non sequitur magis damnum domino, cum utrobique res ipsi certo aliunde sit peritura.

Dixi 2° *absque culpa alterius*, quia si res a causa libera et injusta fuisset peritura, tunc debet restituere; nam, sicut ille contraxisset obligationem restituendi, sic iste remanet obligatus, quia prius obligationem contraxit. Ita S. Ligorius [2], Elbel, et alii.

Dixi 3° *eodem tempore et periculo,* quia multi docent, cum Salmanticensibus et Lugo, quod si, transacto periculo communi, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo pariter communi, ille teneatur ad restitutionem, quia non restituendo fuit in mora culpabili.

*Probabilius* tamen videtur non ad aliud teneri, ratione

[1] Lib. IV, num. 620. — [2] Loc. cit.

injustæ detentionis, quam ad fructus quos dominus percepturus fuisset. In tantum enim tenetur, in quantum per moram est causa injustæ damnificationis; atqui per moram fuit tantum causa cur dominus non perceperit fructus, non vero cur dominus rem amiserit : ergo, etc. Ita Croix, et hoc probabile vocat S. Ligorius [1].

*Nota.* Ex utroque jure Romano et Gallico, quomodocumque res perierit in manu possessoris malæ fidei, ad restitutionem ille tenetur, sed tamen nonnisi post sententiam judicis, quando illum ex jure naturali obligari non constat. Post vero sententiam tenetur in conscientia, quia sententia, utpote lata in pœnam delicti, justa reputari debet. Ita communiter Theologi et Jurisperiti.

QUÆRES 3. *Ad quid teneatur possessor malæ fidei, quando res habet varium pretium tempore detentionis?*

RESP. Tenetur ad summum pretium rei quod ipse dominus obtinuisset, vel obtinere potuisset, sin minus indemnis non servaretur. Unde

RESOLVES 1. Si res aliena apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem quem habebat tempore quo fuit ablata, quia res deterioratur furi.

2. Si res aliena apud furem creverit, restituenda est cum suis incrementis, quia res melioratur domino.

3. Si res aliena creverit, et postea decreverit, constetque dominum, tempore quo majoris erat pretii, illam venditurum fuisse aut consumpturum, fur ad hoc majus pretium tenetur.

4. Si fur rem consumpserit tempore minoris pretii, et dominus eodem tempore eam consumpsisset, *probabilius* non tenetur ad incrementum, modo dominus aliam eodem pretio rei consumptæ similem emere potuerit. Ratio, quia non ditescit re aliena, nec injuriam infert domino.

5. Si fur rem vendiderit vel consumpserit tempore ma-

[1] Lib. IV, num. 621.

joris pretii, tenetur illud pretium reddere, quia res, ut diximus, fructificat domino

Sed dubium est an fur teneatur reddere rem furtivam juxta majorem quem habuit valorem, si dominus eam consumpturus tempore vilioris pretii, vel servaturus fuisset usquedum decreverit ad pristinum valorem.

*Sit casus :* Furatus es pullum valentem decem aureos, qui apud te adolevit in equum robustum viginti aureorum, et deinde sensim rediit ad pristinum valorem; vel furatus es mense septembri mensuram tritici valentem tribus francis; mense januario apud te servata valet quatuor francis; mense vero junio redit ad tres francos; quæritur utrum tenearis reddere equum generosum, et quatuor francos pro mensura tritici?

Resp. Duplex est sententia. *Prima negat.* Ratio est, quia restitutio non obligat, nisi ad mensuram damni illati; sed in casu, fur non intulit damnum juxta majorem valorem quem res per transitorie obtinuit : ergo, etc.

*Prob. min.* Non intulit neque ratione *injustæ acceptionis*, quia res non tanti valebat cum fuit ablata; neque ratione *injustæ damnificationis*, quia dominus ex privatione hujus meliorationis nullum passus esset damnum, cum ea re non fuisset usurus; ac proinde reponitur in eodem statu in quo versaretur, si injuria non fuisset illata. Ita Lugo, Concina, Croix, Carrière et P. Gury [1].

*Secunda sententia affirmat.* 1° Quia res melioratur semper domino, et quanti valet quovis tempore, domino valet: ergo, cum pretium creverit in beneficium domini, malæ fidei possessor ei damnum infert dum eam non restituit secundum quod pluris valet, sua enim mora fuit causa hujus damni.

2° Injusta detentio rationem habet injustæ acceptionis : ergo possessor malæ fidei contraxit obligationem restituendi secundum summum rei valorem, non secus ac si

[1] Num. 625.

tunc eam accepisset; *subsumo:* atqui obligatio semel contracta ratione injustæ acceptionis vel detentionis, non extinguitur per fortuitum rei interitum, quia possessor malæ fidei tenetur de omni eventu, etiam fortuito, ut supra dictum est: ergo, etc. Ita S. Ligorius [1], Billuart, Antoine et alii.

Nobis tamen videtur distinguendum. In casu quo dominus tempore vilioris pretii rem fuisset consumpturus, et de quo tantum loquitur hic S. Ligorius, prima sententia videtur improbabilis, quia, sicut res servatur, ita fructificat domino, licet dominus fructum non percepturus fuisset; mora igitur furis fuit causa damni.

In casu autem quo dominus rem servaturus fuisset usque ad tempus minoris pretii, prima sententia videtur *probabilior;* nam, sicut cum res periit apud furem sine sua culpa neque alterius, et eodem tempore ac periculo, quo peritura fuisset apud dominum, perit domino, ut dictum est; ita, si res deterioratur apud furem sine sua culpa neque alterius, et eodem tempore ac eodem modo quo apud dominum fuisset deteriorata, non debet deteriorari furi, sed domino: ergo, etc.

QUÆRES 4. *An teneatur restituere qui fingens se pauperem, vel alium quam est, extorsit eleemosynam?*

RESP. AD PRIMUM *affirm.* Quia nullum jus habet ad eleemosynas, neque benefactores illi, sed vere pauperibus erogare intendunt; *probabilius* tamen sufficit ut veris pauperibus restituat. Si vero parva sit eleemosyna, qualis ostiatim recipitur, non est urgenda restitutio, ut communiter docent auctores, quia erogantes quoad eas minus sunt inviti.

RESP. AD SECUNDUM *negat.* si vere sit ipse pauper, quia sola indigentia, non probitas est ratio, saltem præsumpta, eleemosynæ.

[1] Lib. v, num. 621.

## ARTICULUS III.

### DE POSSESSORE DUBIÆ FIDEI.

*Nota.* Nihil in jure novo statutum est circa possessorem dubiæ fidei; unde quoad hoc punctum standum est juri naturali. Verum

Quæres 1. *Utrum et quid sit restituendum a possessore dubiæ fidei?*

*Nota.* Dubium potest advenire possessori, vel incipiente possessione, vel possessione jam incœpta. Unde

Resp. 1. Omnis possessor dubiæ fidei, quocumque tempore dubitare incœperit, seriam inquisitionem tenetur facere, ut dubium deponere valeat, nisi sit mere negativum, quod spernendum est, et interdum rem integram servare debet; alias se exponeret periculo rem alienam injuste possidendi.

Resp. 2. Si dubium præcesserit possessionem, hæc duo statuenda sunt. 1° Qui in dubio cœpit possidere, deturbando alium a possessione sua, tenetur rem totam restituere primo possessori, quando non constat hunc mala fide incœpisse possidere. Ratio, quia in dubio *melior est conditio possidentis.*

2° Qui rem acquirit titulo translativo, v. gr. emptionis, dubitans an venditor sit verus dominus, tenetur eam integram restituere, si, facta diligenti inquisitione, certo constet rem esse alienam [1]. Si post inquisitionem remanet dubium, tenetur restituere, non totum, ut quidam volunt, sed pro ratione dubii, domino probabili, si cognitus sit, vel pauperibus, aut in usus pios, juxta præsumptam ejus voluntatem, ut dictum est de rebus nuper amissis. Ita Lugo [2], D. Carrière [3], Croix, S. Ligorius [4], et communiter.

Resp. 3. Si dubium superveniat jam incœpta posses-

[1] Vide quæ supra diximus de emptoribus publicis ex Cod. civ. — [2] Num. 80 — [3] Num. 1100. — [4] Tract. *de Consc.*, num. 34.

sione cum bona fide, tenetur pariter sufficientem inquisitionem facere. remque integram interdum conservare. Si tamen res non est usu consumptibilis, potest ea uti, quin pretium usus teneatur solvere, nisi forte ex illo factus sit ditior, quia hucusque possessor est bonæ fidei.

Denique si post sufficientem inquisitionem moraliter non constet rem esse alienam, potest illam totam ut suam retinere et de illa disponere.

Prob. 1. Ex Div. Augustino[1], qui dicit : *Possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum ;* sed dum non certo constat rem esse alienam, possessor bonæ fidei ignorat se possidere alienum : ergo, etc.

Prob. 2. Possessio inchoata cum bona fide fundat *de se* præsumptionem certam de justitia possessionis quæ a mera probabilitate superari non potest; atqui, ex regula juris : *In pari causa*, vel *in dubio, melior est conditio possidentis :* ergo, etc.

Prob. 3. Possessio definitur a Juristis : *Jus insistendi in re non prohibita possideri :* ergo donec dominium rei dubium est, possessor retinet jus insistendi.

Prob. 4. Ille jure retinet rem ut suam, quam jure talem existimat esse, et non alienam ; atqui possessor bonæ fidei, ubi dubium de dominio rei superveniens explodere non valet, jure existimat rem esse suam, et non alienam : ergo, etc.

*Prob. min.* Tum quia homines probi non solent sibi res alienas vindicare cum alterius injuria; tum quia homines rerum avidi haud solent suas apud alios relinquere; tum quia omnia tribunalia, tam ecclesiastica quam civilia, rem in dubio totam adjudicant possidenti : ergo, etc. Ita S. Ligorius[2], Lugo, Lacroix, et communiter contra plures qui volunt rem pro rata dubii esse dividendam.

1 Lib. *de Fide et oper.*, cap. 7, relato in canone *Si vero*, caus. 34, quæst. 4.
2 Lib. I, num. 34.

QUÆRES 2. *Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei qui neglexit inquirere, si postea rei dominus compareat?*

RESP. Cum ab initio dubii sit in culpa per omissionem inquisitionis, generatim habendus est ut possessor malæ fidei, et ideo tenetur rem aut ejus æquivalentem restituere, et omnia damna resarcire. Excipe, cum P. Gury, casum quo bona fide incœperit possessionem, et deinde neglexerit inquirere, putans dominum difficilius inveniri posse, quia tunc possessori bonæ fidei æquiparandus est.

*Ex dictis, resolves* 1. Quando nullus eorum de quibus dubitatur an sint domini, rem *facto* possidet, res est inter eos dividenda pro ratione dubii.

2. Si hæreditatem acceperis a possessore bonæ fidei, deinde dubites an antecessor tuus legitimo titulo possederit, potes, re perpensa, et perseverante dubio, retinere; nam, sicut axioma : *In dubio melior est conditio possidentis,* favet antecessori, sic et tibi successori, qui unicam cum illo personam ex jure constituis.

3. In dubio an aliquis possessionem incœperit bona fide, præsumendum est in favorem possessoris, quia debita non supponuntur, sed probantur; e converso, si quis actu reperiatur in mala fide, et dubium sit an incœperit cum hac fide, generatim habendus est ut possessor malæ fidei, quia, ex regula juris 8, in 6° : *Semel malus, semper præsumitur malus.*

4. Dubitans an debeat restituere plus an minus, tenetur tantum ad minus, tum quia pro illo stat possessio, tum quia in dubiis minus est amplectendum, ex utroque jure. Ita Croix [1], Sanch. [2], Lugo [3], et communiter.

[1] Num. 568. — [2] Num. 36. — [3] Dist. XVIII, 6.

## ARTICULUS IV.

### DE INJUSTO DAMNIFICATORE.

*Nota* 1. Quamvis omnis injustus acceptor vel detentor rei alienæ sit damnificator, non tamen omnis damnificator est injustus rei alienæ detentor vel acceptor, siquidem damnificator non accipit, aut retinet, sed destruit rem alienam, nec inde ditior evadit; unde ex suis bonis damnum compensare debet.

*Nota* 2. Ut actio damnificans restitutionis obligationem induat, de jure naturali tres requiruntur conditiones, nempe: ut sit *injusta*, ut sit *causa damni efficax*, id est, *per se* et vi propria damnum producens, et *theologice culpabilis*, id est, ut sit injusta *vere, efficaciter* et *formaliter*, ut ubi de furto diximus [1].

Hinc, qui damnum minime prævidit nec intendit, certo ad nihil tenetur, etsi operam daret rei illicitæ, ut fur qui penitus fortuito domum incenderet alienam, aut venator qui, venando in loco vel tempore prohibito, hominem occideret, putans invincibiliter occidere feram. Ratio præcipua est, quia restitutio propter damnum est pœna inflicta principaliter propter injuriam, et secundarie tantum ob damnum illatum; sed ubi non est injuria, pœna infligi non debet: ergo, etc. Tenetur tamen post sententiam judicis, modo nitatur in vera facti præsumptione, ut diximus loco citato.

Quæres 1. *An teneatur ad restitutionem qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire posset?*

Resp. *affirmat.* Ratio, quia quisque tenetur ex justitia præcavere ne actio sua noceat proximo: ergo etiam tenetur impedire, quando *rationabiliter* potest impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret; secus, actio

[1] Diss. I, quæst. 2.

evadit injuriosa proximo. Ita S. Ligorius [1] P. Gury [2] et communiter.

Dixi *rationabiliter*, quia si nonnisi cum suo æquali vel majori damno illud damnum impedire non posset, poterit se habere permissive, quia cum non peccaverit ponendo causam, non tanta debet esse ejus obligatio, quanta esset si, etc.

Hinc 1° qui sine culpa gravi ignem accenderit in domo aliena, tenetur ex justitia impedire, si potest sine magno incommodo, ne ex sua actione alter lædatur; 2° pharmacopola qui ex errore venenum pro medicamento vendiderit, ex justitia emptorem monere debet; 3° *item*, qui ex errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea ex justitia, cognito errore, illum corrigere.

Quæres 2. *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem, sed jam retractata, quando damnum infertur?*

Resp. *affirmat.* Ratio, quia retractatio quæ coram Deo tollit peccatum, non facit quominus ille qui posuit causam damni pergat efficaciter in illud damnum. Sic v. gr. si alteri venenum propinaveris, et postea ejus effectum impedire non potes, damnum ex homicidio reparare teneberis. Ita communiter.

Quæres 3. *An teneatur reparare damnum, qui ponit actionem ex qua, præter ejus intentionem et per accidens, damnum alteri est illatum?*

*Nota.* Agens vacare potest operi licito, vel simpliciter illicito, vel illicito simul et injusto.

Resp. 1. Vacans operi licito, quando, præter intentionem, ex errore invincibili infert damnum alteri, ad nihil tenetur, quia nulla est culpa theologica, ut patet ex dictis.

Resp. 2. Vacans operi illicito, vel etiam injusto, ad nihil pariter tenetur si, data prudenti cautela, *prudenter* sibi persuadeat damnum minime secuturum, et si de facto *per*

[1] Num. 564. — [2] Num. 636.

*accidens* sequatur. Ratio est, quia, licet causa sit voluntaria, non est tamen voluntaria ut causa damni quod non potuit humano modo prævidere.

Hinc, qui in domo aliena nocte deambulans ad fornicandum, pedibus in vas pretiosum offendit, ad restitutionem non tenetur. *Item*, qui in venatione illicita occidit hominem, quem invincibiliter putat esse feram, non tenetur reparare de damno ex homicidio secuto. Ita communiter Vogler [1], Lugo, Lessius, etc., contra paucos.

Dixi *prudenter*, quia, etiamsi agens suspiceretur damnum eventurum, non ut probabile, sed tantum ut possibile, adhuc non teneretur, siquidem in humanis non habetur ratio meræ possibilitatis, alioquin omnes fere hominum actiones essent vitandæ. Sic Lyonnet.

QUÆRES 4. *An teneatur reparare damnum quod alicui ex errore intulit, dum alteri nocere intenderet, v. gr. si intendat domum Caii amici, putans esse domum Titii inimici ?*

RESP. *Prima sententia affirmat.* Ratio, quia ille tenetur de damno, qui posuit omnes conditiones requisitas ad restitutionem urgendam, scilicet, causa damni efficax, culpa theologica, et actio injusta ; atqui, etc. Etenim actio est causa damni *efficax*, ut patet ; culpa est *theologica*, siquidem scienter et voluntarie rem destruxit alienam et voluntas totam apprehendit malitiam actus. Actio est *injusta*, etiam relative ad Caium cujus damnum non intendebat ; nam rem talem, animo determinatam destruere intendebat : ergo et injuriam quoque inferre domino rei, qualiscumque ille sit. Error enim personæ non est *substantialis*, sed quid mere *accidentale* : ergo, etc. Præterea, qui scienter, libere, necnon injuste rem alienam destruit, suscipit onus eamdem reparandi ; atqui, etc. : ergo. Ita communiter Vogler [2], Bonac., Sanch., Busemb., P. Gury, etc.

*Secunda sententia negat* eum teneri ad restitutionem, modo is non intenderit, ne confuse quidem, damnum in-

[1] Num. 170. — [2] Num. 202.

ferre alteri quam Titio; nempe si non fuerit sic animo, saltem implicite, comparatus, quod etiamsi scivisset domum esse Caii, nihilominus illam incendisset, quia tunc censetur damnum intulisse Caio, non ut Caio, sed ut domino domus. Tunc enim teneretur damnum reparare, ut patet.

Ratio hujus sententiæ est, quia in materia damnificationis respicitur principaliter injuria formalis et effectiva, et secundario tantum damnum illatum; igitur quando non est injuria formalis, nec est obligatio reparationis; nam injuria materialis non sufficit. Jam vero in casu nulla est injuria formalis, cum enim intendo damnum inferre Titio, animo illi tantum injuriam irrogandi, quocumque alio excluso, si per errorem invincibilem lædam Caium, injuria respectu Caii non est formalis, sed tantum materialis, cum mihi non fuerit animus eum lædendi, nec in particulari, nec in generali. Ergo, etc.

Dices 1. Ad obligationem restitutionis sufficit intendere aliquam actionem injustam, et eam exequi; atqui in casu intenditur actio, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam ad onus restitutionis ratione damnificationis, non sufficit sola actio materialiter damnificativa, sed requiritur insuper actio formaliter et voluntarie injuriosa illi qui læditur: ergo, etc.

Dices 2. Qui rem destruit, suscipit onus eamdem reparandi, cujuscumque illa sit, quia quæstio non est *de nomine*, sed *de re*: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Ad onus enim reparationis pro damnificatione non sufficit rem destruere, sed requiritur insuper illam destruere cum injuria formali illi qui læditur, et ideo quæstio magis est de *nomine*, seu de persona, quam *de re*; injuria enim non respicit rem, sed personam.

Inst. Error personæ non impedit malitiam actus; cum ergo intendis talem rem determinatam destruere, injuriam infers Caio, domino rei: ergo, etc.

Resp *Dist.* Res est in animo meo determinata quatenus est Caii, *nego;* quatenus est Titii, *conc.;* et ideo injuria formalis est in Titium, sed sine damno, et injuria materialis tantum in Caium, quia non fuit mihi animus eum lædendi; secus enim, qui intenderet vellicare Petrum inimicum suum, si per errorem daret alapam Paulo, amico suo, illi injuriam formalem inferret, siquidem Paulum, ut hominem intendit percutere, quod nemo dixit unquam. Ita S. Ligorius [1], Sporer, Lugo, Croix, etc. Hæc *secunda sententia* nobis videtur probabilior, sed prima vere est adhuc probabilis, et ideo obligatio restitutionis non est certa.

Imo, si animo vindictæ impulsus, quis intendat talem rem inimici sui destruere, et aliam quam non intendit, sed ad eumdem inimicum pertinentem, destruat, stando in rigore principiorum, adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum præviderit. Dici enim potest mere per accidens illud evenisse, nec prava intentione ei nocendi, facit ut res prorsus ignorata damnificaretur. Ita P. Gury [2].

Quæres 5. *Ad quid teneatur qui existimans ex errore invincibili damnum a se illatum multo minus esse ac revera est, cum postea verum pretium cognoscit, v. gr. qui in mare projecerit gemmam, putans valere decem aureis, si illa revera valeat centum?*

Resp. *Prima sententia* docet illum teneri ad omne damnum illatum. Ratio prima, quia justitia respicit medium rei : ergo obligat ut restituatur quantum a parte rei nocitum est, sive illud fuerit cognitum, sive non. Ratio secunda, quia inferens damnum, v. gr. projiciens gemmam, voluit voluntate executiva projicere hoc quod habebat in manu, quidquid illud esset : ergo tenetur ad totum pretium restituere, quidquid illud sit. Ita Lugo, Dian., Pontius, etc.

[1] Num. 629. — [2] Num. 647.

*Secunda sententia probabilior* dicit eum teneri tantum ad restituendum pro rata damni cogniti, et consequenter in casu projiciens gemmam in mare, tenetur tantum restituere decem aureos. Ratio, quia non censetur voluntarium damnum illud, quod non est cognitum : ubi vero non est voluntarium, non est restitutionis obligatio; nam ad restitutionem ratione damnificationis, requiritur culpa theologica, ut dictum est supra, ita ut tanto plus vel minus sit peccatum, quanto plus vel minus æstimatur damnum; juxta autem culpam correspondere debet obligatio restitutionis: ergo ubi nulla est culpa, nulla est obligatio restituendi.

Ad *primam rationem* sententiæ oppositæ,

Resp. *Nego conseq.* Justitia enim dicitur respicere medium rei, quia intendit æqualitatem inter jura a parte rei existentia, ita ut quando agitur de restitutione propter furtum, seu ratione rei acceptæ et injuste detentæ, jus læsum est adamussim restituendum ut servetur æqualitas; jam vero quando agitur de damnificatione, debes cognoscere illud jus, ut dicaris formaliter læsisse et tenearis reparare ; alioquin, qui nihil juris alieni cognovisset, adhuc teneretur reparare, quod nemo dicit : ergo, etc.

Ad *secundam rationem* sententiæ oppositæ.

Resp. Voluit projicere in mare quod in manu tenebat, secundum illud quod cognoscebat, *conc.;* secundum illud quod non cognoscebat, *nego.* Aliunde, quamvis per errorem invincibilem existimasset gemmam esse lapidem vilem, adhuc teneretur totum restituere, quod nemo dicet: ergo, etc. Ita S. Ligor. [1], Croix [2], Elbel [3], Vogler [4], D. Carrière [5], P. Gury [6] etc.

*Nota.* Ut damnificans teneatur tantum pro rata damni cogniti, intelligitur modo invincibiliter credat rem non pluris valere, et ne in confuso quidem dubitet de ejus

[1] Num. 613. — [2] Num. 194. — [3] Num. 90. — [4] Num. 189. — [5] Num. 1151. — [6] Num. 641.

reali valore; nam obligatur ad totum, si aliquo modo, saltem in confuso, totum damnum animadvertat, ut cæterum ordinarie accidit.

QUÆRES 6. *An dominus teneatur reparere damnum per ejus animalia proximo illatum?*

RESP. Vel est culpa theologica, vel non. *Si prius*, id est, si culpabiliter in animalia invigilare neglexerit, tenetur totum damnum restituere. Quisquis enim de jure naturali tenetur animalia sua diligenter custodire, ne aliis damnum inferant. *Si posterius*, id est, si non est culpa theologica, vel si sit levis, non tenetur ante sententiam judicis, ut patet ex dictis; bene vero tenetur post judicis sententiam... Ita omnes.

QUÆRES 7. *An teneatur ad restitutionem ille qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si prævidierit pravi exempli efficaciam?*

RESP. *Prima sententia affirmat*, quia præbens malum exemplum cum prævisione contagionis, est vere et proprie causa efficax damni. Ita Lacroix, Billuart, Antoine, etc.

*Secunda sententia probabilior negat.* Ratio, quia exemplum non est causa positiva damni, sed mera occasio; peccat ergo tantum contra charitatem, et quidem graviter, si materia est gravis, Ita S. Ligorius, Salmanticenses, Sanchez, Gury, etc.

QUÆRES. 8. *An teneatur ad restitutionem qui dubitat an aliquem injuste damnificaverit?*

*Nota.* Aliquis dubitare potest non solum utrum rem alienam injuste possideat, sed etiam utrum consilio vel mandato suo, sive consensu, recursu, palpatione, taciturnitate, etc., fuerit causa damni aut mortis alterius, et ideo hi casus vel similes sunt frequentes.

RESP. Distinguendum est: vel dubitatur an causa damni sit posita, et an damnum sit illatum; vel dubitatur de influxu talis causæ in damnum quod certo evenit. *Si prius*,

ad nullam restitutionem consulens tenetur, modo facta diligenti inquisitione dubium perseveret. Ratio est, quia ex dubio circa existentiam causæ damnificativæ, vel circa factum damni, non potest deduci obligatio certa damnum illud reparandi. Constat tum ex hoc principio : *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet ;* tum ex hoc alio principio : *Factum non præsumitur, sed probari debet.* Ita communiter apud S. Ligorium [1].

*Si posterius,* id est, si constat causam fuisse positivam, sed dubitatur de ejus influxu in damnum quod certe evenit, duplex est sententia.

*Prima* sententia *satis probabilis* dicit damnificantem teneri ad restitutionem, saltem pro rata dubii.

*Ratio prima.* In tali dubio, præsumptio damni stat contra dubitantem, ita ut ipsi incumbat probare se illud non causasse : ergo si illud non probat, tenetur ad illius reparationem, saltem pro parte. *Prob. ant.* Ubi constat de delicto, præsumptio stat contra delinquentem, ita ut ipsi incumbat probare nullum ex inde provenisse damnum ex eis quæ ex tali delicto provenire solent ; quia, secundum omnia jura, in causa dubia magis est favendum innocenti quam reo ; atqui constat de delicto, nempe positam esse injuste causam de se aptam ad damnum inferendum : ergo, etc. Ita Billuart.

*Ratio secunda.* Qui dubitat an damnum causaverit, dubitat consequenter an teneatur restituere, sicut qui certus est de damno a se illato, certus quoque est de obligatione restituendi ; atqui, hoc ipso quo dubitat se teneri, restituere certo tenetur ; quia si non restituat, se exponit manifesto periculo committendi injustitiam, et hic currit hæc regula : *In dubiis pars tutior est eligenda :* ergo, etc. Ita Billuart, Lugo, Sanch., etc., apud S. Ligorium [2].

*Secunda* sententia, nobis *probabilior,* negat absolute

[1] Num. 562. — [2] Num. 562.

ım teneri ad restitutionem, modo tamen causa de se ne-
ssario non causet damnum. Tota ratio hujus sententiæ
t regula generalis supra posita, nempe, quod non est
ıponenda obligatio restitutionis nisi de ea certo constet.
ıtur nemo tenetur ad restitutionem, nisi certe probetur
ıod ipse fuerit causa damni. Jam vero, ex hoc quod
erit causa de se apta ad damnificandum, non consequi-
r revera damnum causasse, quod certe requiritur ut
se teneatur ad restitutionem. Ad obligationem enim
stitutionis, non sufficit causa de se apta ad damnum,
d insuper requiritur ut revera influat.

*Confirmatur* 1. Ex secundo principio supra posito,
ımpe quod *factum non præsumitur, sed probari debet;*
m vero, quando dubitatur de influxu actionis in dam-
ım quod certe evenit, dubium est facti, siquidem dubi-
tur an revera causa influxerit in damnum. Et quia, ut
m diximus, ad obligationem restitutionis, non sufficit
posita sit causa de se apta ad damnum, sed insuper
quiritur ut *de facto* damnum causaverit, consequens
t quod influxus actionis non præsumitur, sed probari
ebet. Nec obstat dicere quod, ubi constat de delicto, præ-
ımptio stat contra delinquentem; nam accusator semper
netur probare accusationem.

*Confirmatur* 2. Nemo suis bonis spoliari debet, nisi con-
et de debito, juxta illud axioma: *In dubio melior est*
*nditio possidentis*, quod in materia justitiæ certum esse
nnes docent; atqui, ubi dubium est de influxu actionis,
ıriter dubium est de debito; siquidem qui posuit actio-
em, non tenetur de damno resarciendo, nisi illud cau-
verit. Ergo, etc. Neque dico illud axioma non valere
si in præsumptione proprietatis relative ad possidentem;
rtius etenim valet ubi possessio et proprietas mea cer-
ssimæ sunt, et dubium est utrum debeam me bonis meis
oliari.

Dixi *modo causa de se necessario non causet damnum,*

secus enim, præsumptio stat contra eum qui causam po suit. Sic, si quis infligat alteri vulnus de se mortiferum, s alter postea decedit, præsumitur ex illa decessisse; unde conferens vulnus, vel consulens homicidium ad se liberan dum, probare deberet ex alia causa mortem aut aliud damnum provenire. Ratio, quia cum vulnus lethale certe infixum de se necessario sit causa mortis, influxus præ sumitur; et si vulneratus non decesserit ex illo vulnere, hoc est per accidens, quod reo incumbit probandum; interdum tenetur ad restitutionem damnorum.

*Nota.* Certum est quod, si tuo pravo consilio revera aliquem movisti ad damnum inferendum, teneris ad restitutionem, etiamsi certe alter non defuisset, qui idem illi consulisset; quia, eo quod alter damnum potuisset inferre, non sequitur quod ipse non intuleris. Ita communiter. *Item*, qui sciens causam damni fuisse positam, nihilominus alteram causam ponit, prævidens dubium inde oriturum an prima vel sua fuerit vera causa damni, tenetur reparare. Ita S. Ligor. [1].

Quæres 9. *An tenearis reparare damnum alteri obveniens occasione injustæ actionis tuæ, si nempe illi crimen imputetur, quod tu commisisti?*

Resp. Ponendo actionem potest prævidere vel non prævidere damnum illi eventurum; item non tantum prævidere, sed etiam intendere. Unde 1° *certe* ad nihil teneris, si damnum illud eveniens non prævideris. Patet ex dictis.

2° *Probabilius* etiam non teneris, licet damnum hoc prævideris. Ratio, quia actio tua posita cum sola damni prævisione, non est illius causa *per se*, sed tantum *per accidens*. Prævisio enim non mutat naturam actionis tuæ. Solus error aliorum est vera causa damni, et licet error prævideatur, non teneris ex justitia illum impedire. Ex-

[1] Num. 658.

cipe tamen casum in quo actio illa exterior et ejus circumstantiæ fuerint tales, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera detur connexio, v. gr. si occidas hominem indutus vestibus vel armis Pauli, vel in domo. aut agro, aut cum famulis Pauli, nisi in hujusmodi actionibus utaris jure tuo, quia tunc nemini infertur injuria, quamvis peccare possis contra charitatem, si parum intersit jure tuo uti. Ita S. Ligorius[1], Lessius, Lacroix, Sanchez, P. Gury, etc.

3° Etiam *probabilius* non teneris, licet hoc damnum prævideris vel intenderis. Ratio eadem est ac supra; etenim semper hæc actio est tantum causa damni *per accidens*, non *per se*, quia semper hac actio ex se vel ex suis circumstantiis non est proxime causans imputationem, prava intentio non efficit ut injustum sit illud opus quod ex se externe, graviterque non est injustum respectu tertii.

DICES: Qui occidit hominem, ut noceat aliis quibus ille, licet ex liberalitate, benefaciebat, tenetur eis damnum reparare... ergo pariter tenetur ille qui ex industria occidit hominem, ut alteri homicidium imputetur.

RESP. *Nego paritatem et conseq.* Disparitas est in eo quod ibi damnum illorum est necessario et proxime conjunctum cum morte benafactoris; at in casu præsenti, damnum ejus cui imputatur homicidium non est necessario *per se* et immediate conjunctum cum morte occisi, sed remote et per accidens, cum pendeat ex errore aliorum. Ergo homicidium est tantum occasio imputationis, non vero causa, quia non influit proxime et directe. Ita S. Ligor.[2], Lessius, Sanch., Vogler, etc., contra plures, qui dicunt quod tua actio, licet physice remota, evadit tamen causa moralis damni, propter tuam pravam intentionem nocendi.

QUÆRES 10. *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor Officiorum?*

[1] Num. 636. — [2] Num. 636.

*Nota: Quatuor* potissimum *conditiones* requiruntur, ut quis dignus sit Beneficio vel Officio, ad quas distributor debet attendere. *Prima* est capacitas juridica vel præsentia eorum quæ lex exigit, v. gr. ætas, legitimi natales, etc; *secunda,* probitas morum; *tertia,* scientia competens ad ministerium vel Officium ad quod assumendus est, quia Beneficium datur propter Officium; *quarta,* prudentia et industria agendorum. Vogler [1].

Resp. 1. Ad nihil tenetur erga dignum prætermissum, *secluso concursu,* qui nullius jus strictum violat. Ita communiter.

Dixi *secluso concursu,* quia, quando Beneficia conferuntur per concursum, eligens indignum, digno prætermisso, vel etiam simpliciter dignum, omisso digniore, tenetur huic damna resarcire. Ratio, quia, ex ipso quod instituitur concursus, juxta communem æstimationem intervenit pactum implicitum, vel etiam forte explicitum, inter distributorem Beneficii et oppositores, ut dignior præferatur. Ergo, ex eo quod dignior admittitur ad concursum, acquirit jus ad rem, nisi excessus dignitatis sit parvus. Ita S. Ligor. [2], Lessius, Lugo, Croix, et alii communiter.

Resp. 2. Iniquus distributor tenetur certo, ratione electionis *indigni,* reparare omnia damna vel detrimenta ex hoc provenientia Ecclesiæ vel Reipublicæ, modo saltem illa rationabiliter potuerit prævidere. Ratio, quia distributor, ex officio suo, vel ex quasi-contractu strictæ justitiæ inter societatem et electorem, constituere debet bonum, idoneum et fidelem ministrum, et indignos repellere. Præterea, cum indignus et ineptus sæpissime labore suo nihil aut perperam mereatur, elector debet Ecclesiæ vel Reipublicæ stipendium quod indigno datur refundere, saltem in defectum promoti, qui, ut prima et principalis causa, tenetur resarcire damna ex sua malitia vel imperitia secuta. Ita Vogler [3], et communiter.

[1] Num. 225. — [2] Lib. v, num. 109. — [3] Num. 241.

Resp. 3. *Probabilius* autem ad nihil tenetur ratione electionis minus *digni*, etsi graviter peccet. Ratio, quia etsi jure naturali electores teneantur præponere magis dignos, non censetur tamen intervenisse inter societatem et electores contractus, vi cujus isti obligarentur tam rigoroso titulo, nempe *justitiæ commutativæ* ad digniores eligendos. Hoc patet, tum quia hæc sententia longe communior est inter Theologos, tum ex praxi, qua nunquam electores qui minus dignum præponunt, ad restitutionem coguntur. Ita Vogler, Lugo, Lessius, Rebell., Layman, etc.

Quæres 11. *An teneatur ad restitutionem qui alium impedivit a consecutione alicujus boni vel Beneficii?*

Resp. *Distinguendo.* Vel proximus habet jus strictum ad rem consequendam, v. gr. per concursum; vel non habet.

*Si prius*, certum est eum qui impediret v. gr. venditionem aut alium quemvis titulum per quem datur actio ad rem petendam, etiam solum suadendo, sine vi et fraude, teneri ad restitutionem, non quidem quanti illa res valebat, sed juxta æstimationem spei, quam ille ad rem consequendam habebat. Ita omnes.

*Si posterius*, id est, si proximus non habet jus strictum ad rem obtinendam, sed illa ex libera voluntate benefactoris sit conferenda, iterum oportet distinguere: vel proximum impedit *mediis injustis*, v. gr. vi, fraude, metu, etc.; vel *mediis in se justis*. Si *injustis*, impeditor tenetur ad compensationem damni arbitrio viri prudentis, juxta certitudinem vel probabilitatem qua alter tale bonum alioqui assecutus fuisse existimaretur, modo tamen eo sit dignus; secus, ad nihil teneretur. Ita *communiter*. Si proximum impediret *mediis justis*, v. gr. suasione, precibus, v. gr. si avertat testatorem a constituendo Paulo hærede, ut alius ejus loco constituatur, vel ad lacerandum testamentum jam in favorem Pauli conditum, ut ipse, vel amicus, vel consanguineus, hæres instituatur, non tenetur ad ullam restitutionem, saltem seclusa

mala intentione. Ratio, quia nullum jus alterius tunc violatur, *nec in se*, cum alter nullum jus habeat ad rem; *nec in mediis*, cum ex hypothesi non sunt injusti. Ita communiter.

Dixi *saltem seclusa mala intentione*, quia si quis impedit alium a consecutione boni ex odio, quamvis seclusis mediis injustis, plures docent *probabiliter* eum teneri ad restitutionem. Ratio, quia animus injustus, quando conjungitur cum opere externo, efficit ut idem opus quod sine tali animo injustum non erat, injustum cum illo reddatur.

Sed sententia *communior et probabilior* negat eum teneri ad ullam restitutionem. Ratio, quia nemo tenetur ad restitutionem damni, nisi damnum sit injustum, et ipse sit causa efficax illius damni et positive in illud influat; atqui in casu damnum non est injustum, cum alter non habeat jus ad rem; falso enim quis dicitur pati injustum damnum, qui privatur re ad quam nullum jus habet. Prava autem intentio non sufficit ad damnum injustum, sed requiritur actio externa, quæ non solum sit occasio, ut esset in præsenti casu, sed etiam sit vera et efficax causa damni injusti. Impediens igitur ex animo injusto, peccat quidem graviter contra charitatem, sed tantum affective contra justitiam, non vero effective, et ideo non tenetur ad restitutionem. Ita S. Ligorius [1] et alii *communius*.

## ARTICULUS V

### DE IIS QUI DAMNO ALTERIUS COOPERATI SUNT.

Quæres 1. *Quid requiratur ut cooperans teneatur ad restitutionem?*

Resp. Requiritur ut sua cooperatione sit causa injusta et efficax, sive physica, sive moralis, damni.

Quæres 2. *Quot modis possit aliquis efficaciter cooperari damno alterius?*

[1] Num. 581.

Resp. Novem modis, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores sunt negativi, qui his versibus comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

De his agemus totidem paragraphis, quibus adjungemus alium, in quo expendemus varias quæstiones ad præsentem materiam spectantes.

## § 1.

### De mandante.

Quæres 1. *Quid intelligatur nomine mandantis?*

Resp. Intelligitur is qui suo mandato vere alium movet ad damnificandum alteri; vel expresse, ut si dicas famulo: *Occide hunc;* vel implicite, ut si dicas: *Vindictam ex tali opto;* aut: *Vellem ut tali inferretur tale damnum;* qua ratione occisio S. Thomæ Cantuarensis imputatur Henrico III, regi Angliæ.

Quæres 2. *Quid teneatur restituere mandans?*

Resp. Non tantum tenetur ad damnum resarciendum quod de facto jussit, sed etiam illud quod, attentis circumstantiis, humano modo prævidere poterat ex mandato secuturum; v. gr. si famulo iracundo præcipisset ut aliquem fustibus graviter exciperet, teneretur etiam de morte, licet contra ejus intentionem, et forte contra prohibitionem evenerit, ait Innocent. IV [1], quia sua culpa mandans dedit occasionem tali damno.

Dixi *ex mandato;* nam si mandatarius ex malitia mandati limites excedat, ut si jussus incendere domum Petri, ipsum occidat, non tenetur de damno secuto.

Quæres 3. *Quid, si mandans revocaverit mandatum ante executionem?*

[1] Cap. ult. *de Homicid.*, in 6.

Resp. Si revocaverit, idque mandatario innotuerit, non tenetur restituere, quamvis effectu secuto; quia tunc mandatarius, non vi mandati, sed propria malitia damnum intulisse censetur.

Dixi *idque mandatario innotuerit;* quia si mandati revocatio ante executionem mandatario non innotuerit (defectu nuntii v. gr.), mandans semper tenetur restituere, quia tunc ex vi mandati damnum illatum est.

Quæres 4. *An qui ratum habet damnum suo nomine absque mandato factum, teneatur restituere?*

Resp. *negative.* Quia talis nullatenus est causa damni; nam id quod posterius est tempore, non potest esse causa efficiens effectus præcedentis; atqui ratihabitio est posterior tempore : ergo, etc.

Objicies : Hanc regulam juris [1]: *Ratihabitio retrahitur, et mandato sine dubio comparatur :* ergo, etc.

Resp. *Dist. reg.* Comparatur quoad contractus qui ratihabitionem illius, cujus nomine sunt celebrati, confirmantur; item, quoad malitiam peccati, judicialemque punitionem, *conc.;* quoad obligationem restituendi, *nego,* quia non est causa damni.

Quæres 5. *An mandans teneatur reparare damnum quod mandatarius ex errore invincibili intulit?*

Resp. *negative.* Quia damnum non ex injusta motione, sed occasione injustæ motionis sequitur. Ita Vogler et communiter contra Collet et quosdam alios.

## § II.

### De consulente.

Quæres 1. *Quis intelligatur nomine consulentis?*

Resp. Intelligitur is qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viæ nocendi, induxit alium ad damnum inferendum.

[1] Reg. 10 juris, in 6.

QUÆRES 2. *An et quomodo consulens teneatur ad restitutionem?*

RESP. Tenetur ad restitutionem juxta naturam damni quod, vi consilii sui, proxime illatum est. Ille enim tenetur de damno resarciendo, qui illius est causa injusta; atqui consulens est causa injusta damni proximo illati: ergo tenetur, etc. Est *causa* quidem, cum ex consilii ipsius impulsu damnum illatum fuerit; *injusta* autem, cum sic violetur jus proximi, quæ violatio non potest reparari, nisi per proportionatam restitutionem. Ergo, etc. Ita omnes. Sed

QUÆRES 3. *An sit obligatio restituendi, revocato ante damnum illatum consilio, secuto tamen effectu?*

RESP. *cum distinctione.* Vel consilium consistebat in falsa doctrina, v. gr. quod talis contractus sit licitus, qui tamen est usurarius, aut in promissis, blanditiis et precibus; vel consistebat in ostensione utilitatis, honoris, delectationis inde percipiendæ, in ostensione modi facile nocendi, etc.

*Si primum,* ad nihil tenetur consulens, etiam effectu secuto; quia per revocationem talis consilii abstulit omnem nocendi rationem a se propositam, omnemque motionem quam impresserat.

*Si secundum,* tenetur adhuc restituere damnum post revocationem illatum; quia, non obstante consilii revocatione, totum motivum totaque causa nocendi impressa subsistit; unde non tam consilium revocavit, quam revocare conatus sit.

DICES: Mandans, revocato mandato, non tenetur ad restitutionem, licet postea damnum sequatur; ergo a pari.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod mandatarius ex se non agat, sed mandantis nomine, id est, *ut ipsi obtemperet;* porro, revocato mandato, non amplius agit nomine mandantis, sed ex propria malitia; e contra, qui recipit consilium non agit consulentis nomine, sed suo, id est, *ut rebus*

*suis consulat;* unde non statim cessat ratio agendi ipsi impressa, quantumvis enim consulens suadeat, non persuadet. *Probabiliter* excipiunt Concina, Salmant., Navar., et alii, casum quo in retractatione adhibita fuerint nova motiva æque efficacia, maxime motiva salutis æternæ, quia tum damnum jam non veniret ex vi consilii, sed ex malitia executoris.

Quæres 4. *An qui malum consilium bona fide dedit, teneatur restituere?*

Resp. *cum dist.* Vel consulens ex officio aut statu est obligatus ad dandum consilium, quales sunt advocati, medici, Confessarii, aut qui pro idoneis consiliariis se gerunt, etc.; vel ad id non est obligatus, quales sunt idiotæ, mulieres, etc.

*Si primum*, tenentur restituere, ex ignorantia graviter culpabili, si stipendium acceperint; nec ignorantia eos excusat, quia tenentur scire ea quæ sunt officii sui : ergo sunt causa damni ex suo consilio secuti, ut colligitur a jure [1], tum erga petentem consilium, tum erga illum contra quem datur.

*Si secundum*, non tenetur restituere, nisi consilium fuerit dolosum, juxta hanc regulam juris [2]: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Hinc, sequens tale consilium, suæ imprudentiæ, non consilio, damnum illatum imputare debet.

*Nota* 1. Consulens qui etiam bona fide præbuit consilium damnosum, cognita veritate, tenetur ex justitia illud revocare, si absque magno suo damno facere potest, quia qui posuit causam alteri damnificativam, tenetur eam auferre quando rationabiliter potest.

*Nota* 2. Consulens non tenetur ad restitutionem, si executor *de se* et *eodem modo* erat determinatus ad damnificationem; quia etsi tunc sit injuriosus, non est tamen causa movens damni.

[1] Cap. ultim. *de Injuriis.* — [2] Regul. 62, *de Regul. juris*, in 6.

*Nota* 3. Si duo vel plures sunt efficaciter consulentes, omnes tenentur in solidum, singuli namque sunt causæ principaliter moventes. Ita omnes.

QUÆRES 5. *An teneatur ad restitutionem qui minus malum consulit ad avertendum majus?*

RESP. *Disting.* Vel consulit minus malum adversus eamdem personam, vel adversus aliam.

*Si primum,* non tenetur ad restitutionem, siquidem damnificatus non esset rationabiliter invitus, consilium enim istud ei prodest, nedum noceat.

*Si secundum,* iterum distinguo. Aut consulens indicat personam determinatam in individuo, vel saltem specifice, v. gr. divites, cui damnum inferri potest; aut non. *Si prius,* tenetur de damno, quia tunc persona designata est rationabiliter invita, quisque enim jus strictum habet ne ponatur actus sibi damnificativus in lucrum alterius.

*Si posterius,* id est si non indicat quemquam nec in individuo, nec in genere, sed ejus precibus et animadversionibus damnificator parcat Petro et damnum inferat Paulo, vel pauperibus parcat ut furetur a divitibus, non tenetur de damno, etsi illud prævideat, quia non est causa efficax neque directa damni, sed tantum occasionalis. Præterea, si Petrus adesset, illud agere posset: ergo et alter nomine Petri.

## § III.

### De consentiente.

QUÆRES 1. *Quis intelligatur nomine consentientis?*

RESP. Is qui approbatione, favore, suffragio, efficaciter movet ad inferendum alicui damnum.

QUÆRES 2. *Quandonam consensus sit causa efficax damni?*

RESP. Cum consentiens, tenetur ex officio non consentire, et impedire potest. Hinc tenentur ad restitutionem

1° Principum consiliarii, qui pro bello injusto suffragantur.

2° Magistratus, qui annonas carius justo vendi permittunt.

3° Canonicus, qui in electionem indigni consentit; item judex qui in damnosam sententiam suffragium fert. Sed

Quæres 3. *An judex qui damnationi innocentis subscribit, completo jam requisito suffragiorum numero, teneatur ad restitutionem?*

*Nota* 1° *Certum est* consentientes omnes ad restitutionem teneri, si de *condicto* suffragia dederint, cum inita conspiratione sit unica actio moralis.

2° *Certum est* etiam teneri omnes consentientes, quando eodem tempore suffragati sunt, propter enim simultaneitatem, sententia resultans fit omnibus communis.

3° *Certum est* pariter omnes teneri pro rata ratione suffragiorum, qui, completo suffragiorum numero sufficienti, ad sententiam suffragium dederint ex quo pœna aggravatur. His notatis,

Resp. *Prima sententia affirmat.* Nam omnes ad restitutionem tenentur, quorum nomine damnum illatum est; atqui damnum illatum est posteriorum etiam suffragantium nomine, omnes enim iniquam sententiam formant: ergo, etc.

Dices: Ultimi suffragantes non sunt causa damni, utpote quod jam antea irrevocabiliter determinatum esset: ergo, etc.

Resp. *Nego ant. et ejus prob.* Nam damnum ante ultimum suffragium non est irrevocabiliter illatum, cum non pendeat solum ex prima prolatione suffragiorum, sed etiam ex perseverantia in illis, quatenus postea non revocantur; possunt autem revocari per rationes probabiles ultimorum suffragantium, qui tenentur collegas suos ab injusta sententia in quantum possunt revocare, admonendo eos, et recusando suffragium; quod si non faciant,

tenentur adhuc de damno secuto tanquam *mutus* vel *non obstans*. Ita Tournely, Billuart.

*Secunda sententia negat.* Nam illi non tenentur ad restitutionem quorum suffragia non sunt causa damni; atqui suffragia posteriorum suffragantium non sunt causa damni, siquidem damnum sufficienter determinatum ac illatum est, statim ac prodiit sufficiens numerus suffragiorum. Esto res non est peracta quoad formam nisi post sententiam judicis; sed tamen cum judex teneatur ferre sententiam juxta pluralitatem votorum, non illa sententia, sed vota sunt causa damni. Ita *probabilius* S. Ligorius [1], Lugo, Cajetanus, Lessius, etc.

Aliter dicendum est quando suffragia mittuntur in urnam, quia tunc quodnam exeat primum ignoratur.

*Nota.* Hic per anticipationem cum teneri ad restitutionem qui suffragium non tulit cum ferre potuisset et ex officio debuisset, cum ipsius omissio fuerit causa efficax alicujus damni. Ex *justitia* enim et *quasi-contractu* tenentur hujusmodi iniquas sententias impedire. Excipitur tamen : 1° casus quo justam habet absentiæ causam, quæ eo major esse debet, quo res tractanda majoris est momenti; 2° casus quo certe constat conclusionem futuram esse contra justitiam, et suffragium suum non ultra serviturum, quam odium ipsius conciliare et graves rixas suscitare. Ita Lugo, et *communiter*.

## § IV.

### De palpone, id est adulatore.

QUÆRES 1. *Quisnam intelligatur nomine palponis?*

RESP. Intelligitur omnis ille qui laudando, applaudendo, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exaggerando, alterum impellit ad damnum inferendum.

QUÆRES 2. *An adulator teneatur ad restitutionem?*

[1] Lib. IV, num. 566.

Resp. Tenetur sicuti consulens cui æquivalere censetur: ratio est, quia est causa moralis damni.

Dices : Aliquando adulator non intendit damnificationem : ergo tunc non tenetur restituere.

Resp. *Nego conseq.* Quia, ut teneatur restituere, sufficit ut præviderit damnificationem ex hac iniqua agendi ratione probabiliter natam sequi.

## § V.

### De receptatore (gallice receleur).

Quæres : *Quis intelligatur nomine receptatoris?*

Resp. Intelligitur omnis ille qui malefactori, *quatenus malefactori*, securitatem et commoditatem præbet, ut vel malum inferat confidentius, vel illatum non reparet; tales sunt qui malefactores protegunt, hospitio recipiunt, instrumenta nociva servant, prædas emunt aut custodiunt, etc.

*Tenetur ad restitutionem*, quia revera cooperatur damno : *Non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recipit, tenetur*, ait Justinianus [1]; unde adagium : *S'il n'y avait pas de receleur, il n'y aurait pas de voleur.*

Dixi *quatenus malefactori*, quia qui malefactorem reciperet ut quemlibet alium titulo amicitiæ aut officii publici, ut caupones; imo qui motus compassione eumdem a satellitibus quæsitum absconderet, ad restitutionem non teneretur, quamvis fur forte a periculo elapsus, aliquando damnum aliis sit illaturus, nam damnum illud est mere casuale respectu occultantis.

## § VI.

### De participante.

*Nota* 1. Participans aliquis dupliciter esse potest.

1° *Ratione rei acceptæ*, ut cum quis suam in præda partem habet.

[1] Lib. III, tit. *de Incendio*

2° *Ratione actionis damnosæ*, cum, scilicet, quis juvat ad actionem injustam, v. gr. præbendo auxilium, instrumentum, scalas applicando, claves adulterinas fabricando, excubias agendo, etc.

*Nota* 2. Particeps duplici modo potest concurrere ad damnum alteri inferendum, immediate scilicet et mediate.

Ille concurrit *immediate*, qui simul cum alio ponit actionem quæ *per se*, et nulla intercedente alia causa, tendit ad effectum damnosum, vel efficaciter intluit in voluntatem agentis, puta præcipiendo, consulendo, vigilias custodiendo ut animosior reddatur, terga defendendo, etc.

Ille concurrit *mediate*, qui ponit actionem quæ non est *per se* damnificativa, verum est bona vel indifferens, sed qua damnificator abutitur ad damnum inferendum, et ideo non est *per se* damnificativa, sed requiritur causa, qua mediante, dirigatur ad effectum malum, v. gr. scalæ applicatio, etc.

*Nota* 3. Aliquis iterum potest concurrere ad damnum vel *materialiter*, quando nullam habet intentionem nocendi domino; vel *formaliter*, quando præstat actionem cum pravo fine nocendi. His notatis,

QUÆRES 1. *Ad quid teneatur particeps rationis prædæ?*

RESP. *Si bona fide* acceperit partem rei furtivæ, eam, si adhuc exstat, reddere debet; si non exstat, satis est ut restituat in quantum factus est ditior; *si* vero *mala fide* acceperit, rem, si exstat, vel ejus pretium, si non exstat, refundere debet, etiamsi inde factus non sit ditior, ut supra dictum est de possessore bonæ vel malæ fidei.

QUÆRES 2. *Ad quid teneatur particeps ratione actionis damnosæ?*

RESP. Tenetur resarcire damnum pro rata, imo totum si alii non restituant, etiamsi damnum sine eo nihilominus fuisset illatum, quia reipsa est causa physica illius partis damni, et in ipsam influxit. Hæc certissima sunt; verum maximi interest scire an et quando licita sit sive imme-

diata, sive mediata cooperatio ad damnum proximi in materia justitiæ. Unde

QUÆRES 3. *An, vel quando licita sit immediata cooperatio ad damnum proximi in materia justitiæ?*

*Nota.* Actio ad quam aliquis concurrit, potest esse proximo damnificativa, vel in bonis *vitæ*, vel in bonis *membrorum*, vel in bonis *fortunæ*. Hinc

RESP. 1. Quoad *damnum vitæ*, nunquam licet, etiam ad mortem vitandam, immediate cooperari ad actionem damnificativam in bonis vitæ. Ratio, 1° quia nunquam licet occidere innocentem; 2° quia et ipse innocens nunquam potest ad id consensum præbere, puta qui non habet dominium vitæ suæ, ut dictum est supra. Ita omnes.

Hinc, ut notant communiter Theologi, captivi apud Turcos peccant contra justitiam et tenentur ad restitutionem, si in bello formaliter injusto adversus Christianos ignem bombardis admoveant, pilas explodant, sagittas emittant, quia hæ omnes actiones immediate et proxime influunt in vitam Christianorum.

RESP. 2. Quoad *damnum membrorum*, nunquam parites licet, etiam ad evitandam mortem, immediate concurrere ad alterius mutilationem, *nisi forsan pro avertenda ipsius morte*. Ratio, quia non licet cooperare ad actionem damnificativam, nisi læsus de jure suo cedat, vel cedere teneatur; atqui in casu, læsus nec de jure suo cedit, quia non habet dominium perfectum in membra sua, nec tenetur jacturam membrorum pati ad juvandam alterius vitam. Ita omnes.

Dixi *nisi forsan pro avertenda ipsius morte*, v. gr. a tyranno inferenda. Ratio, quia cum unicuique liceat jacturam membrorum pati ad vitandam mortem, non repugnat quod eodem fine illud jus alteri concedat, sicut chirurgo conceditur. Sed illa juris cessio mutilatori innotescere debet vel expressa concessione, vel præsumptione legitima, cum fieri possit ut mutilandus renitatur. Ita omnes.

Resp. 3. *Quoad damnum in bonis fortunæ*, tres *communiter* admittuntur casus in quibus ex metu gravi licita est cooperatio, quia dominus censetur consentiens, scilicet :

*Primus,* si cooperans possit et velit damnum resarcire, tunc enim non potest esse rationabiliter invitus quin ad vitandum grave damnum, tu ponas actum qui nullum ipsi affert detrimentum. Præterea, cum in gravi necessitate sis constitutus, tenetur ille tibi per mutuum succurrere.

*Secundus*, si damnum grave, absque tua cooperatione, æqualiter et certo ab ipsomet agente principali inferretur, ex illo principio : *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.*

*Tertius*, si damnum sit leve respectu domini ; tunc enim ex charitate illud æquo animo subire debet, sed postea teneris restituere, ut in primo dictum est.

Admittitur etiam *communiter* quod, si participans adjuvat furem ad inferendum damnum ob metum similis gravis damni in bonis propriis fortunæ, teneatur ad restitutionem; non enim potest ad damnum alterius cooperari, ut proprium damnum bonorum evitet, siquidem nemo tenetur impendere sua ut aliena indemna serventur[1].

Quæres 4. *Utrum peccet cooperans* immediate *ad vitandam mortem, vel jacturam membrorum, quæ morti æquiparatur, vel gravissimam infamiam, et an teneatur ad restitutionem?*

Resp. Duplex est sententia.

*Prima sententia* affirmat, et dicit quod exsequi metu mortis actiones immediate damnificativas, ut evertere muros, fodere parietes, pecunias, mobilia alia arripere, claves falsas conficere, res furatas per fenestram ejicere, pecora e stabulo abjicere, domum vel acervum incendere, etc., est illicitum, et parit obligationem restituendi,

[1] Conf. tract. *de Præcept. charitatis*

quia tales actiones sunt intrinsece malæ, siquidem lædunt jus proximi, qui rationabiliter invitus merito supponitur. Etenim ille rationabiliter est invitus, qui consentire non tenetur, atqui proximus non tenetur consentire ad hanc cooperationem : ergo, etc.

*Prob. min.* Non tenetur neque ex justitia, neque ex charitate, quia neutra obligat ad vitam alterius cum tanto gravamine proprio servandam. Ita *multi* cum Billuart.

*Secunda sententia*, quæ nobis videtur probabilior, quam tenent S. Ligorius [1], Div. Thomas, Molina, S. Antonin., Laym., et plures alii, docet hujusmodi participantem, si ob metum mortis, vel amissionis membrorum, vel honoris, præfatas actiones agat, 1° *non peccare*, 2° *nec teneri ad restitutionem*.

Et quidem 1° *non peccat ;* nam cooperatio considerari potest vel respectu domini damnum passuri, vel respectu peccati furis damnum inferentis. Atqui 1° cooperatio considerata respectu domini est prorsus licita, quia dominus tunc tenetur consentire ut, etiam cum jactura bonorum suorum, tu vitæ tuæ consulas ; alias, esset irrationabiliter invitus. *Præterea*, constitutus in extrema necessitate potest sibi vindicare bona aliena, ut mortem declinet, quia in tali casu omnia sunt communia, ut dictum fuit supra.... Sed ille cui mors intentatur, est in extrema necessitate, ut patet: ergo, quantum fas est cuique in extrema necessitate sumere de bonis alienis ad conservandam propriam vitam, tantum damnum potest, per cooperationem suam, inferre in bonum proximi ad propriam vitam e proximo periculo eripiendam.

2° Si cooperatio consideratur respectu peccati furis damnum inferentis, adhuc est licita, quia cooperans non concurrit *formaliter*, sed tantum *materialiter* ad peccatum furis, quod ex justa causa licite permittit. Etenim mihi licet ex gravissima causa ponere actionem ad quam cer-

[1] Num. 671.

tum jus habeo, quamvis prævideam alterum ex ea fore abusurum : *Non enim*, inquit continuator Tournely [1], *teneor grave subire damnum, ut alterius peccatum avertam ; ipse sane* (nempe fur) *malitiam suam sibi imputet ; hæc mihi perperam imputaretur, cum id unum intendam, ut rebus meis consulam, easque a damno liberem.*

*Confirmatur* ex Div. Thoma [2], qui ait : *Licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael : Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro* [3] *:* ergo cooperans non participat *formaliter* peccatum furis damnum inferentis. *Præterea* non facit injuriam domino damnum patienti : ergo non peccat.

DICES : Præfatæ actiones sunt intrinsece malæ; quod autem est intrinsece malum, nullo bono fine cohonestari potest : ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Non enim essent intrinsece malæ, nisi vel ut injuriosæ domino rei furatæ, vel ut formaliter participantes peccatum furis ; jam vero utrumque falsum ostendimus, et quidem tales actiones *per se* sunt indifferentes, cum juxta finem quo fiunt, vel licitæ vel illicitæ esse possunt. *Præterea*, si essent intrinsece malæ, non posses, etiam fure tibi mortem minitante, arcam tuam infringere, ut tradas ei pecuniam ibi contentam, quia *formaliter* cooperareris ad illius peccatum, quod nemo dixit unquam. Error adversariorum est in eo quod existiment tales actiones retinere rationem furti, quod falsum est, cum in tali casu omnia bona sint communia.

Et quidem 2° *nec talis cooperans tenetur ad restitutionem.* Etenim non tenetur neque ex re accepta, quia in nihilo factus est ditior, neque ex injusta acceptione, quia non peccavit, ut probavimus. Teneretur quidem reparare damnum quod intulisset, ut se servaret indemnem in bonis

[1] *De Jure et just.* — [2] 2 2, quæst. 78, art. 4. — [3] Jerem. XLI.

fortunæ, ut dictum est supra; sed bonum in quo se servavit indemnem non est bonum fortunæ, sed vitæ, vel honoris, quod est bonum superioris ordinis. S. Ligor. [1], et alii plures, ut supra.

DICES : Esto cooperans non fuit injustus erga dominum rei, qui rationabiliter invitus esse non potest, hoc tamen intelligitur sub conditione restitutionis. *Prob.* Sicut nemo tenetur, ad suam vitam conservandam, media expendere extraordinaria, ita nec pro vita alterius: ergo non potest cooperari ad damnum nisi sub conditione restitutionis.

RESP. *Nego ant.* Ad probationem dico, quod licet dominus non teneatur media extraordinaria impendere ad vitam suam servandam, potest tamen. Sed si potest ille, potest etiam qui constitutus est in extrema necessitate; si vero potest hic, dominus consentire tenetur, quia non dantur jura contraria, et cum cooperans absumendo bona aliena ut sua, non peccaverit, nec in aliquo factus sit ditior, nulla restitutionis est obligatio.

QUÆRES 5. *An liceat mediate cooperari ad actionem alteri damnificativam in bonis, sive corporis, sive fortunæ ob causam relative sufficientem?*

RESP. *affirm.* Ratio, quia qui concurrit *mediate*, ponit actionem bonam, aut saltem indifferentem, ut diximus supra. Non est autem illicitum ponere actionem saltem indifferentem ad bonum finem, licet ex alterius malitia sequatur malum. Nec dicas tales actus, quamvis sint in se indifferentes, tamen, in tali casu, non esse indifferentes, sed concurrere ad damnum. Nam respondetur quod hujusmodi actus non concurrunt ad damnum neque *per se*, neque prout sunt *ab agente*, sed *per accidens* ex perverso usu et mala voluntate furis eis abutentis, et ideo ob rationabilem causam cooperans potest illos actus ponere, e permittere ut fur eis abutetur præter suam intentionem

*Confirmatur* 1. *Ab inconvenienti.* Si homines tenerentur

[1] Num. 571.

abstinere ab actionibus *mediate* damnificativis, etiam cum habent sufficientes agendi rationes, non videtur quomodo excusari possent infinitæ prope actiones, quæ passim ut licitæ admittuntur, vixque possibiles fierent relationes quæ debent existere in commercio hominum; et de hoc mundo exire deberemus, ut ait S. Paulus. Ergo, etc.

*Confirmatur* 2. Fatentibus Theologis, licet ob rationabilem causam ponere actionem indifferentem ex qua sequuntur duo effectus, quorum unus est bonus et alter malus, modo bonus intendatur et compenset malum: ergo, etc.

*Nota.* Ut autem licita sit cooperatio in actione damnosa, tres requiruntur conditiones: 1° ut actus non sit intrinsece malus, quia talis actus nullo fine cohonestari potest, nec sunt facienda mala ut eveniant bona; 2° ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona; vel saltem indifferenti ab ipso posita, v. gr. ut vita reponatur in tuto si ipsa periclitatur, vel lucrum consequatur, si illud ipsum intenditur, et similia; 3° ut eliciatur ex causa proportionate gravi.

QUÆRES 6. *Quandonam est causa proportionate vel relative gravis ponendi talem cooperationem, seu quandonam effectus bonus sufficienter compensabit malum?*

RESP. Non potest assignari ulla regula certa, cum infinitis prope modis casus diversificentur; sed de hoc ex æquo et bono judicandum est. Generatim autem ad sequentes regulas attendere juvabit.

*Prima regula :* Tanto major requiritur ratio, quanto *majus* est malum quod sequitur.

*Secunda :* Tanto major requiritur ratio, quanto causa seu actio quæ ponitur, *propinquius* influit in damnum, seu concurrit ad malum : sic major requiritur in claves conficientes quam in scalam sustinentes.

*Tertia :* Major requiritur ratio, quando sine tua cooperatione effectus malus aut nullo modo, aut multo *difficilius*

sequeretur, quamvis nihilominus sequeretur [1]. Ita Billuart [2], D. Carrière [3] et communiter.

*Ex dictis* quædam sunt resolvenda, ut ex illis facilius resolvantur plures alii casus in praxi satis implicati.

*Primus casus :* Non peccant contra justitiam fabriferrarii qui indiscriminatim arma vendunt, etiamsi sciant *in genere* aliquos ex eis abusuros, alias tolleretur commercium; sed *in specie*, ei qui prævidetur illis abusurus debent indicare pluris æquo suam mercem, ut sic emptor a damno inferendo removeatur.

*Secundus casus :* Non peccant nec restituere tenentur obeuntes actiones ad damnum pravas, et remote tantum influentes, v. gr. scalam applicantes, murum conscendentem adjuvantes, lucem præbentes, etc., si gravis damni incutiantur metu.

*Tertius casus :* Item etiam *probabilius* potes suum reddere gladium domino repetenti, quamvis scias illum ex eo contra se usurum, in casu quo tibi minaret mortem. Ratio, quia vita tua vitæ proximi æquivalet. Ita Billuart, D. Carrière et multi.

## § VII.

### De muto, non obstante et non manifestante, seu de cooperatoribus negativis.

Quæres 1. *Quis intelligatur per τὸ* mutus?

Resp. Intelligitur is qui tacet cum potest et tenetur *ex justitia* loqui, v. gr. clamando, strepitum edendo, etc.

Dixi *ex justitia*, quia qui ex charitate tantum tenentur impedire damnum proximi, non tenentur ad restitutionem, quia non peccant contra justitiam.

Hinc, qui tenentur clamare ratione officii aut contractus,

[1] Conf. quæ diximus *de Act. hum.* et *de Charitate*. — [2] Diss. VIII, art. 13. [3] Num. 1197.

tenentur restituere, si *ex culpa gravi theologica* nonc lament.

Dixi *ex culpa gravi theologica*, quia ubi quæstio est de damnificatione reparanda, obligatio oritur tantum ex delicto.

RESOLVES 1. Servum, qui heri sui bona dilapidari videt, et tacet, teneri restituere, si ei talis cura specialiter fuerit demandata, sive damnum inferatur ab extraneis, sive a conservis suis, quia ex officio ad id tenetur : hoc enim pacto conducuntur hujusmodi servi; quisque enim confidit se habere custodem rerum sibi commissarum, cum in ea talem introducit famulum.

At si agatur de damno illato ab aliis domesticis, et res non sit ipsi famulo specialiter commissa ad curam, *controvertitur*.

*Prima sententia* docet illum teneri ad restitutionem, qui heri sui bona dilapidari videt a conservis suis, et tacet, vel dominum monere negligit. Ratio, quia ex officio ad id tenetur. Hoc enim pacto tenentur quando damnum infertur ab externis : ergo a pari, imo a fortiori si damnum infertur a conservis : 1° *a pari*, quisque enim confidit se ponere custodem domus suæ, cum in ea reliquit famulum; 2° *a fortiori*, quia quo damnum facilius et frequentius infertur, eo major incumbit illud avertendi obligatio. Ita Billuart, cum pluribus aliis.

*Secunda sententia*, communior et *probabilior*, illum servum omnino eximit a restitutione. Ratio, quia famulus tenetur tantum ad illud quod naturaliter venit in contractum; atqui non venit naturaliter in contractum ut famulus consentiat se constituere custodem ipsorummet custodum qui ad curam domus sicut et ipse locarentur; hoc enim modo famulitium nimis difficile et exosum aliis conservis evaderet: ergo ad ipsorum curam non se constituit, nisi aliter specialiter sit conventum : ergo non tenetur restituere, etc.

Ratio *a pari* et *a fortiori* adversariorum pugnat contra illos; nam cum facilius et frequentius ac diutius hoc damnum inferri possit a conservis, ille non censetur se obligasse *ex justitia*, nec tale onus in se suscepisse, quod revera gravissimum esset et nimis odiosum. Ita S. Ligor.[1], Lugo, Lessius, etc.

Resolves 2. Confessarium ad restituendum teneri, si ex ignorantia, vel negligentia graviter culpabili pœnitentem restitutioni obnoxium ad restitutionem non obliget, cum interrogatus nihil respondet, ejusque silentium pro certo consensu habetur, et positivæ deobligationi æquivalet, quia tunc est causa damni quod impedire ex officio potest et debet. Si vero non interrogetur Confessarius,

*Probabilius* affirmant ipsum non teneri qua talem, qui mere negative se habet tacendo : 1° quia, licet Confessarius teneatur bene instruere suum pœnitentem, hoc tamen est in ordine ad spiritualia tantum, non autem in ordine ad temporalia, nec ipsius pœnitentis, nec alterius tertii. Officium enim istud totum spirituale est : ergo dum omittit instruere, non violat justitiam in ordine ad temporalia ; atqui sola violatio justitiæ inducit obligationem restituendi : ergo, etc. ; 2° quia, etsi Confessarius teneretur instruere suum pœnitentem in ordine temporalium, non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium quocum neque pactum, neque conventionem, etiam tacitam inivit, ut ex justitia debeat ejus damnum cavere, aut efficere ut hoc ei compensetur. Ita S. Ligorius[2], Lugo, Suarez, Billuart, P. Gury, et alii communiter.

Resolves 3. Eum teneri ad restitutionem qui per vim aut dolum impedivit eum qui ex charitate contra fures clamare volebat ; quia violat jus quod habet dominus, ne per vim aut dolum impediatur ejus defensio.

Resolves 4. Eum teneri restituere qui accipit pecuniam ut taceat, vel qui id gratis promittit, quia hæc promissio

[1] Lib. IV, num. 344. — [2] Lib. VI, num. 621.

furem animosiorem ac securiorem reddit; unde concurrit ad damnum.

QUÆRES 2. *Quis intelligatur per* τὸ non obstans?

RESP. Omnis ille qui non præbet auxilium quod potest et ex justitia debet præbere, ne damnum inferatur; requiritur tamen gravis culpa theologica.

*Hinc*, tenentur restituere : 1° custodes sylvarum, vinearum, gabellarum, permittentes auferri aut deprædari suæ custodiæ commissa.

2° Belli duces, magistratus, patresfamilias, etc., qui non impediunt rapinas, fraudes, monopolia suorum subditorum, si *ex silentio graviter culpabili* inferiores reddiderunt animosiores ad damnum inferendum.

Dixi *si ex silentio*, etc.; secus *probabiliter* non tenentur, licet damnum non impediendo graviter peccaverint, si sermo sit de superioribus; etenim non tenentur neque ratione injustæ detentionis, neque injustæ damnificationis, neque injustæ positivæ cooperationis, ut patet; neque ut injusti cooperatores negativi, quia qualitas superioris per se non sufficit ut quis constituatur ut sponsor de damno subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire teneatur. Ita S. Ligor., Lugo, P. Gury, D. Gousset, et alii contra plures.

3° Qui sua negligentia non impediunt ne sua animalia proximi bonis damnum inferant[1]; quod si sine culpa damnum contigerit, dominus non tenetur de damno in foro conscientiæ, nisi quatenus ditior factus est; in foro tamen exteriori ad totius reparationem condemnaretur.

QUÆRES 3. *Quis intelligatur per* τὸ non manifestans?

RESP. Est omnis qui dum potest et ex justitia debet malefactorem non manifestat vel ante factum, ne fiat, vel post factum ne resarciatur; tales sunt custodes vinearum, sylvarum, etc., et ii peccant : 1° contra justitiam, unde tenentur ad restitutionem; 2° contra religionem, quia vio-

[1] Cap. *Si bos*, ff. *de injur. et damno dato.*

lant juramentum quod præstare solent. Ab utroque tamen peccato videntur immunes, si damnum tam leve esset, aut illatum a persona tam paupere, ut præsumi rationabiliter possit dominum non esse invitum. Sed

Quæres 4. *An teneatur etiam solvere mulctam pecuniariam, quæ in defraudatores constituta est si non deferant?*

Resp. *Multi negant et probabilius*, hac ratione ducti, quod custodis officium in eo sit ut damnum avertat, aut procuret solutionem vectigalis constituti; non vero ut dominum aut Rempublicam mulctis ditet: ergo mulctas refundere non tenetur; ita fert praxis cui communis sensus concordat. Ita Salmanticenses, Lugo, Lessius, Vogler, etc.

*Alii affirmant.* Ratio est, quia custodes sunt constituti, tum ut impediant damna, tum etiam ut deferant damnificatores; quare non manifestando, injuste agunt contra officium, ac proinde tenentur restituere mulctas pecuniarias quas perciperent domini ex delatione sibi jure debita.

## § VIII.

### Expenduntur variæ quæstiunculæ ad præsentem materiam spectantes.

Quæres 1. *Quid requiratur ut cooperatores teneantur restituere?*

Resp. Requiritur et sufficit ut vere moveant vel adjuvent executorem ad damnum inferendum; et ideo non excusantur quod alius non defuisset qui movisset vel adjuvisset. Ratio est, quia sunt vere causa damni.

Dices: Ille duntaxat est vera et efficax causa, qua posita sequitur effectus, et qua non posita non sequitur: ergo si tuo recursu, v. gr. non præstito, effectus nihilominus sequeretur per recursum alterius, tuus recursus non potest censeri causa efficax.

Resp. *Nego secundam partem antecedentis.* Equidem est

de ratione efficaciæ causæ ut, illa posita, ponatur effectus; sed non est de ejus ratione ut, illa non posita, effectus non ponatur; alioqui occisor non esset causa damni, si alius fuisset occisurus, quod nemo sanæ mentis propugnabit.

QUÆRES 2. *Utrum cooperans teneatur ad restitutionem, si absque ejus cooperatione executor æque facile et eodem modo damnum illaturus erat*, quia nempe ad facinus paratissimus erat?

RESP. *negative, nisi executor per cooperantem ad damnum promptius inferendum motus sit.* Ratio est, quia cooperatio non influit in actionem damnificam, sed ad ipsam tantum concomitanter se habet: ergo tunc cooperatio non est causa damni. Dixi *nisi executor ad damnum promptius inferendum motus sit*, quia interim potuisset mutare sententiam, vel impediri a damno inferendo.

QUÆRES 3. *An omnes cooperatores teneantur in solidum?*

*Nota.* Solidaritas: quod est integritas, seu obligatio restituendi in solidum, est onus incumbens singulis cooperatoribus reparandi integrum damnum erga læsum.

Duplex est solidaritas; *absoluta*, scilicet, quæ locum habet cum quis tenetur solus reparare damnum quin possit aliquid ab aliis cooperatoribus repetere.

*Conditionata*, ex qua singuli cooperatores tenentur restituere pro cæteris cooperatoribus qui nolunt, vel nequeunt restituere, servando recursum in illos, qui tunc illius, non domini læsi, debitores fiunt.

RESP. Omnes cooperatores, *qui ad se relationem habent in damno*, tenentur in solidum pro ratione influxus in damnum; unde si cooperans influxerit in totum damnum, tenetur ad reparationem totius in solidum; si tantum in partem damni, tenetur ad reparationem illius partis in solidum.

Dixi *qui ad se relationem habent in damno*, quia cum plures per se separatim sine communi consensu, conspira-

tione et opera damnum inferunt, tunc singuli non tenentur in solidum, sed solum pro sua parte, cum non sint causa totius damni, sed partis tantum.

QUÆRES 4. *An omnes cooperatores æqualiter restituere teneantur?*

RESP. Si concurrerunt æqualiter ad damnum, ut duo mandantes, tenentur æqualiter restituere, quia nulla est ratio cur unus plus restituat quam alter; si inæqualiter, ut cum unus mandat, alius consulit, alter exequitur, tenentur restituere inæqualiter, alii nimirum *primo* loco, alii *secundo* loco, alii *tertio*. Circa quod

*Nota.* Ille *primo* loco tenetur restituere qui sic obligatur ut, eo restituente, cæteri a restitutionis onere fiant immunes, et alio restituente, ipse eidem quod solvit, refundere teneatur. *Secundo* autem loco tenetur is, quo restituente, cæteri fiant immunes excepto primo, et sic de cæteris. Demum in eodem gradu teneri dicuntur, qui æqualiter obligantur, ita ut si nullus deficiat, teneantur singuli ad aliquam partem, aut si aliquis eorum totum restituat, singuli ejusdem ordinis huic refundere teneantur eam partem quam quisque debebat pro ratione influxus sui in damnum. Unde

QUÆRES 5. *Quinam ordo sit servandus inter eos qui inæqualiter obligantur in solidum?*

RESP. Sequens ordo ex communi Doctorum sententia statuitur.

*Primo loco,* et ante omnes restituere tenetur is, apud quem res aliena exstat in se, quia res aliena semper clamat pro domino. Quod si non exstet, vel bona, vel mala aut dubia fide consumpta est; si bona fide, ad nihil tenetur qui consumpsit, nisi in quantum factus est ditior; si mala aut dubia fide, tunc adhuc ante omnes tenetur qui consumpsit, ejus pretium restituere; quia *pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere*[1].

[1] Reg. 86 juris, in 6.

*Secundo loco*, tenetur mandans, quia est principalis auctor damni, executor vero se habet ut ejus instrumentum, cum nomine et auctoritate mandantis damnum inferat; idem dicendum de eo, qui rogavit damnum nomine suo inferendum, quia mandanti æquivalet.

*Tertio loco*, tenetur executor, et participans seu adjuvans in crimine, quia executor, utpote physice influens in damnum, et respectu aliorum proprio nomine agens, est principalis causa damni post imperantem: ergo consulentem et alios præcedere debet.

*Quarto loco*, et in defectu priorum, tenentur cæteræ causæ positivæ, in eodem ordine inter se, cum eodem modo in damnificationem influant, nempe movendo, impellendo executorem ad damnum inferendum, nec una est instrumentum alterius.

*Quinto loco*, tenentur causæ cooperantes negativæ, quæ equuntur omnes causas positivas; æquum enim videtur ut onus restituendi ei prius incumbat, qui actionem injustam ponit, quam illi qui non impedit ne ab alio ponatur.

Porro, inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius, aut magis immediate teneatur impedire damnum. Quare custodes particulares prius ad restituendum tenentur, quam custodes generales qui non sunt causæ damni.

*Nota.* Si creditor condonaverit debitum causæ secundariæ, non ideo liberatur causa principalis, quia non includitur in hac conditione.

Jus tamen Gallicum excipit[1] si debitum sit ex contractu, tunc enim condonatio facta liberat omnes codebitores, nisi creditor aliter expresserit.

QUERES 6. *An teneatur in solidum qui dubitat utrum in totum damnum influxerit?*

RESP. *negat. probabilius.* Etenim obligatio non debet esse major quam est ipse influxus, siquidem obligatio res-

[1] Art. 1235.

tituendi pendet ab influxu, vel causalitate in damnum; si ergo influxus est incertus, incerta est quoque obligatio; jam vero onus certum imponi nequit pro incerta obligatione: ergo, etc. S. Ligorius [1], et *communiter*.

Plures eodem principio docent te non teneri *in solidum*, si perseveranter dubites an alii suam partem pro rata restituerint; sed hoc non probatur a S. Ligorio [2], qui advertit « quod rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit ob« ligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant se « teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Qui« nimo satis præsumi valet quod ipsi domini, quibus debe« tur restitutio, consentiant ut illi restituant tantum par« tem ab illis ablatam; cum aliter valde sit timendum ut « nihil restituant, si obligentur ad totum. » Relinquantur ergo quoad hanc partem dictamini conscientiæ eorum.

## CAPUT II.

### CUI, QUOMODO ET QUANDO SIT RESTITUENDUM.

*Nota.* Cui restitutio sit facienda, quando dominus rei est ignotus, diximus alibi [3]. Itaque

QUÆRES 1. *Cuinam res debeat restitui?*

RESP. *Ordinarie*, ei reddenda est qui habet jus possidendi, etsi non sit dominus rei; tales sunt depositarius, locatarius, commodatarius, etc. Ratio est, quia ei res restitui debet cui primario illata est injuria; atqui ei qui habet jus possidendi, primario illata est injuria: ergo, etc.

Dixi *ordinarie*, quia si possessor nihil patiatur detrimenti ex eo quod restitutio fiat domino directo, nihil interest an uni, an alteri fiat.

*Colligas:* Rem furi ablatam debere restitui domino, non ipsi furi. Ratio est, quia fur non habet jus possidendi; sed

[1] Lib. IV, num. 579. — [2] Lib. IV, num. 579. — [3] § 2 *de Acquisit. dom. per inv.*

QUÆRES 2. *Qui rem alienam bona fide emit a fure, an hanc ei possit reddere ut pretium suum recuperet?*

RESP. *affirmat. probabilius,* ut probavimus supra, ubi de possessore bonæ fidei.

QUÆRES 3. *Quomodo sit restituendum?*

RESP. Optimo modo restituit, qui quod alteri debet, hoc reddit, sive per se, sive per alium ad æqualitatem, non quidem per partes, sed totum simul quando fieri potest; nihil enim interest an palam, an occulte, nisi agatur de restitutione famæ.

QUÆRES 4. *Quando sit restituendum?*

RESP. Statim *quantum moraliter fieri potest;* nam præceptum restitutionis est primario negativum, et sic obligat semper et pro semper.

Dixi *quantum moraliter fieri potest,* quia sunt variæ causæ ob quas juste potest differri restitutio.

*Prima* est *extrema necessitas,* tam corporea, quam spiritualis, sive nostra, sive proximi, cui aliter subvenire non possumus quam rem alienam impendendo. Ratio est, quia in extrema necessitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia.

*Resolves:* Si quis restituere nequeat nisi filiæ ejus præ inopia se prostituant, vel nisi filii ejus latrocinentur, potest et debet restitutionem differre, quia tunc est extrema necessitas spiritualis, licet non restituendo creditor in eamdem necessitatem incidere debeat. Sed

PETES: *An transacta extrema necessitate, urgeat obligatio restituendi?*

RESP. *cum distinct.* Vel res adhuc exstat, vel amplius non exstat; si adhuc exstat, urget obligatio restituendi, quia extrema necessitas non tribuit jus ad amplius quam opus sit ut ex periculo te eripias: ergo si quid supersit, est restituendum. Si res amplius non exstat, sive res fuerit accepta mala fide ante necessitatem, sive fuerit accepta urgente necessitate, aut bona fide ante necessitatem; non

urget obligatio restituendi, quia in necessitate constitutus usus est jure suo, accipiendo rem et consumendo, ut fusius supra diximus.

*Secunda* est *gravis necessitas* et impotentia moralis, sive debitoris, sive eorum quos alere tenetur, *nisi tamen creditor sit in pari necessitate.* Ratio est, quia dominus non est rationabiliter invitus circa dilationem : ergo potest differri ; nec tenetur de lucro ex dilatione cessante, aut damno emergente, quia non censetur in mora culpabili.

Dixi *nisi tamen creditor sit in pari necessitate,* quia esset rationabiliter invitus quod res sua ab alio detineatur in præsenti casu, cum ex ordine charitatis possit, cæteris paribus, sibi providere potius quam debitori velle consulere. Excipe tamen casum quo res non exstat in specie, et restituendo incideret ipse in extremam necessitatem.

*Resolves :* Eos posse differre restitutionem : 1° qui non possunt restituere nisi domum vel prædium vendendo multo minoris quam valet ; 2° qui non possunt statim reparare damnum sine periculo gravis infamiæ, cum fama sit bonum præstantius divitiis, nisi gravis infamia *in se* sit minima respectu damni in bonis creditoris ; 3° qui non possunt statim restituere, quin necessario excidant e statu quem juste comparaverunt. Notat tamen Lessius [1], quod teneatur debitor sibi quantum potest detrahere de decentia status, ut sensim restituere possit ; nam decentia status non consistit in indivisibili.

Dixi *quem juste comparaverunt,* quia si quis rapinis, usuris, etc., ad aliquem honorabilem statum pervenisset, teneretur etiam cum ejus amissione statim restituere, quia hoc non est tam statum suum amittere, quam alienum dimittere et ad suum reverti.

Dices : Dimittere statum est semper quædam infamia, sed nemo tenetur restituere bona fortunæ cum sui infamia : ergo, etc.

[1] Cap. 17, dub. 1.

Resp. *Dist. maj.* Si sciatur statum illum fraudibus esse acquisitum, *nego;* e contra, sic est famam bonam sibi conciliare, et malam abstergere. Si ignoretur statum illum fraudibus esse acquisitum, *conc.;* tunc autem excusatur a restitutione hic et nunc facienda.

*Tertia* est *nocumentum creditori vel alteri ex restitutione probabiliter imminens;* sic debitor potest, imo debet tum ex charitate erga creditorem vel alterum, tum ex justitia erga alterum, non reddere gladium, vel clavem adultero in iis circumstantiis, in quibus prævidet creditorem iis abusurum ut sibi aut proximo damnum creet. Ratio cur possit, est, quia utiliter rem creditoris gerit : ergo non est rationabiliter invitus de dilatione. Ratio cur debeat lege charitatis est, quia tenetur impedire peccatum proximi, si commode possit. Ratio cur debeat lege justitiæ est, quia concurreret ad damnum proximi ut causa adjuvans.

## CAPUT III.

### DE ORDINE QUO PERSONIS LÆSIS RESTITUI DEBETUR.

*Nota* 1. Quæstio non procedit de restitutione facienda ex bonis creditoris; certum est enim quod res aliena exstans restitui debeat domino suo, nec possit aliis in solutionem dari; talia sunt depositum, pignus, res per furtum, rapinam, usuras ablatæ, etc. Res autem credito vendita exstans apud debitorem non videtur debere reddi venditori præ aliis creditoribus, si is non habeat aliunde jus prælationis, quia tunc translatum est ejus dominium, estque bonum debitoris.

In Gallia vero res vendita, non soluto pretio, repeti potest intra octo dies a traditione tantum ; sed ejus pretium semper est privilegiatum, ex Cod. civ. [1].

[1] Art. 2102.

*Nota* 2. Quando bona debitoris in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus ullo ordine, cum omnibus sit satisfaciendum.

Quæstio itaque unice procedit de eo qui multis creditoribus diversi ordinis debet, et omnibus satisfacere est impar, circa quam sequentia a Theologis vulgo statuuntur.

1° Prius debent solvi impensæ pro funere debitoris et ejus curatione [1].

2° Debita certa, id est, quorum dominus cognoscitur, prius solvenda sunt quam incerta ; quia creditor incertus in hoc consentire merito præsumitur ; unde non est rationabiliter invitus. Hæc est sententia *communis*.

Secunda tamen sententia, quam æque probabilem S. Ligorius, probabiliorem Billuart, et Lugo probabilissimam vocat, negat. Etenim ille non est præferendus cui jura nullam dant prælationem ; atqui jura nullam dant prælationem dominis certis : et 1° non jus positivum, ut certum est ; 2° non jus naturale ; nam creditores ignoti æquale jus habent ac creditores noti, non enim aliquid juris sui amittunt, ex eo quod inveniri non possunt, dum verum retinent dominium in bona sua : ergo æque restituendum est, si non ipsis, saltem pauperibus vel causis piis. Gratis autem asseritur, si secus fiat, illos esse irrationabiliter invitos.

3° Debita ex titulo oneroso prius solvi debent quam debita ex titulo gratioso [2], quia in omni donatione subintelligitur, *sine præjudicio tertii*.

4° Solvendum eis qui habent hypothecam, ante alios qui non habent [3], quia creditoribus hypothecariis non solum persona debitoris, sed etiam ejus bona specialiter obligata sunt ; chirographariis vero sola persona est obligata.

5° Inter creditores hypothecarios prius solvendum est

[1] L. penult. *de Religion. et sumpt. funerum.* — [2] L. *Inter eos, de Re judic.*
[3] L. *Eos, qui potiores in pignore.*

is qui tempore sunt priores. Ratio est, quia sunt potiores ure, juxta regulam juris : *Qui prior est tempore, potior est n jure ;* excipe si posterior hypotheca habeat privilegium jure, circa quod consulendæ sunt consuetudines loco- um, quæ obligant in conscientia. Hypothecarii sunt pares empore, quorum hypothecæ inscribuntur eodem die, ive mane, sive vespere.

6° Inter creditores personales prius solvendum est eis ui habent privilegium ; tales sunt : 1° sponsa de futuro in onis sponsi ratione dotis traditæ, non secuto matri- nonio [1] ; 2° is qui deposuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde usuras [2] ; 3° ille qui ad navem ins- ruendam, emendam, pecuniam tradidit [3].

7° Si creditores nec habeant hypothecam, nec privile- ium, singulis pro rata satisfaciendum est, sive sint prio- es, sive posteriores, sive debitum sit ex delicto contrac- um, sive ex contractu. Ratio est, quia nulla lex constituit rælationem inter hujusmodi creditores ; nam regula ju- is *Qui prior est tempore, potior est jure,* creditoribus solum ypothecariis applicatur, ut colligitur ex jure [4]. Præte- ea, ubi æqualiter læditur justitia, æqualis est obligatio res- ituendi. Si tamen unus creditor prius suum debitum sive n judicio, sive extra judicium exigat, ei satisfaciendum st, ait Pontas, ex Navarro [5]. Ratio est, quia *vigilantibus ura subveniunt.* Excipe pariter si quis ex creditoribus sset in extrema vel gravi necessitate, cui debitores divites x superfluis succurrere deberent. S. Ligor. [6].

*Ex jure novo,* quædam specialiter sunt notanda, scilicet : primo loco solvendi sunt creditores *privilegiati,* servato ordine, non temporis, sed causæ, seu naturæ privilegii. Quod si occurrant privilegia ejusdem generis, pro rata parte debiti, unicuique creditori obveniat.

[1] L. *Quæsitum,* § *Si sponsæ,* ff. *de Privil. creditorum.* — [2] L. *Si hominem,* § *in bonis,* ff. eodem. — [3] L. *Qui navem,* ff. eodem. — [4] Lib. I, ff. *de Separationibus.* — [5] V. *Restit.,* cas. 91. — [6] Lib. IV, num. 601.

Debita autem privilegiata, ut plurimum sunt : 1° impensæ judiciales ; 2° impensæ funeris ; 3° stipendia medicorum et pharmacopolarum pro morbo ultimo ; 4° famulorum stipendia anni currentis et præcedentis ; 5° impensæ pro alimonia a sex ultimis mensibus, tam pro debitore quam pro ejus familia. Hæc debita privilegiata fundantur super mobilia simul et immobilia.

Sunt alia debita privilegiata, quorum quædam fundantur super mobilia, quædam vero super immobilia omnia. *Primi generis* sunt : 1° pretium locationum immobilium et fructuum annuorum, et eorum mobilium quæ ornant domum, vel instrumentorum quæ ad excolendam villam inserviunt ; 2° impensæ conservationis rei ; 3° debita super pignore a creditore possesso ; 4° pretium non solutum mobilium, si adhuc exstant apud creditorem ; 5° pretium vehectorum super res vehectas ; 6° debita cauponis a viatoribus super res in diversorio repositas [1].

Debita privilegiata seu privilegiati *secundi generis,* id est super immobilia, sunt : 1° venditor rei immobilis venditæ ; 2° qui pecuniam submiserunt ad rem immobilem emendam ; 3° cohæredes immobilium successionis ; 4° architectæ, conductores operis, opifices pro pretio laboris ejusdem operis ; 5° qui pecuniam submiserunt ad operariorum stipendia solvenda.

## CAPUT IV

### QUO LOCO, CUJUSVE IMPENSIS ET PERICULO RESTITUTIO SIT FACIENDA.

*Nota,* ex dictis, obligationem restitutionis nasci vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione, detentione et damnificatione, vel ex contractu. Unde

[1] Cod. civ., art. 2102.

QUÆRES 1. *Cujus impensis debeat fieri restitutio ratione ei acceptæ?*

RESP. Fieri debet in loco ubi sunt quæ debentur, nec tenetur debitor expensis suis ea mittere ad dominum, sed expensis domini. Ratio est, quia possessor bonæ fidei dominum a pristino statu per injuriam non disturbavit: ergo non tenetur eum in pristinum statum restituere. Imo dominus non tantum tenetur ad expensas pro re mittenda, sed etiam pro re custodienda [1].

QUÆRES 2. *Cujus expensis restituendum sit ratione injustæ acceptionis, detentionis et damnificationis?*

RESP. Impensis debitoris, idque eo in loco ubi dominus eam illam possessurus erat, si ablata vel destructa non fuisset. Ratio est, quia dominus injuriam passus debet restitui in eum statum in quo fuisset, si injuria illata non fuisset: ergo, etc.

*Resolves:* Si dominus alio migravit, restitutio debet ipsi fieri in loco ubi degit, impensis debitoris, deductis tamen impetibus quos dominus in ea re secum asportanda facturus fuisset; quia sufficit ut debitor dominum indemnem præstet, non requiritur ut ei lucrum afferat.

*Hinc tamen nota* quod, si res non possit sine magnis impetibus restitui, potest ex quadam æquitate naturali differri restitutio, donec ea fieri possit absque tanto detrimento, modo alio tempore æque facile ac certo restitutio fieri possit. Imo, si impensæ faciendæ superant duplum damnum creditoris, nec alio tempore faciliori modo restitutio fieri possit, sufficit restituere pauperibus, alias dominus esset irrationabiliter invitus, ut dicunt Bon., Lugo, Bassius, S. Ligorius [2].

QUÆRES 3. *Cujus impensis restituenda sit res debita ex contractu?*

RESP. Debet fieri impensis illius in cujus utilitatem versit, et ad cujus exigentiam fieri solet contractus; par est

[1] Lib. II, ff. *de Negot. gestione.* — [2] Lib. IV, num. 593.

enim ut qui sentit commodum, sentiat et onus ; vel fieri debet juxta conventiones speciales aut consuetas.

QUÆRES 4. *Si res quæ remittitur per nuntium pereat fortuito sine culpa nuntii, cuinam perit ?*

RESP. Vel res est debita ratione *rei acceptæ*, vel ratione *injuriæ ;* vel ratione *contractus*.

1° Si debita ratione *rei acceptæ*, restitutio fieri debet periculo domini, modo debitor rem remiserit per nuntium quem putabat fidelem [1]. Ratio est, quia seclusis culpa, mora et pacto, res perit domino.

2° Si est debita *ratione injuriæ*, restitutio fieri debet periculo debitoris, quia debitor iniquus dominum prorsus indemnem servare debet : ergo omne periculum subire tenetur [2].

*Hinc*, si debitor, adhibita maxima diligentia, rem nuntio quem putat fidelem, vel Confessario tradat restituendam domino, et hi, sive culpate, sive inculpate, rem domino non reddant, tenetur ad idem restituendum donec dominus accipiat ; quod si pluries idem restituere teneatur, *sibi debet, non aliis imputare* [3].

3° Si est debita ratione *contractus*, vel creditor rei suæ dominium servat, ut in locato, deposito, commodato, et tunc perit creditori, quia res domino suo perit ; vel creditor transtulit rei suæ dominium in debitorem, ut in mutuo, et tunc perit debitori. Ratio est, quia transfertur dominium rei in creditorem, et sic ipsi perit ; quod currit, ex quocumque titulo res sit restituenda. Excipe nisi creditor miserit aut designaverit hominem certum cui pecuniam committat debitor [4].

[1] Lib. XX, ff. *Commodi.* — [2] Cap. ult. *de Deposit.* — [3] Reg. 86 jur., in 6. [4] Lib. XXXIX *de Solut.*

# DISSERTATIO III.

## De causis excusantibus a restitutione.

*Nota* 1. Regula generalis in qua fundatur omnis causa excusans a restitutione hæc est: *Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet restitutionem omitti vel differri*, potest differri vel omitti, licet de facto sit invitus, quia detentio rei alienæ non est injusta, nisi sit dominus rationabiliter invitus.

*Nota* 2. Inter causas excusantes a restitutione, aliæ excusant ad tempus tantum, id est, suspendunt obligationem restituendi, tamdiu quamdiu ipsæ durant; aliæ vero excusant absolute, et in perpetuum sustollunt omnem obligationem. De primis passim diximus in superioribus articulis.

*Nota* 3. Præter ignorantiam invincibilem, quæ dum permanet, excusat a restitutione, cum prius sit cognoscere obligationem, quam illam implere, sunt variæ causæ de quibus dubitatur an liberent ab obligatione restitutionis, de quibus variis quæstiunculis

Quæres 1. *An remissio creditoris excuset a restitutionis obligatione?*

Resp. *Excusat*, si sit legitima. Ratio est, quia creditor potest donare quod suum est, si jus non resistat.

Ut autem sit legitima, requiruntur tres conditiones: *prima*, ut sit omnino libera; *secunda*, ut remittens rei remittendæ habeat dominium et administrationem a lege non prohibitam; de his duobus diximus ubi de donatione; *tertia*, ut remissio non sit a jure annulata.

Defectu tertiæ conditionis invalidæ sunt: 1° remissio distributionum a Capitulo facta canonico, qui officio non interest[1]; 2° remissio Episcopo facta, si ab Ecclesiis quas

[1] Concil. Trident., sess. 24, cap. 12 *de Reform.*

visitat, aliquid præter necessaria ad victum receperit, imo tenetur duplum restituere intra mensem [1]; 3° remissio facta judici delegato, qui aliquid præter modicas expensas recipit a partibus [2].

*Nota.* Necessarium non est ut remissio sit expressa, sed sufficit si sit legitime præsumpta, nam ex lege 46, § *de Furtis : Recte dictum est, qui putavit se domini voluntate rem attingere, non esse furem ; quid enim doli fecit, qui putat dominum consensurum fuisse ?* Sed omissio restitutionis rei alienæ acceptioni æquiparatur: ergo, etc. Ita S. Ligorius [3], et *satis communiter.*

Quæres 2. *Quid sit cessio bonorum ?*

Resp. Est miserabile et flebile remedium, quo quis, debitis omnibus solvendis impar, bona sua creditoribus dividenda relinquit, ne tradatur in carcerem, aut in eo retineatur.

Duplex est: alia *voluntaria*, alia *judiciaria.*

Cessio *voluntaria* est quam creditores voluntarie acceptant, eosque tantum habet effectus, de quibus debitorem inter et creditores conventum est [4].

Cessio *judiciaria* est beneficium a lege concessum infelici et bonæ fidei debitori, ut libertatem suæ personæ retineat, cedendo omnia bona sua, non obstante quavis stipulatione in contrarium [5]. Inde patet hoc beneficium locum non habere pro debitoribus fraudulentis, in quos graviter animadvertit Codex pœnalis [6].

Quæres 3. *An cessio bonorum liberet ab obligatione restitutionis ?*

Resp. *negat.* Nam *is qui bonis cessit, si quid postea acquisiverit, in quantum facere potest, convenitur* [7]. Ratio est, quia per cessionem non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restitutionis, ne possit detrudi in carcerem.

[1] Cap. 2 *de Cens.*, in 6. — [2] Cap. 11 *de Rescript.*, in 6. — [3] Lib. IV, num. 700. [4] Cod. civ., art. 1267. — [5] Cod. civ., art. 1268. — [6] Art. 394. — [7] Leg. IV, ff. *de Cessione bonorum*, et Cod. civ., art. 1270.

*Nota.* Qui cedit bonis, potest retinere quæ sibi suisque ad parcam sustentationem sunt necessaria [1]. *Item*, si post cessionem aliquid acquisierit, non potest eo spoliari, si eo indigeat ad sui suorumque sustentationem [2].

Ex jure Gallico, omnia bona videntur declaranda [3] ex Codice civili ; sed, attentis dispositionibus Codicis judicialis [4], jus novum facile reducitur ad jus naturale. Ex illis enim articulis, quædam assignantur bona vel instrumenta ad vitam necessaria, in quæ manus injici nequeunt.

QUÆRES 4. *An ingressus in Religionem liberet a restitutione ?*

*Nota.* Professionem nominis debitis gravati esse illicitam, non tamen invalidam, ut declaravit Clemens VIII [5], abrogans quoad hoc punctum Constitutionem Sixti V [6].

*Prima sententia absolute negat.* Ratio est, quia restitutio jure naturali obligat : ergo injuste agit, qui se ad eam reddit impotentem. Ita Suarez, Bonac., etc.

*Secunda sententia absolute affirmat*, cum Div. Thoma [7], qui rationem tradit, dicens : *Propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res : quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem : unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare ; nec tenetur in sæculo manere ut procuret unde debitum reddat.* Ita etiam S. Antonin., Sylvius, Cajet., etc.

*Tertia* vero *sententia probabilior distinguit.* Vel debitor in sæculo manens brevi tempore, puta biennium, *probabiliter* et *sine magna difficultate* sua industria potest solvere quod debet; vel non. *Si primum*, tenetur expectare; *si secundum*, non tenetur. Ratio *primi* est, quia creditor esset rationabiliter invitus, et profitens graviter peccaret, non solvendo, cum posset sine gravi detrimento. Ratio *secundi*

[1] Leg. *Qui bonis*, ff. *de Cess. bonorum.* — [2] Leg. eadem. — [3] Ex art. 1265 et seqq. [4] *Code de procédure*, art. 581 et 592. — [5] Const. anno 1602. — [6] Const. anno 1587. — [7] 2 2, quæst. 189, art. 6, ad 3.

est, quia tunc esset impotentia moralis, cum magnum esset detrimentum suæ libertatis et salutis. Porro, nemo in contractibus censetur se obligare cum tanto onere : ergo, etc. Ita S. Ligor., Sanchez, Salmant., P. Gury, etc.

Dixi 1° *probabiliter*, quia si nulla aut vix nulla esset spes satisfaciendi, nec teneretur differre, cum nihil obsit creditoribus.

Dixi 2° *sine magna difficultate*, id est, sine periculo probabili salutis, vel incidendi in peccatum, vel amittendi vocationem, vel si nonnisi per media insolita, ipsiusque statui dedecentia posset restituere, quia tunc censeretur impotentia moralis.

*Nota.* Si professus debitor profitendo contulerit quædam bona monasterio, hæc subjacent restitutioni, quia successio transit cum onere.

Quæres 5. *An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis ?*

*Nota.* Certum est debitorem non liberari, nec in dubio negativo, neque si præsumptio debitori adversatur.

Resp. ad quæsitum : triplex est sententia.

*Prima sententia* affirmat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet; sed quam falsa sit hæc responsio, patebit ex dicendis.

*Secunda sententia* dicit restituendum esse pro rata dubii, saltem si stat pro utroque probabilitas. Ratio, quia neuter se exponere debet periculo probabili rem alienam detinendi, quod fieri non potest, nisi pro rata dubii restituatur.

*Tertia* vero *sententia, communior* et *probabilior*, negat. Ratio, quia cum debitum est certum, obligatio est quoque certa; sed in casu, debitum est certum : ergo obligatio est quoque certa; sed obligatio certa non extinguitur per solutionem incertam : ergo, etc. Et sic respondetur ad rationem primæ sententiæ.

Ratio *secundæ sententiæ* sic evertitur : illa ratio non va-

let, quæ non efficit ut effugatur periculum rem alienam retinendi; atqui si restituatur pro rata dubii, non efficitur ut, etc.: ergo, etc.

*Prob. min.* Vel facta est solutio, vel non; si *prius*, creditor; si *posterius*, debitor fit possessor rei alienæ: ergo, etc. Unde alia via procedendum est, scilicet: cum certum est debitum, et dubitatur de solutione, præsumptio stat contra illum qui probare debet; onus autem probandi debitori incumbit, siquidem debet curare ut certo restituat; qui enim certo se obligavit erga proximum, non liberatur ab obligatione donec probaverit solutionem.

QUÆRES 6. *An excusetur a restitutione qui non potest restituere nisi per bona superioris ordinis?*

*Nota.* Bonorum naturalium triplex est ordo: in supremo sunt vita, membra, libertas, virginitas, sanitas; in medio sunt honor et fama; in infimo sunt divitiæ.

RESP. *Prima sententia probabilis affirmat.* Ratio, quia qui non potest totum damnum reparare, tenetur saltem compensare partem quam potest; sed qui occidit, vel vulneravit, aut infamavit aliquem, non potest aut vitam, aut membrum, vel etiam forte famam restituere, sed potest pecuniam tradere: ergo per illam tenetur compensare.

Ita plures, cum S. Thoma [1] qui ait: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore.* Et ibidem de famæ restitutione: *Vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare.*

*Secunda sententia communior* et *probabilior negat.*

PROB. 1. *Ex Script. sacra*, Exod. XXI, quæ, loquens de convalescente vulnerato, dicit: *Innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.* Unde sic: innocens declaratur qui percussit, modo restituat damnum in bonis illatum; atqui non potest declarari innocens a culpa morali, seu a peccato, ut patet, sed a res-

[1] 2 2, quæst. 62, art. 2, ad 1.

titutione : ergo restitutio pro vulnere non est facienda, alias non esset innocens.

Prob. 2. *Ratione.* Ubi dari non potest comparatio inter bona, ibi dari non potest compensatio; atqui nulla dari potest comparatio inter bona diversi ordinis : ergo, etc.

*Prob. maj.* In justitia commutativa debet servari æqualitas rei ad rem, damni illati ad rem qua compensari debet; ad hoc autem requiritur mensura communis, seu comparatio inter damnum illatum et rem ejus loco sufficiendam : ergo ubi mensura dari non potest, nec comparatio.

*Prob. min.* Inter bona diversi generis nulla dari potest mensura communis : ergo nulla datur comparatio; unde Christus dicit : *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ergo per quamcumque pecuniam damnum illatum in bonis diversi ordinis non reparabitur, nec in toto, nec in parte. Ita S. Ligor.[1], Laym., Lessius, et alii communiter, qui dicunt tamen congruum esse ut Confessarius imponat aliquid, tum pro pœnitentia, tum ad solatium læso elargiendum.

Resolves 1. Nemo tenetur per amissionem vitæ vel libertatis restituere famam proximi.

Resolves 2. Licet fama ex genere suo sit majus bonum quam divitiæ, tamen, spectatis circumstantiis, in quibusdam casibus hæ illi præponderant in æstimatione humana, v. gr. si sint ingentes divitiæ, et fama exigui momenti, qualis est fama personæ suspectæ, aut vilis admodum conditionis, quæ parvi æstimantur. Nihil tamen est restituendum ratione læsionis famæ, sed forsan ratione damni infimi ordinis inde secuti.

Quæres 7. *An compensatio sit causa excusans a restitutione?*

*Nota. Duplex* est compensatio : alia est *impropria*, quæ est recuperatio rei vel debiti quam facit qui nihil debebat

[1] Lib. IV, num. 627.

suo debitori : v. gr. furatus es meum equum, ego tuum occupo, et hæc excusat, ut patet. Alia est *propria*, et adest quando duæ personæ sibi mutuo sunt debitores, v. gr. tibi debeo centum pro panno, et tu mihi debes centum pro vino ; et vocatur in jure : *debiti et crediti inter se contributio*. Unde

Resp. Hæc compensatio est licita et excusat a restitutione, modo 1° objectum utriusque debiti sit ejusdem speciei, quia nemo cogi potest ad recipiendum vel dandum rem diversam ab ea quæ sibi debetur, vel ipse debet; 2° duo debita sint æque certa et liquida; 3° duo debita sint simul exigibilia, *qui enim terminum habet, nihil debet;* 4° duo debita sint personalia : sic, rem tuam non possum retinere in compensationem debiti, eo quod aliquid debeas fratri vel filiis meis. Cod. civ. [1], D D. Gousset, etc.

*Nota.* Præscriptio debitis vestita conditionibus, sicut sententia judicis adjudicantis aliquid alicui, quod alias ipsi secundum apicem justitiæ non est debitum, si non nitatur falsa præsumptione aut probatione, causa est excusans in perpetuum.

## SECTIO II.

### *De injustitia et restitutione in specie.*

*Nota.* Quadruplicis generis sunt bona in quibus proximus lædi potest, nimirum : 1° bona animi, 2° bona corporis, 3° bona famæ et honoris, 4° tandem bona fortunæ, et de necessaria restitutione, de quibus sequentibus capitibus restat agendum.

[1] Art. 1289.

# CAPUT I.

## DE INJURIIS IN BONIS ANIMI, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

*Nota.* Bona animi duplicis sunt generis, nempe: ***supernaturalia***, quæ conducunt ad salutem sive immediate, ut gratia; sive mediate, ut status religionis; et *naturalia*, ut sunt potentiæ naturales et eorum actus, videlicet intellectus, memoria, scientia, artes, etc. De his duobus articulis.

## ARTICULUS I.

### DE INJURIA IN BONIS ANIMI SUPERNATURALIBUS, ET NECESSARIA INDE RESTITUTIONE.

QUÆRES 1. *An qui alium ad peccatum induxit, vel a virtutis exercitio retraxit, teneatur ad restitutionem?*

RESP. *cum distinctione.* Si vi, metu, vel fraude induxit aliquem in peccatum vel in errorem, peccavit contra justitiam, teneturque ei restituere removendo metum et vim, fraudem et errorem detegendo, et, si necesse est, pecunias ut medium impendendo, damnaque inde secuta reparando. Ratio est, quia per fraudem et errorem fecit ipsi injuriam; sed omnis injuria ex justitia reparari debet: ergo, etc.

Si vero consilio tantum vel precibus, sine vi, metu, fraude, proximum induxit in peccatum, non tenetur ex justitia restituere, *nisi sit superior.* Ratio est, quia scienti et libere consentienti non fit injuria; sed qui sine vi, metu, fraude, ad peccatum inducitur, est sciens et omnino libere volens: ergo, etc.

Dixi *nisi sit superior*, quia superior ex officio, proindeque ex justitia, tenetur subditorum suorum salutem procurare: ergo si desit officio, tenetur restituere.

DICES: Ex supra dictis, consulens tenetur restituere. ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Si inducat ad peccatum injustitiæ, *conc.*; ad aliud peccatum, *nego.* Ratio est, quia inducens peccat contra virtutem cui opponitur peccatum ad quod inducit.

Utrum vero metu, fraude inducens aliquem in peccatum, teneatur etiam *ex justitia* procurare ut alter convertatur, negant multi contra multos. Ratio est: 1° quia sublatis causis erroris, error cessare debet; quod si pergat, non imputari debet decipientis fraudi vel decepti errori, sed malitiæ. 2° Quia, sicuti qui ligavit alterum, et sic impedivit quominus iret ad templum, satisfacit si illum solvat, nec tenetur orare aut efficere ut eat ad templum, ita et hic, metum et vim removendo, fraudem detegendo, alterum restituit libertati, et si seipsummet non convertat, ipsi imputabitur: ergo decipiens non tenetur ex justitia, licet teneatur ex charitate sub veniali tantum, peccantem inducere ad pœnitentiam. Ita Lessius et alii multi.

QUÆRES 2. *An qui candidatum vel professum sine justa causa avocavit a Religione, teneatur satisfacere Religioni?*

RESP. *cum dist.* Si vi, metu, vel fraude avocavit, tenetur ad restituendum damnum, tum candidato, ipsum in pristinum statum restituendo, eique fraudem detegendo; tum Religioni, compensando ipsi spem commodi temporalis, quod ex novitii donatione, labore et industria consecuta fuisset, si injuste abductus non fuisset. Ratio est, quia Religio, sicut quilibet privatus, habet jus ne bonum suum via injusta impediatur.

Si vero precibus tantum vel consilio, absque vi vel fraude retraxit, ad nihil tenetur, tum erga candidatum vel professum, quia volenti non fit injuria; tum erga Religionem, quia quidquid commodi temporalis sperare potest a novitio, omnino a voluntate novitii vel professi, qui servus est non ex justitia, sed ex charitate, pendet; atqui is vo-

luntatem sponte et libere mutavit; ergo nulla infertur Religioni injuria. Ita *communiter*.

## ARTICULUS II.

### DE INJURIIS IN BONIS ANIMI NATURALIBUS, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

Quæres 1. *An qui scientiam vel artem male aut negligenter candidatum docuit, teneatur ad restitutionem damnorum inde ipsi secutorum?*

Resp. *cum dist.* Vel ista docere tenebatur ex officio aut stipendio, vel non : *si primum*, tenetur restituere, quia est injustus damnificator; *si secundum*, ad nihil tenetur, quia sola obligatio justitiæ inducit restitutionis obligationem, modo fraus, metus, etc., non intervenerint.

Quæres 2. *An qui philtro, veneno, potione*, etc., *alium memoria vel usu rationis privavit, teneatur ad restitutionem?*

Resp. Tenetur ex justitia tollere et curare ista mala, si fieri potest, et resarcire damna inde secuta. Ratio est, quia illorum causa fuit per injuriam.

# CAPUT II.

### DE INJURIIS IN BONIS CORPORIS, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

*Nota.* Ut cum ordine procedamus, agemus de injuriis corporis : 1° per homicidium et mutilationem; 2° per stuprum et adulterium, et necessaria restitutione, duplici articulo.

## ARTICULUS I.

### DE INJURIIS IN CORPUS PROXIMI PER HOMICIDIUM ET MUTILATIONEM, ET NECESSARIA RESTITUTIONE

QUÆRES 1. *Quid sit homicidium et quale peccatum?*

RESP. Homicidium, ut hic accipitur, est *voluntaria et injusta hominis occisio;* est peccatum mortale gravissimum, prohibitum quinto Decalogi præcepto: *Non occides;* per illud enim adimitur proximo bonum omnium temporalium maximum et irreparabile.

QUÆRES 2. *An liceat malefactores occidere?*

RESP. Licet *auctoritate publica*, et *probatur*, tum *Exodi* cap. XXII: *Maleficos non patieris vivere;* tum quia Respublica se habet ad singulos homines, sicut homo quisque ad singula membra; atqui homo quisque potest abscindere membrum putridum pro salute totius: ergo et Respublica potest abscindere membra putrida ob suam incolumitatem.

Dixi *auctoritate publica,* quia auctoritate privata non licet; nam non licet occidere peccatores nisi ob bonum Reipublicæ; atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam potestatem: ergo, etc.

*Hinc,* Alexander VII damnavit hanc propositionem: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam;* et Concilium Constantiense [1] definivit non licere subdito Principem suum tyrannice regentem occidere [2].

QUÆRES 3. *An etiam liceat auctoritate publica innocentem occidere?*

RESP. Nunquam licet *per se directe et ex intentione,* nisi accesserit speciale Dei mandatum. Ratio est, quia publica auctoritas nullam aliam in vitam suorum subditorum auctoritatem habet, quam eam quæ sibi a Deo fuit collata; atqui Deus hanc Reipublicæ non dedit potestatem,

[1] Sess. 15. — [2] Conf. S. Ligor., *Hom. apost.*, tract. 8, num. 13.

cum expresse prohibuerit dicens : *Insontem et justum non occides* [1] : ergo, etc.

*Hinc*, non licet infantes, uxores hostium, Clericos, etc., in bello etiam justo captos occidere ; nec rabiosos suffocare ne aliis noceant, sed debent includi et alligari.

Dixi *per se directe et ex intentione*, quia interdum, ob gravissimam causam, indirecte et præter intentionem possunt occidi innocentes : sic, in bello justo licet, ad hostes expugnandos, dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem, in qua innocentes aliqui præter intentionem perituri sunt ; nam utenti jure suo non imputatur effectus præter intentionem secutus.

Quæres 4. *An liceat abortum procurare ?*

*Nota.* Abortus est *præmatura ejectio fœtus ex utero matris.*

Resp. Certum est apud omnes, nullo prorsus modo, cum etiam mortis imminentis periculo, licere directe procurare abortum, sive fœtus sit animatus, quia tunc verum est homicidium causans irregularitatem [2] ; sive nondum sit animatus, quia hoc repugnat conservationi speciei humanæ ; unde Innocentius XI damnavit hanc propositionem : *Licet procurare abortum ante animationem, ne puella deprehensa occidatur aut infametur.* Sola ergo quæstio est de indirecta procuratione abortus, quæ ut solvatur,

Quæres 5. *An liceat matri, cui non potest aliter succurri, præbere pharmacum cum imminenti periculo abortus ?*

Resp. *cum distinct.* Vel pharmacum ex natura sua est ordinatum ad ejectionem fœtus, vel non est ordinatum. *Si primum*, non licet illud matri præbere, sive fœtus sit animatus, sive non, quia esset procurare abortum directe, quod per se malum est. *Si secundum*, iterum distinguo : vel fœtus est animatus, vel non : si est animatus, vel si dubitatur an sit animatus, tunc non licet, quia salus æterna prolis in extrema necessitate præferenda est vitæ corpo-

[1] Exod. xxiii, 7. — [2] Cap. 20 *de Homicid.*

rali matris. Si certo non sit animatus, probabilius est id licere; quia tunc si abortus contingat, non censetur procuratus, sed permissus; nam præter intentionem contingit, matre utente jure quod habet sumendi remedia ad vitæ conservationem necessaria, nec ordinata ad abortum procurandum, sed solum ad sanitatem recuperandam.

RESOLVES: Mortaliter peccare mulierem quæ ex sua notabili negligentia abortum patitur, vel quia *nimis saltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter inordinatas lascivias*, ait S. Antoninus. Item peccat mulier nutrix quæ parvulum suum in lecto juxta se positum etiam inadvertenter suffocat, quia advertere debebat et facile poterat. Hinc in diœcesi Tullensi excommunicatione feritur qui *infantem nondum biennem secum in lecto ponit, si periculum sit ne somnus ponenti obrepat* [1].

QUÆRES 6. *An liceat homini injustum invasorem occidere ne ab eo occidatur?*

RESP. Licere, *servato moderamine inculpatæ tutelæ.*

PROB. Ex Innocentio III dicente: *Omnia jura et omnes leges permittunt vim vi repellere* [2]; et quidem

1° *Lex naturalis*, quæ dictat propriam potius conservandam esse vitam quam alienam, juxta ordinem charitatis.

2° *Lex divina*, quæ declarat [3] occisorem furis nocturni non esse *reum sanguinis*, quia nempe præsumitur venisse animo non solum furandi, sed etiam occidendi, ut explicat S. Augustinus [4].

3° *Lex canonica*, quæ docet: *Non occiditur fur diurnus sine culpa, nocturnus autem sic* [5].

4° *Lex civilis* dicens: *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur* [6].

DICES: Tenemur plus diligere salutem animæ proximi, quam vitam nostram corporalem: ergo cum invadens sit

[1] Statuto anno 1740. — [2] Cap. 18 *de Homicid.* — [3] Exod. XXII. — [4] Quæst. 2a in *Exod.* — [5] Cap. *Perfodiens*, de *Homicid.* — [6] Leg. ff. *de Jure et just.*

damnandus si occidatur, ei per propriam vitam consulendum est.

Resp. *Dist. ant.* Si sit in extrema necessitate spirituali, *conc. ant.*; alias, *nego*. At cum invasor non sit in tali necessitate, sed in voluntaria malitia, non eget ope invasi, sed potest facile se a periculo liberare desistendo ab injuria.

Si qui Patres videantur contrarium asserere, intelligendi sunt vel de defensione facta ex odio, ira, vindicta, vel in casu persecutionis, quæ cum inferatur jubente Principe, per vim repelli non potest.

Dixi in respons.: *servato moderamine inculpatæ tutelæ*, id est, cum observatione modi debiti, ad quam requiruntur quatuor:

*Primum*, ut invasus invasoris mortem non intendat, sed solam sui conservationem; alioquin convinceretur agere ex vindicta.

*Secundum*, ut mors invasoris ad vitæ defensionem ita sit necessaria, ut alio modo conservari non possit, nempe precibus, minis, fuga, etc.

*Tertium*, ut sit actualis aggressio, nam non opus est defensione ubi non est aggressio; hinc damnata est ab Alexandro VII ista propositio: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Non enim est actualis aggressio, sed calumnia.

*Quartum*, ut in defensione invasus non excedat; unde qui vitam tueri potest percutiendo, mutilare non potest; et qui mutilando, non potest occidere; alioquin teneretur restituere pro ratione excessus.

Porro, obiter observandum est nos posse contra invasorem proximi quidquid potest ipsemet invasus; *utrum* autem ad id teneamur,

Resp. Nos teneri ex charitate, secluso tamen gravi nos-

tro incommodo, ita ut qui proximum in hac necessitate positum succurrere negligit, mortaliter peccet; non autem tenemur ex justitia, ita ut restitutioni simus obnoxii, nisi ad id teneamur ex officio vel statu, prout tenentur Princeps, Magistratus, Prætor, qui ratione officii sui, publicæ tranquillitati invigilare debent.

QUÆRES 7. *An liceat occidere pro defensione honoris et famæ?*

RESP. *negat.* Ratio hujus est, quia honor et fama, quæ in hominum versatili opinione consistit, longe inferioris est ordinis quam vita et membrorum integritas: ergo non possunt tueri per occisionem hominis. Deinde vindicta nunquam est licita; sed occisio in tali casu est vindicta, non defensio, cum non impediat quominus quod dictum vel factum est, dictum aut factum non sit: ergo, etc.

*Confirmatur* responsio damnatione duarum propositionum.

Prima, ab Alexandro VII: *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Secunda, ab Innocentio XI: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, vel post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.*

DICES: Scriptum est[1]: *Curam habe de bono nomine:* ergo licet occidere in defensionem famæ et honoris.

RESP. *Nego conseq.* Quæ falso supponit hominem posse boni nominis curam habere per inimici sui occisionem, cum revera hæc cura consistat in eo quod homo nihil turpe agat, sed veram virtutem sectetur, in qua sola consistit vera fama.

INST. Licet occidere invasorem vitæ: ergo a fortiori invasorem famæ. Nam *honor est quid præstantius vita,* juxta

[1] Eccl. XLI, 15.

axioma : ergo, cum liceat occidere invasorem vitæ, a fortiori invasorem famæ.

Resp. *Dist. probat.* Juxta axioma Scripturæ, Patrum, Canonum, *nego;* juxta axioma mundanorum hominum, qui non in cœlo, sed in ore laudantium quærunt etiam post mortem vivere, *conc.* Itaque coram Deo hic vere laudandus est, qui Christi et Sanctorum exemplo *benedicit maledicentibus se, orat pro calumniantibus, et percutienti dexteram maxillam præbet et alteram.*

Quæres 8. *An liceat invasorem pudicitiæ interficere, dum nulla alia via suppetit ad eam defendendam?*

Resp. *affirmat.* Quando aliud non suppetit medium pro tuenda pudicitia. Rationem tradit S. Antoninus [1], dicens: *Et si licet non solum se, sed et bona sua defendere, quare etiam ne pudicitiam amittas?* Et iterum [2]: *Quia mulier utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur saluti suæ providere quam alienæ; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem voluptatis.* Ita etiam S. Ligor. [3], et alii communiter.

Dices: Pudicitia est virtus in anima residens: ergo a violento stupratore eripi nec ipsa potest.

Resp. *Concessis ant. et conseq., nego consequentiam.* Nam, etsi pudicitia violenter eripi non possit, puella tamen non potest se exponere periculo peccandi, permittendo se opprimi, propter difficultatem voluptatis, ut ait S. Antoninus.

Inst. Puella potest resistere peccato per displicentiam formalem, et tunc poterit dicere quod olim S. Lucia tyranno: *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam:* ergo, etc.

Resp. *Nego parit.* Nam S. Luciæ nullum suppetebat medium effugiendi, cum invasores occidere non posset; unde

[1] Part. 2, tit. 5, cap. 6. — [2] Part. 2, tit. 7, cap. 8, et part. 3, tit. 4, cap. 5.
[3] Lib. IV, num. 385.

Deus, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, certo sponsæ suæ erat adfuturus.

QUÆRES 9. *An liceat occidere furem pro defensione bonorum fortunæ magni momenti ?*

RESP. *Prima sententia negat*, dicens quod, quantacumque sint hæc bona, nunquam occidere licet, aut periculo mortis exponere.

PROB. 1. *Exodi* cap. XXII, expresse prohibetur ne fur diurnus occidatur, quia, ut notat S. Augustinus [1], *poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset :* ergo non licet furem occidere qui venit tantum ad furandum.

PROB. 2. Bona temporalia longe inferioris sunt ordinis quam vita : ergo est contra debitum ordinem charitatis occidere proximum pro conservatione bonorum temporalium. Unde Innocentius XI [2] contrariam opinionem damnavit ut *scandalosam*.

*Secunda sententia* probabilissima et communis *affirmat*, modo : 1° res sit magni momenti ; modo 2° nulla suppetat alia via rem tuam servandi vel recuperandi ; modo 3° actualis sit possessio.

PROB. 1. Ex sacra Scriptura [3] : *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Ergo, si non est reus sanguinis, illum licite effudit.

PROB. 2 [4]. Ex jure Canonico, ubi dicitur : *Licuit utique ipsi decano, si prædictus balivus eum bonis suis mundanis injuriose expoliare præsumpserit... se tueri... et quoniam adversus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat*, etc. Ex quo supponit Papa eum potuisse armis sæcularibus se defendere, si vires suppetebant, inquit S. Ligorius [5].

PROB. 3. *Ratione.* 1° Vim vi repellere omnes leges et

[1] Relatus cap. 3 *de Homicid.* — [2] Propos. 31, 32, 33. — [3] Exod. XXII, 2.
[4] Ex cap. *Dilecto, de Sent. excom.*, in 6. — [5] Lib. IV, num. 388.

jura permittunt; atqui vim infert qui bona temporalia vult eripere : ergo, etc.

2° Si non liceret occidere injustum bonorum invasorem, esset quia debitus ordo charitatis id prohiberet, ut volunt adversarii; atqui hæc ratio non valet : nam præceptum charitatis non obligat præferre bona proximi alterioris ordinis, nisi quando proximus est in extrema necessitate, ut tenent communiter Doctores; sed qui sponte se exponit mortis periculo, non est in extrema necessitate, nam alias, nec licitum esset occidere injustum invasorem vitæ, quod omnia jura permittunt, ut supra diximus : ergo, etc. Hanc sententiam expresse defendunt S. Antonin., S. Raymundus, S. Ligorius [1], et communiter Doctores, cum Div. Thoma, qui, ad verba *Exodi* supra relata, eam ut certam manifeste supponit.

Dices : Post allata verba *Exodi* subjungitur : *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur;* atqui non est homicida nisi quia poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum veniret : ergo non licet furem occidere qui venit tantum ad furandum.

Resp. *Nego conseq.* Id enim, inquit S. Ligorius, ex Cornelio a Lapide, non dicitur quia post lucem abest periculum mortis, sed quia alto jam die fur melius agnosci potest, et sic facilius bona recuperari possunt in judicio ; insuper quia, orto jam sole, melius potest fur repelli, invocato vicinorum auxilio.

Dixi 1° *modo res sit magni momenti*, qualis esset jactura illa quæ notabile damnum domino afferret, juxta qualitatem et conditionem personæ : unde damnata fuit ab Innocentio XI propositio 31, quæ dicebat : Regulariter, *possum occidere furem pro conservatione unius aurei.*

Dixi 2° *modo nulla suppetat alia via*, etc., alias non esset licita defensio, nec fieret cum moderamine tutelæ.

[1] Lib. IV, num. 383.

Dixi 3° *modo actualis sit possessio*, propter tres sequentes damnatas propositiones, scilicet :

Propositio 32, ab Innocentio VI damnata : *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ea ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.*

Propositio 33, ab Innocentio XI damnata : *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere....*

Propositio 18, ab Alexandro VII damnata : *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via innocens non potest damnum vitare.*

Resolves 1. Licet furem eminus telo occidere, si rem asportet, et præmonitus de suo periculo, eam nolit dimittere.

2. Licet probabilius furem impedientem occidere, si rem ablatam et exstantem in loco tuto, alia via recuperandi non possis.

3. Licet in hac re Clericis et Religiosis quod et Laicis, et ab irregularitate sunt prorsus immunes.

4. Quod tibi licet pro rebus tuis, hoc licet et pro rebus tibi commendatis, depositis, et pro rebus amicorum et propinquorum, etc., illos adjuvando.

5. Licet alicui sua defendere armis per famulos, amicos, etc. ; quia quod quis potest facere per se, potest et per alios.

*Nota.* Cum defensio sit licita, debet quoque esse vera, id est, opportuna, cum scilicet *certo* noveris inimicum esse determinatum ad invadendum, v. gr. ad hoc parasse arma, vel mandatum dedisse servo, vel domum appropinquantem ; alias *ridiculum esset eum velle cogere*, inquit Roncaglia, *ad expectandum aggressionem, quando justo timeret se non posse amplius eam repellere.*

QUÆRES 10. *Qui alium occidit aut mutilat, quotuplex ei damnum inferat?*

RESP. *Duplex*, nempe *primum naturale* seu *personale*, quod in privatione vitæ vel membrorum consistit. *Secundum* est *reale*, quod ex occisione vel mutilatione oritur.

QUÆRES 11. *An injustus homicida aut mutilator teneatur restituere damnum naturale?*

RESP. *Prima sententia* docet occisorem aut mutilatorem pro vita aut membro præcise sumptis, aliquid restituere debere [1].

*Secunda sententia* probabilior, quam defendimus supra, *negat*, quia quidem omne damnum injuste illatum resarciri debet quantum et eo modo quo potest, nec impotentia restituendi ad æqualitatem liberat debitorem ab obligatione solvendi id quod potest; insuper, occisus vel mutilatus vere patitur damnum, cum privetur usu vitæ vel membrorum, ad quem verum habet dominium; ad hoc autem ut restituatur, damnum debet esse pretio æstimabile; atqui vita et membra hominis liberi non sunt pretio temporali æstimabilia : ergo occisor aut mutilator pro ipsis præcise nihil tenetur restituere, cum nemo ad impossibile teneatur.

Itaque non datur pecunia, quando datur ut pretium vitæ vel membri, sed ut pœnitentia, et ut tollantur effectus hujus damni, nempe mœror, dolor animi; vel pro damno temporali quod inde sequitur.

QUÆRES 12. *Quænam damna realia injustus occisor aut mutilator teneatur restituere, et quibus?*

RESP. Injustus occisor, etiamsi capite plectatur propter injuriam illatam Reipublicæ, nihilominus tenetur restituere occiso, vel hæredibus :

1° Expensas factas in curatione vulneris, vel morbi inde

[1] Ita Div. Thom., 2 2, quæst. 62, art. 2, ad 1; Cajetan., Sotus, Azor. Molina, Valentia, Grandin, Tournely, contra Covar., Navar., Gomez, Lessius, de Lugo, Sanchez.

secut, et compensare omne damnum inde emergens et lucrum cessans ex industria, officio, aut arte occisi vel mutilati, ut definitur in jure [1]; est enim horum causa injusta.

2° Tenetur restituere iis quos occisus jure stricto obligatus alebat ex operis et quæstu; tales sunt parentes, uxor et filii, qui soli jus strictum habent: ita fere omnes. Hæc omnia judicio prudentum æstimari debent, habita ratione variarum circumstantiarum, tum ætatis, tum peritiæ occisi, tum diuturnitatis temporis quo lucrum percepisset, æstimando quasi essent in spe non in re, quasi venderetur spes omnium lucrorum quæ merito ab occiso sperabantur.

3° Nihil debet solvere pro expensis funeris, quæ factæ fuissent si occisus obisset morte naturali; si tamen majores factæ sint propter homicidium, ut si extra patriam occisus esset, eas tenetur solvere, quia earum fuit causa injusta. Sed

QUÆRES 13. *An homicida teneatur restituere hæredibus voluntariis, quales sunt fratres aut alii consanguinei et extranei?*

RESP. *Prima sententia* universe affirmat: 1° quia jus habent ne vi vel fraude a consecutione bonorum illorum impediantur; 2° quia ut hæredes universales succedunt in omnia jura defuncti; atqui defunctus tempore mortis jus habebat ut sibi compensarentur omnia lucra quæ facere potuisset, si vixisset: ergo, etc. Ita Vasq., Scot., Azor., Henno.

*Secunda sententia*, multo *probabilior*, universe negat, quia falsum est hæredes voluntarios succedere in omnia jura defuncti, siquidem non contrahit obligationem realem et personalem tempore mortis occisi, nisi ratione personarum quæ ipsum repræsentant: ergo, etc.

QUÆRES 14. *An homicida teneatur restituere creditoribus*

[1] Leg. ult., ff. *de His qui effuderint.*

*occisi, vel his qui ab occiso liberalitates accipiebant, vel accipere sperabant?*

Resp. *negat.* Etiamsi illa damna præviderit, *modo non intenderit.* Ratio universalis est, quia tale damnum per *accidens* tantum committitur. Illa enim læsio *per se* non est ipsi damnosa, qui cum læso non unum reputatur; atqui nec amici, nec creditores, unum repræsentant cum læso; sunt enim conjuncti debitori tantum per accidens, aut modo civili per contractum, aut ratione charitatis. Porro, quando damnum obvenit per accidens, præter intentionem et remote, sequitur ex actione, non censetur causa physica nec moralis.

Justitia autem non obligat non ponere actiones, etiam vi vel fraude, ex quibus per accidens et remote sequitur damnum tertio; quis enim habet jus ut alius abstineat in actibus suis ab iis quæ remote et per accidens possunt alicui afferre nocumentum? Ergo, etc.

Dixi *modo non intenderit;* alias, *probabilius* teneretur ad restitutionem, quia tunc occisio vel mutilatio esset causa injusta et efficax cur creditoribus et beneficiatis debita vel munera non sint soluta: ipsi enim jus habent ne vi vel fraude ab illis consequendis directe impediantur; qui autem est causa injusta damni proximo illati, illud procul dubio resarcire tenetur: ergo, etc. S. Ligor. [1], Less., Billuart, Lugo, Salmant., etc.

Plures tamen negant, eo quod, quantum attinet ad restitutionem, non est attendendum, inquiunt, quo animo, sed quo jure aliquid fiat, siquidem intentio non facit quod opus externum de se non injustum evadat injustum. Ita Sanch., Sot., Dicast. apud Salmanticenses [2].

*Nota* quod si hæredibus restitutum fuerit quidquid cessavit lucri, aut emersit damni, jam nihil debetur creditoribus, qui quod sibi debitum est ab hæredibus repetere possunt.

[1] Lib. IV. num. 632 et 634. — [2] Num. 108.

QUÆRES 15. *An ad restitutionem teneatur qui alium occidit excedendo modum justæ defensionis, seu moderamen inculpatæ tutelæ?*

RESP. *Plures* negant, quia tunc invasor censetur cedere juri suo. *Probabilius* tamen alii affirmant, si deliberate excesserit, quia invasor habet jus ne privata auctoritate occidatur: ergo occisor excedendo committit gravem injuriam [1].

QUÆRES 16. *An ad aliquid teneatur qui alterum occidit in duello?*

RESP. Alii affirmant de provocante, si provocatum occidat; alii autem utrumque obligant. Sed *probabilius* neuter obligatur, nam *scienti et volenti non fit injuria*, quando jus cedi potest; atqui acceptans sicut provocans potuit et voluit damnum temporale remittere: ergo, etc. Lugo, P. Gury, S. Ligor. [2] et alii.

QUÆRES 17. *An occidens Paulum, putans se occicere Petrum, teneatur ad restitutionem?*

RESP. *Prima sententia* absolute affirmat. Ratio, quia omnis actio materiallter et formaliter injuriosa parit onus, restitutionis; atqui occidens Paulum putans occidere Petrum, facit actionem materialiter et formaliter injuriosam Paulo: ergo, etc.

*Prob. min.* Ex una parte, occisor apprehendit malitiam actionis quam ponit; ex altera parte, error non obstat, cum sit tantum circa qualitatem accidentalem, siquidem habet voluntatem occidendi præsentem hominem, qualiscumque sit: ergo, etc.

*Secunda sententia probabilior* negat, *modo occisor non intenderit alium occidere quam Petrum.*

PROB. Omnis obligatio restitutionis quæ oritur ex damnificatione, necessario supponit injuriam formalem; hæc enim restitutio fit principaliter propter injuriam formalem, ut supra diximus; atqui cum occisor occidit Paulum, invin-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 637. — [2] Lib. IV, num. 638.

cibiliter putans esse Petrum, nullam injuriam formalem et effectivam irrogat Paulo, sed tantum materialem, cum ei non fuerit animus eum occidendi, nec in particulari, nec in generali. Alioquin, sequeretur quod si aliquis amici sui gratia alicui vellet dare alapam, et per invincibilem errorem vellicaret amicum, ei faceret injuriam formalem, quod est absurdum.

Dixi *modo occisor non intenderit alium occidere quam Petrum;* nam si intenderit, saltem confuse seu actualiter implicite, Paulum occidere, etiamsi ignorasset illum esse Paulum, quia aliquem vult occidere, tenetur ad restutionem, quia tunc censetur injuriam facere Paulo, non ut Paulo quidem, sed ut homini præsenti, ac proinde materialem et formalem et affectivam irrogaret injuriam, et sic patet rationem primæ sententiæ valere tantum in casu præsenti. Ita S. Ligor. [1], Lugo, Sporer, Croix, et alii plures.

QUÆRES 18. *An tenearis restituere damnum alteri obveniens ex tuo homicidio quod alteri per errorem imponitur?*

*Casus:* Occulte occidisti Petrum; imponitur homicidium Paulo, qui loco tui afficitur supplicio; ad quid teneris propter hanc impositionem?

RESP. *cum distinctione.* Vel non advertis nec intendis, vel advertis tantum, vel advertis simul et intendis.

*Si primum*, omnes immunem te habent ab omni restitutione, quia hoc damnum Paulo mere per *accidens* evenit actione tua; *per se* autem et directe evenit, aut ex malitia aut ex errore tertii: ergo tibi imputari nequit.

*Si secundum*, quidam dicunt te teneri ad restitutionem, quatenus es causa efficax et injusta damni; *efficax* quidem, quia mors Pauli est consequentia homicidii tui; *injusta* autem, quia qui advertit ex opere suo secuturum damnum alteri, tenetur adhibere cautionem ne sequatur; atqui non adhibuisti: ergo, etc.

[1] Lib. IV, num. 630.

*Si tertium*, id est, si non modo advertas, verum etiam intendas ut tuum homicidium alteri imputetur,

*Prima sententia* docet te ad restitutionem teneri. Ratio, quia, licet actio tua sit causa remota imputationis, tua tamen prava intentio nocendi illam reddit injustam causam moralem damni. Nam, sicut tenetur ad restitutionem qui occidit hominem, ut noceat iis quibus benefaciebat, licet ex liberalitate, ut dictum est supra, ita tenetur qui alium occidit ut homicidium imputetur alteri. Ita Lugo, Cajet., et quidam alii.

*Secunda* vero *sententia probabilior* adhuc te excusat ab omni restitutione (modo semper ea sit actio, ejusque circumstantiæ, ut proxime non influat in imputationem).

Prob. Ille non tenetur damnum resarcire, qui non est illius causa, nec physica, nec moralis, id est, nec *efficax*, nec *injusta*; atqui tu non es causa efficax et injusta mortis Pauli: ergo, etc.

*Prob. min.* 1° Non es causa *efficax*, nam damnum Pauli, cui imputatur homicidium, non est necessario *per se* et *immediate* conjunctum cum morte Petri, sed tantum provenit ex malitia vel errore alterius; Paulus enim non occiditur necessario ex eo quod Petrus fuit occisus, sed ex eo quod erroneo judicio aliorum, illi imputatur mors Petri. Igitur homicidium Petri est erroris occasio, non causa, quia non influit proxime et directe. Et sic respondetur ad exemplum primæ sententiæ, negando paritatem, quia damnum quod evenit iis qui accipiebant liberalitates necessario conjunctum est cum morte benefactoris; unde qui intendit occidere benefactorem ut illis noceat, proxime et directe influit in damnum.

2° Non est causa *injusta*. Nam, secundum communiorem sententiam, intentio prava non facit ut sit injustum opus illud quod ex sua natura et ex circumstantiis non est injustum, cum intentio specificetur ab objecto: ergo, si objectum non est injustum respectu intendentis, nec in-

tentio prava erit injusta, sed tantum contra charitatem; atqui objectum externum non est de se injustum respectu Pauli: ergo nec intentio prava. S. Ligor. [1], Less., Sanch., Croix, etc.

Dices: Qui advertit ex opere suo secuturum damnum alteri, tenetur præcavere: ergo a fortiori non intendere.

Resp. *Dist.* Tenetur præcavere, et a fortiori non intendere, ex charitate, *conc.*; ex justitia, *nego* in sensu quæstionis. Etenim non censetur alteri injuriosa actio illa, ex qua provenit damnum non ex se, sed ex malitia vel errore aliorum; sed obligatio stricta justitiæ cavendi, obtinet solum quando actio *de se* et proxime influit in damnum, non vero quando tantum per accidens et ex malitia tertii: ergo, etc.

Ex his, inquit Lessius, innumeræ questiones solvi possunt, quibus quæritur utrum sit peccatum contra justitiam, an tantum contra charitatem.

## ARTICULUS II.

### DE INJURIIS IN CORPUS PER STUPRUM ET ADULTERIUM, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

Quæres 1. *Quid debeat restituere stuprator virginis?*

Resp. Qui virginem sponte consentientem, et absque ulla vi, fraude, importunitate precum et promissione matrimonii defloravit, nihil ex justitia eidem, neque parentibus tenetur restituere in foro conscientiæ. Secus, tenetur pro rata parte influxus in libertatem virginis.

Prob. *responsio* explicatione ejusdem.

Dixi 1° *virginem sponte consentientem*, quia scienti et sponte consentienti, jurique suo cedere volenti non fit injuria: ergo nulla compensatio est facienda.

Dices: Puella juri suo cedere non potest: ergo semper ei fit injuria.

[1] Lib. IV, num. 636.

Resp. *Dist. ant.* Juri suo cedere non potest quoad claustrum virginale, *conc.;* quoad reparationem damnorum ex violatione claustri virginalis obvenientium, *nego ant.*

Dixi 2° *absque ulla vi, fraude;* quia qui his mediis vitiavit virginem, tenetur compensare omnia damna virgini et ejus parentibus inde obvenientia; quia est illorum causa per injuriam: ergo tenetur illa resarcire pecunia, vel eam ducere, si aliter resarcire nequeat [1].

Dixi 3° *importunitate precum*, talis, scilicet, et sic durans, ut puella majus detrimentum putaret vexationem illam, quam virginitatis jacturam, quod rarissime accidit. Alioquin ex illo titulo non tenetur; preces enim illæ vel promissiones non faciunt quominus virgo libere et sponte consentiat, cum facile possit, ut decet, molestiam illam excutere.

Dixi 4° *sine promissione matrimonii*, quia talis promissio est adimplenda, *sive fuerit vera*, tunc enim est verus contractus onerosus sub conditione quæ fuit impleta ab una parte; *sive fuerit ficta*, tunc enim deceptor tenetur deceptionem tollere veram promissionem faciendo, et factam præstando [2]. Attamen

*Excipiuntur quinque casus*, in quibus eam non tenetur ducere:

*Primus*, si corrupta finxit se virginem, nobilem, divitem, cum non esset, quia injuste decepit, et in injuriis datur compensatio.

*Secundus*, si corrupta postea fornicetur cum alio, quia talis injuria illata est sufficiens causa resiliendi.

*Tertius*, si corrupta fictam esse promissionem potuerit deprehendere, v. gr. ex magna disparitate conditionis in

[1] S. Anton., 2 part., tit. 5, cap. 6.

[2] Ita S. Thomas, S. Anton., S. Ligor. (num. 642) Lessius, Salm., Billuart, et alii communiter contra plures recentiores, et maxime eos qui contendunt contractum sub conditione de re turpi nullam parere obligationem, etiam post verificationem conditionis.

nobilitate, divitiis, etc., tunc enim deceptionem sibi debet imputare.

*Quartus*, si ex matrimonio promisso gravia timeantur incommoda et scandala, v. gr. graves discordiæ inter familias, infelices exitus, etc., quia tunc est irrationabiliter invita, modo damnum aliunde reparetur.

*Quintus*, si superveniat impedimentum dirimens, in quo Papa non soleat dispensare, v. gr. si susceperit sacros Ordines.

Dixi 4° *ex justitia;* nam probabile est stupratorem, si dives sit, teneri ex charitate virginem defloratam pauperem dotare, quia, ut plurimum, pauperes in sui defloratione nem non consentiunt, nisi sub spe dotis; quod in praxi est sequendum, nisi bene jam nupserit.

Dixi 5° *in foro conscientiæ*, quia in foro externo præsumitur virginem seduxisse, nisi contrarium probet.

Dixi 6° *eidem, neque parentibus;* nam, etsi non consenserint parentes, non tenetur stuprator reparare damnum quod ipsis non intulit: si nempe majorem postea dotem conferre non debeant filiæ, ut æque bene nubat ac nupsisset ante deflorationem. Ratio, quia, sicut puella potest libere respuere nuptias, vel matrimonium inconveniens inire, quin faciat injuriam parentibus, ita nec ipsorum jus violat defloror, virginem consentientem deflorans [1]. Debetur tantum quædam satisfactio honoraria, si opportune fieri possit.

Quæres 2. *Ad quid teneatur stuprator ergà prolem?*

Resp. *cum distinctione.* Vel puella libere in peccatum consensit, vel non.

*Si primum*, ex *jure Romano*, mater tenetur alere infantem primo triennio, et postea ei pater providere debet. Ex *jure* autem *Gallico*, nihil statuitur; verum jurisperiti communiter sentiunt patrem et matrem teneri in solidum nutrire prolem legaliter recognitam, donec ipsa sufficienter

1 S. Ligor., lib. IV, num. 641, Billuart, Lugo, etc.

sibi providere possit[1]. Unde D. Gousset[2] : *On doit suivre la même règle pour les enfants naturels qui ne sont pas reconnus :* nihil enim juri naturæ congruentius.

*Si secundum,* stuprator tenetur *primo loco* prolem nutrire et educare, quia tunc est causa principalis stupri : sed ejus defectu tenetur ipsa mater, *quia mater est,* servans recursum in corruptorem.

QUÆRES 3. *Ad quid teneatur adulter?*

RESP. Vel 1° ex adulterio secuta non est proles, vel 2° certo secuta est, vel 3° dubitatur an sit secuta.

Si 1° proles non sit secuta, adulter nihil tenetur restituere marito adulteræ, cum nullum sit secutum damnum ; et pro injuria ab omni damno separata, non debeat fieri restitutio, sed solum quædam satisfactio honoraria per signa doloris, si sit cognita injuria.

Si 2° proles ex adulterio certo moraliter nata sit (ut si eo tempore maritus adulteræ fuerit absens, æger, etc.), tenetur adulter : 1° alimenta subministrare proli ab anno tertio ad tempus quo sibi de alimentis providere poterit ; imo ab ipso partu, in defectum matris, quæ primo triennio tenetur alere filium natum, ut colligitur ex utroque jure[3] ; 2° compensare omnia damna quæ marito adulteræ, uti et legitimis hæredibus, ex suppositione spurii consequuntur, propter ejus sustentationem et hæreditatis partitionem, quia est causa damni quod patiuntur.

*Nota.* Nec adulter, nec adultera *probabilius* tenentur restituere filiis legitimis bona quæ consanguinei vel amici patris et matris ex liberalitate dederunt spurio quem legitimum putant, quæque filiis legitimis dedissent si deceptio abfuisset, quia damnum non venit *per se* ex adulterina suppositione, sed *per accidens* ; et cum filii legitimi nullum habeant jus ad hæc bona, nulla eis fit injuria, ex supra dictis.

[1] Cod. civ., art. 203 et 303. — [2] Num. 1016. — [3] Cap. 2 *de Convers. Infidel.*, lib. IX, cod. *De patria potestate.*

Si 3° adulter sit in dubio an nata proles sit sua, plures dicunt adulterum pro rata parte dubii ad restitutionem teneri. Ratio est, quia quando constat crimen admissum fuisse de se sufficiens ad damnum inferendum, præsumptio est contra nocentem, damnumque ei tribuendum, nisi probet illud sua culpa non contigisse. Verum

*Probabilius* mihi videtur cum Lessio[1] quod 1° in dubio melior præsumptio stat pro marito, et filius reputatur legitimus.

2° In dubio melior est conditio possidentis, etiamsi de actu damnifico constet, cum non constat de effectu; nam nemo tenetur aliquid solvere, et re sua se spoliare, nisi eam constet se debere : ergo, etc.

Dices : *Ille* tenetur solvere, cui probationis faciendæ incumbit obligatio; atqui faciendæ probationis obligatio incumbit adultero : ergo, etc.

*Prob. min.* Ponenti actionem damnificativam incumbit onus probandi ex sua actione damnificativa nullum damnum obvenisse; atqui adulter posuit actionem damnificativam : ergo patet quod faciendæ probationis obligatio incumbat adultero.

Resp. *Nego min.* Ad probationem, *dist. maj.* Ponenti actionem damnificativam probationis faciendæ obligatio incumbit, si non concurrit alterius actio pro qua stat præsumptio, *conc.;* si concurrit simul talis actio, *nego.* Atqui, in dubio an nata proles sit adulteri vel mariti, præsumptio stat pro marito qui filios ex uxore sua natos agnoscit ut suos, donec constet de contrario : ergo onus probandi non incumbit adulteri. Præterea, ut moraliter constet aliquem esse causam damni, non sufficit ut ponat actionem aptam ad damnum inferendum, sed requiritur ut certo moraliter constet damnum inde esse secutum; atqui non semper adulterium est causa prolis, sicut non semper consilium est causa damni : ergo donec constet, adulter non tenetur.

[1] Lib. II, cap. 10, dub. 6.

Resolves : Ex hoc principio, plures adulteri qui seorsim, sine consilio, singulo insciente et non prævidente, rem habuerunt cum adultera (idem dic de fornicatione), in dubio cujusnam sit proles, probabilius non tenentur ad restitutionem, nec in solidum, nec pro rata dubii; sed onus providendi proli innocenti incumbit mulieri, quæ sola tunc est causa injusta hujus incertitudinis.

Quæres 4. *Ad quid teneatur adultera, si proles sit secuta?*

Resp. Vel 1° fuit corrupta simpliciter invita, vel 2° secundum quid invita, vel 3° libere consensit.

Si 1° fuit simpliciter invita, ipsa ad nullam restitutionem tenetur, cum non intulerit, sed passa sit injuriam.

Si 2° fuit secundum quid invita, tenetur quidem adulter prior restituere, cum sit principaliter causa; sed ipso deficiente, tenetur adultera, quia absolute consensit, et per actionem injustam in damnum influxit.

Si 3° libere consensit, æqualiter cum adultero omnium damnorum restitutionem dividere tenetur. Ratio est, quia æqualiter cum adultero in damnum concúrrit: hinc, deficiente adultero, ad totum damnum resarciendum obligatur.

Quæres 5. *Quid præstare debeat adultera ut damnum reparet?*

Resp. Si habeat bona paraphernalia, ex iis tenetur damna illata compensare; si vero non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare; de cultu corporis sui et solitis sumptibus detrahere quantum patitur conditio status, valetudo, etc.; imo, juxta multos [1], debet statum religiosum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Quæres 6. *Si adultera non possit eo modo damna illa resarcire, teneturne crimen suum veris hæredibus vel spurio aperire?*

Resp. *negat.* Ratio est, quia confessio illa solet esse valde noxia, et parum utilis; est valde noxia, quia ex illa timeri solet gravis adulteræ infamia, mariti in illam excan-

[1] Lessius, Tournely, Habert, Antoine, etc.

descentia, imo et periculum mortis. Est parum utilis, cum non teneantur alii matri adulterium suum proferenti credere, juxta regulam juris : *Alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides.*

QUÆRES 7. *Quid sentiendum sit de fornicariis, adulteris, qui proles suas exponunt, vel mittunt in nosocomium?*

RESP. AD PRIMUM. Peccant mortaliter, nisi propter extremam indigentiam, nullo modo vel laborando, vel mendicando, eos alere possint, quia filios exponendo, sæpius mortis periculo eos committunt.

RESP. AD SECUNDUM. Plures dicunt quod hospitalia ad hujusmodi proles nutriendas erecta sunt tantummodo in pauperum subsidium; hinc, si fornicarii vel adulteri possideant media sufficientia ad alendum puerum, tenentur hospitali refundere alimenta tali puero administrata. Ita Lugo, Billuart, Bouvier, etc.

Alii vero negant, quia hujusmodi nosocomia erecta sunt et dotantur pro omnibus indiscriminatim infantibus qui abjiciuntur, ut infantes liberarentur a discrimine mortis tum spiritualis, tum corporalis; atqui infantes illegitimi divitum non minus, imo majus discrimen subeunt ob infamiam parentum, quam infantes pauperum : ergo, etc. Ita *probabilius* S. Ligor., Layman, Croix et alii.

In praxi vero hujusmodi delinquentes hortandi sunt, ut aliquid, saltem titulo pœnitentiæ, hospitalibus tribuant, maxime si non sint opulenta.

## CAPUT III.

### DE INJURIIS IN FAMA ET HONORE, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

*Nota. Fama*, quæ *est interna existimatio de alicujus excellentia*, læditur per detractionem, calumniam, judicium temerarium et susurrationem.

*Honor* vero, qui est *externa significatio excellentiæ alterius*, læditur per contumeliam et irrisionem; unde

Agemus 1° de detractione et calumnia; 2° de judicio temerario et susurratione; 3° de contumelia et irrisione, et de necessaria restitutione, triplici articulo.

## ARTICULUS I.

### DE DETRACTIONE ET CALUMNIA, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

QUÆRES 1. *Quid sit detractio?*

RESP. Est *injusta et occulta famæ alienæ denigratio.*

Dicitur 1° *injusta*, id est, sine justa causa, quæ solum adesse censetur, cum damnum nobis aut proximo impendens averti non potest, nisi hac criminis detectione, ut dicemus infra.

Dicitur 2° *occulta*, ut distinguatur a contumelia, quæ fit in præsentia illius cujus honori detrahitur, aut cum intentione ut ad aures ejus perveniat.

Dicitur 3° *aliena*, per quod propria fama excluditur a ratione detractionis proprie dictæ.

QUÆRES 2. *Quid sit calumnia?*

RESP. Est *falsi criminis vel defectus impositio.* Calumnia sub detractione quasi species sub genere continetur, ut patet ex modis quibus fieri potest detractio.

QUÆRES 3. *Quot modis fieri possit detractio?*

RESP. *Octo*, quorum quatuor priores *directe*, quatuor posteriores *indirecte* famam proximi lædunt. Nimirum,

1^us^ Falsum crimen aut detectum imponendo.
2^us^ Augendo verum crimen aut defectum.
3^us^ Occultum detegendo.
4^us^ Alterius recte factum sinistre interpretando
5^us^ Recte facta et dotes alicujus negando.
6^us^ Illas dotes et recte facta minuendo.

7^us^ Tacendo bona alterius, eo loco et tempore quo silentium pro tacita vituperatione interpretabitur.

8^us^ Adeo frigide alterum laudando, ut facile sentiant alii eum quem laudas, parum tibi videri laude dignum.

Hos detrahendi modos exprimunt versus sequentes :

> Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
> Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

*Nota.* Omnes hi modi detractionis sunt ejusdem speciei, quamvis alii aliis graviores sint; imo, *probabilius*, etsi bona quæ detractione violantur, sint specie distincta, v. gr. justitia et castitas, propter unitatem famæ, in cujus læsionem tanquam in objectum formale tendunt omnes detractiones : fama enim de castitate non videtur differre specie a fama de justitia, sed tantum secundum majus et minus[1].

Quæres 4. *Qualia sint peccata detractio et calumnia ?*

Resp. Detractio et calumnia formalis *ex genere suo* sunt peccata mortalia contra charitatem et justitiam.

Prob. 1. Nemo est dignus morte, nec excluditur a regno cœlorum, nisi propter peccatum mortale; atqui *detractores,* juxta Apost. [2], *sunt digni morte, neque regnum Dei possidebunt* [3].

Prob. 2. Detrahere legi est peccatum mortale ex genere suo; sed, ex B. Jacobo [4], qui detrahit fratri, detrahit legi : ergo, etc.

Dixi *ex genere suo :* detractio enim venialis esse potest : 1° ob indeliberationem; 2° ob levitatem materiæ, cum non graviter lædit; 3° ob ignorantiam et inadvertentiam nocumenti; 4° ob subitum passionis impetum ; 5° ob præcipitationem mentis et linguæ.

Quæres 5. *Unde detractionis gravitas vel levitas desumenda sit ?*

[1] Salmant., cap. 4, num. 43, Cajet., etc. — [2] Rom. I, 30. — [3] I Cor. VI, 10. [4] Jacob. epist. cap. IV, 11.

Resp. Desumenda est: 1° *ex circumstantia defectus,* vel vitii quod narratur relative ad personam læsam; nam fieri potest ut quod respectu unius est materia gravis, sit levis respectu alterius: v. gr. si dicas de puero vel famulo quod sit mendax, materia est levis; si idem dicas de prælato, vel religioso, aut laico honorato, materia est gravis: nam inde graviter læditur fama ipsorum, cum ii qui mendacio sunt dediti, parvi fiant, maxime si ex statu, munere, officio, etc., cæteris virtute præstare debeant. *Item,* leve est dicere de milite, quod duellum commiserit, etc.

Dixi *ex circumstantia defectus,* qui si habeatur pro re infami, et proximo ludibrio et contemptui exponat, censetur gravis.

*Hinc,* quamvis possit esse solum veniale referre aut exprobare defectus naturales involuntarios, v. gr. ingenii, corporis, fortunæ, cum hi defectus non sint culpabiles, tamen mortale est, si sint de re infami vel probrosa; ratio est, quia inde fama et honor graviter læditur. Unde graviter peccaret qui de aliquo diceret quod sit spurius, quod ejus pater suspensus fuerit.

2° *Ex conditione detrahentis,* si sit gravis et discreta persona, aut garrula et levis. Hinc, plerumque excusantur plebei et mulierculæ quæ inter rixandum graves defectus sibi invicem sibi objiciunt, quia vix talibus fidem præbent audientes.

3° *Ex conditione audientium,* qui si sint prudentes et discreti, multo minus ex detractione sequitur malum.

4° *Ex qualitate locorum, morum, et aliis circumstantiis.* Unde

Resolves: Si audita peccata narras auditoribus non credituris, non peccas mortaliter, abest enim periculum notabilis damni: si credituris ex sua levitate, non peccas contra justitiam, quia non es causa efficax damni, sed illud evenit per accidens; peccas vero contra charitatem.

ponendo causam, sine motivo, ex qua grave damnum obvenit proximo. Si narras ut probabiliter et merito audientes sint crediturí, peccas graviter contra justitiam et charitatem [1].

QUÆRES 6. *Quisnam modus detractionis sit gravior?*

RESP. *Gravior* est qui fit per libellum famosum, quam qui fit voce, tum quia ad plurimos pervenit, tum quia vix potest aboleri. Unde morte punitur et qui libellum famosum sparserit, et qui inventum vulgaverit [2]. *Gravissimus* est ex genere suo qui fit per falsi criminis impositionem, cum contineat mendacium periculosum; unde nulla ratione cohonestari aut excusari potest. Ideo etiam mortis periculo, nec alteri, nec sibi ipsi falsum crimen imponere licet: hinc, reus qui ad vitanda gravia tormenta falsum crimen sibi imposuit, ob quod sit ad mortem vel mutilationem damnandus, peccat mortaliter, nec potest absolvi, nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

QUÆRES 7. *Quænam sint justæ causæ quæ detrahentem a peccato excusant?*

RESP. *Sunt duæ. Prima* est *justitia,* dum nempe quis ex officio suo tenetur manifestare furtum, aliudve crimen in alium perpetratum.

*Secunda* est *charitas,* dum nempe quis aliter non potest impedire damnum sibi vel proximo impendens. Ratio est, quia detractio non est peccatum, cum non est inordinata; atqui detractio quæ fit ob justam et rationabilem causam, non est inordinata: ergo, etc.

*Hinc,* liber est a culpa: 1° qui ex charitate sibi debita, injuriam sibi occulte illatam alteri revelat animo petendi consilium aut auxilium ad præcavenda aut resarcienda mala; imo id non pauci licitum esse credunt, ut injuriam passus solatium dolorisque lenimentum recipiat, quibus adhærebo, etsi necesse sit nominare personam nocentem.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 976. — [2] Leg. unica, cod. *de Famosis libell.*

quamvis verum solatium possit sine infamatione proximi obtineri, scilicet confugiendo ad Deum, qui *consolatur nos in omni tribulatione nostra* [1]. Ratio, quia valde grave est et ab humana conditione alienum, inquit Billuart, quod quis solus debeat ferre injuriam absque ulla consolatione et querela.

2° Qui ex charitate debita nocenti, monet superiores, patresfamilias, de vitiis subditorum, filiorum, famulorum, etc., ut eos corripiant.

3° Qui ex charitate debita communitati, detegit incuriam et ignorantiam medici, advocati, Confessarii ; *item*, qui detegit improbitatem candidati ad officium aut Beneficium promovendi ; *item*, qui detegit crimen quod tendit in detrimentum religionis, puta si dogmata evertit, si falsas doctrinas spargit, etc.

4° Qui ex charitate proximo debita, monet juvenes de improbitate quorumdam sociorum suorum, ut eorum perversum fugiant consortium ; *item*, qui monet alterum ut in famulum, in uxorem non assumat talem, nihil aliud initio allegans, quam quod ei non convenit ; sed si alter persistat velle eum assumere, potest dicere famulum esse furacem, puellam esse corruptam, etc.

*Nota.* Ut in his omnibus christiane procedatur, cavendum est ne plus aut pluribus detegatur crimen, quam ad avertendum malum necesse sit.

Quæres 8. *An peccet contra justitiam qui crimen in uno loco, v. gr. in una civitate publicum, revelat in alio ubi ignoratur ?* Ante responsionem,

*Nota* quod crimen potest esse publicum *triplici* modo, nempe :

1° *Ipso jure*, de quo constat per juridicam sententiam.

2° *Ipso facto*, quod ita coram multis est factum, ut nulla tergiversatione celari queat.

[1] II ad Cor. I, 6.

3° *Communi fama,* dum rumor criminis perpetrati ad aures majoris partis communitatis pervenit. His positis,

Resp. 1. Si crimen sit per sententiam judicis publicatum, ubivis divulgari potest *absque injustitia et læsione charitatis*, tum quia reus jus omne amisit ad famam suam; tum quia sententia publice et media luce fertur et executioni mandatur, ut cæteris ubique sit in exemplum et terrorem.

Dixi *absque injustitia et læsione charitatis*, contra quosdam qui docent quod, si quis absque necessitate crimen proximi quovis modo publicum, alteri nescienti revelat, peccat contra charitatem, *saltem venialiter*, cum præcipiat charitas ne quis alteri faciat quod sibi fieri nollet; at certo peccaret *mortaliter*, si ex odio et vindicta id faceret.

Dices : Delictum in una Religione publicum, etiam per sententiam judicis regularis, injuste extra eam revelatur; ergo a pari, etc.

Resp. 1. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ex mente judicis regularis, sententia non est lata pro publica notitia aliorum, sed solum pro privata suorum subditorum; alioquin communi Religionis bono esset perniciosa.

Resp. 2. Si crimen sit in uno loco publicum sola publicitate facti vel famæ, tunc, juxta multos [1], est mortale contra justitiam illud divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura. Ratio est, quia auctor criminis per publicitatem facti vel famæ non amisit jus ad famam in locis quibus fama non erat crimen perlatura; fama siquidem est divisibilis, cum quis bonum nomen habere potest in uno loco, non in alio; unde, sicut non amitto jus ad pecuniam quam habeo Parisiis, quia illam amisi quam habebam Nanceii, ita non amitto jus ad famam quam habeo Parisiis, licet eam amiserim Nanceii.

[1] Tolet., Adrian., Rebell, Valentia, Molina, Antoine, Paulus a Lugd., etc.

Sed *verius* alii distinguunt cum S. Ligor.[1] : vel crimen reddit hominem societati perniciosum, vel non.

*Si primum*, non peccat neque contra justitiam, neque contra charitatem, quia bonum publicum postulat tales homines societatis pestes non ignorari, ut ab eis omnes caveant; bonum enim publicum certo præferendum est famæ privati et perversi hominis.

*Si secundum*, graviter peccare videtur diffamans contra justitiam et charitatem, propter rationem allatam.

Dixi *in loco quo fama non erat illud perlatura*, quia non est contra justitiam criminosum infamare in locis vicinioribus ad quæ, moraliter loquendo, fama delicti ejus poterat pervenire; quia, eo ipso quo quis peccavit publice, censetur interpretative cessisse juri quod habebat ad famam in illo loco et in locis vicinioribus.

Cæterum omnes Theologi fatentur licitum esse tum historiis, tum ephemeridarum scriptoribus, publica alicujus crimina describere, etiam ex solo facto ad instructionem tum posterorum, tum coævium. Circa vero facta occulta, non plus illis licet quam cæteris.

QUÆRES 9. *An peccet contra justitiam, qui crimen alias publicum, jam vero obliteratum, revelat ?*

RESP. *affirm.* Ratio est, quia crimen oblivioni datum est occultum; sed crimen occultum non potest revelari sine injustitia : ergo, etc.

QUÆRES 10. *An peccet contra justitiam, qui de uno crimine infamatum, infamat de alio occulto ?*

RESP. Vel crimen occultum habet affinitatem cum crimine de quo est infamia, vel nullam cum eo habet affinitatem.

*Si primum*, non peccat contra justitiam qui crimen affine detegit ei qui principale noscit. Ratio est, quia non censetur nova infamia inferri, nec prior augeri, ut si de homine publice ebrioso dicas eum cum uxore rixari, non

[1] Lib. IV, num. 974.

recte curare rem familiarem, etc. Peccat tamen venialiter contra charitatem.

*Si secundum,* peccat contra justitiam qui crimen occultum alteri crimini de quo est infamia non affine nec connexum, detegit. Ratio est, quia injuste infertur ei nova infamia gravis; fama enim est quid divisibile, partibus diversæ rationis constans, quarum si una auferatur, superest altera, proindeque jus ad illam conservandam.

Hinc, graviter peccat contra justitiam qui de publico ebrioso dicit quod adulterium, furtum, etc., commiserit.

QUÆRES 11. *Qualiter peccet qui crimen occultum refert, non nominata persona?*

RESP. 1. Si ex narratione non possit dignosci persona, ex hoc capite non peccat; secus, si dignosci possit, ut patet.

RESP. 2. Si, non nominata persona, nominet aut indicet qualitatem, quod sit Religiosus, Ecclesiasticus, aut ex quo Ordine, Collegio, Communitate, distinguendum est: vel narratio fit inter Ecclesiasticos aut Religiosos, aut viros prudentes et pios; vel apud sæculares et imperfectos.

*Si primum,* nullum est peccatum, saltem grave. Ratio est, quia tunc 1° non est diffamatio peccatoris cujus nomen tacetur; 2° neque Ordinis aut Communitatis, tum quia ex uno peccato non diffamatur status aut Communitas, sicut nec Collegium Apostolicum ex una proditione Judæ; tum quia cum auditores sint justi rerum æstimatores, quod unius peculiare peccatum est, toti communitati non infligunt. Ergo, etc. Secus vero dicendum, si quid infandum in totam communitatem spargeretur, dicendo, v. gr. quod in tali communitate vel Ordine male vivitur.

*Si secundum,* plerumque est peccatum mortale, quia sæculares et imperfectos, sæpe quod est uni proprium omnibus imponunt; unde S. Augustinus, in psalmum LXVIII: *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me*

*psallebant qui bibent vinum,* dicit: *Ad quid aliud sedent isti, et quid aliud captant, nisi ut quisque Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes manifestari?* Ergo, etc.

QUÆRES 12. *An detrahat proximo, qui, narrando crimen occultum alterius, narrat simul ejus pœnitentiam?*

RESP. *negative.* Si tanta sit pœnitentia ut longe superet infamiam criminis. Si secus, *ordinarie* loquendo, est peccatum detractionis, quia notitia pœnitentiæ non penitus abstergit infamiam peccati.

QUÆRES 13. *Quis teneatur ad restitutionem famæ?*

RESP. Omnis et solus qui eam abstulit, aut ad ejus ablationem moraliter cooperatus est, quales sunt mandans, consulens, movens, non obstans, cum tenetur ex officio obstare, sive scienter et ex malitia, sive ignoranter et ex inadvertentia id fecerint. Ratio est, quia illi soli per veram injuriam famam alterius violarunt: ergo ii soli famam resarcire debent.

DICES: Qui ignoranter et ex inadvertentia famam alterius læsit, non peccavit: ergo non tenetur famam restituere.

RESP. *Nego conseq.* Obligatio est restituendi ratione famæ ablatæ; hæc autem obligatio respicit peccatum non quod est actu, sed quod esset nisi restitueretur fama, non secus ac ille peccaret, qui bonum alienum a se bona fide possessum non restitueret, cum alienum esse cognosceret.

COLLIGES 1. Hæredem detractoris non teneri ad restitutionem famæ a defuncto violatæ, quia hæc obligatio est mere personalis; tenetur tamen resarcire damna realia ex detractione secuta; quia hæc obligatio afficit bona defuncti, quæ cum tali onere transeunt ad hæredem.

COLLIGES 2. Qui ita audit detrahentem ut eum ad detrahendum inducat; *item,* qui non impedit detrahentem cum

ex officio tenetur impedire, qualis est superior, paterfamilias, etc., peccant graviter contra charitatem.

Utrum vero peccent contra justitiam, alii affirmant, si sit superior infamati; alii vero si sit superior detrahentis; sed sententia forte probabilior negat peccare contra *justitiam*, 1° neque superiorem infamati; ipsi enim non incumbit ex justitia bono temporali subditi attendere; 2° neque superiorem detrahentis, nisi sit Episcopus, vel Parochus, aut paternam habeat auctoritatem. Ratio, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi. S. Ligor. [1], Sotus, Lugo, etc.

Colliges 3. Simplicem auditorem detractoris, si ad detractionem nullatenus cooperatus est, ad restitutionem non teneri, quia non peccavit contra justitiam, sed venialiter saltem contra charitatem debitam tum ei cui detrahitur quem a detractione sicut seipsum defendere debet, si absque incommodo possit; tum detractori quem posset corripere, saltem indirecte, nimirum exeundo, vel sermonem ex abrupto interrumpendo, vel tristem vultum exhibendo, juxta illud *Proverb.* xv: *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.*

Dixi *si absque incommodo possit*, quod rarissime accidit; nam quia in hac materia detractionis, inquit S. Ligorius [2], difficillime constare potest correctionem proficere, et aliunde facillime offenduntur detrahentes coram aliis correpti, imo periculum est quod potius augeant et confirment detractionem: ex omnibus iis motivis simul congestis, rationabiliter sustineri potest præfata communissima sententia, excusans universe audientes a mortali, si correctionem omittant.

Quæres 14. *Quid restituere teneatur detractor?*

Resp. Tenetur 1° restituere famam ablatam, non soluṁ apud eos quibus peccatum proximi revelavit, sed et apud eos quibus a primis audientibus divulgatum fuit. Ratio

[1] Lib. IV, num. 980. — [2] Lib. IV, num. 981.

est, quia hæc divulgatio ipsi est imputabilis, cum eam prævidere debuerit ac facile potuerit.

2° Tenetur resarcire damna ex detractione orta : sic, qui detractione alium impedivit a boni alicujus consecutione, tenetur ei restituere juxta spem illius obtinendi, cum injuste eum impediverit ; *item*, qui detractione causa fuit cur infamatus bonum jam a se comparatum amiserit, totum restituere tenetur, cum injuste eum a sua possessione disturbaverit.

QUÆRES 15. *Quandonam detractor famam restituere teneatur ?*

RESP. Tenetur quamprimum fieri potest, ne per ulteriorem diffamationem gravior evadens, gravius fiat peccatum, eo modo quo dictum est dum agebamus de necessitate restitutionis [1].

QUÆRES 16. *Quomodo fama sit restituenda ?*

RESP. *cum distinct.* Vel detractor falsum crimen alteri imposuit ; vel crimen verum, sed occultum propalavit.

*Si primum*, calumniator tenetur se retractare apud eos qui audierunt ejus calumniam ; et si fides ipsi non adhibeatur, debet suam retractationem testibus firmare juramento, si necesse sit. Ratio est, quia justitia jubet ut omni qua possumus efficacia injuste ablatum restituamus.

*Si secundum*, non debet se retractare, nam mentiretur, quod nunquam licet ; sed potest restituere apud rudes, dicendo se perperam fuisse locutum de proximo, nullamque rationem habendam esse eorum quæ dixit. Apud peritos vero, qui ex hujusmodi explicatione colligerent crimen esse verum, debet detractor restituere laudando infamatum quantum fieri potest sine mendacio, et honorifice de eo loquendo, ubi datur occasio ; sic enim sensim ex una parte tantumdem famam ejus illustrabit, quantum ex altera obscuravit [2].

[1] Cap. 3, quæstio 1. — [2] Ita Sotus, Navarr., Lessius, Habert, Tournely, Paulus a Lugduno, etc.

QUÆRES 17. *An sit restituenda fama cum periculo famæ propriæ, bonorum fortunæ, et vitæ?*

RESP. AD PRIMUM *affirm.* Quia in pari causa melior est conditio innocentis; unde dictum est calumniatorem debere se retractare.

RESP. AD SECUNDUM *affirm.* Quia bona fortunæ sunt inferioris conditionis quam fama.

RESP. AD TERTIUM. Si infamatus per infamiam conjectus sit in vitæ periculum, debet infamans cum simili periculo, si necesse sit, illi restituere, quia est obligatio restituendi non solum ratione infamiæ, sed etiam ratione damni quod ex ea sequitur: in periculo autem paris damni, potior est conditio innocentis; secus, si non sit tale periculum infamato. Ratio est, quia vita est bonum ordinis fama superioris.

QUÆRES 18. *Qui publicum crimen narrat, si auditor de alio innocente narrari existimat, teneturne innocentis famam restituere?*

RESP. *Tenetur ex charitate.* Charitas enim postulat ut damnum proximi tollamus, si commode fieri potest; sed non tenetur ex justitia, quia non narratio, sed prava intelligentia auditoris est causa infamiæ.

QUÆRES 19. *Sitne obligatio restituendi famam defuncti?*

RESP. *affirmative.* Quia quilibet tam mortuus quam vivens habet jus ad famam suam, cum quisque in bona fama sua, etiam post mortem, vivere censetur: ergo, qui jus illud violat, debet illud restituere.

QUÆRES 20. *Quænam sint causæ a restitutione famæ excusantes?*

RESP. Sunt *septem* sequentes:

*Prima* est infamati condonatio, modo ejus fama non sit ei necessaria ad rectam muneris sui administrationem, nec infamia redundet in alios, ita ut ipsi inde maneant infamati vel suspecti; tunc enim condonatio esset invalida: talis est infamia Religiosi, quæ redundat in Monasterium.

*Secunda* est justa compensatio inter privatos, id est, cum duæ personæ privatæ se mutuo infamarunt, solent sibi mutuo condonare, et ita præsumitur in praxi, si æqualitas reperiatur in infamia. Non potest tamen infamatus infamantem per modum vindictæ infamare, quia non licet privata auctoritate malum pro malo reddere ut fiat æqualitas.

*Tertia*, si fama sit aliunde reparata : ut si infamatus, per sententiam judicis declaratus fuerit innocens. Ratio est, quia tunc inutilis esset reparatio ; tenetur tamen damna ex infamatione orta reparare, si nondum sint reparata.

*Quarta*, si infamia penitus abierit in oblivionem, nec periculum sit ne reviviscat, quia fama jam censetur restituta, et damnum sublatum.

*Quinta*, si crimen occultum quod alicui narrasti, alia ratione fiat publicum, tunc enim infamatus amisit jus restitutionis.

*Sexta*, si restitutio sit impossibilis, nemo enim ad impossibile tenetur ; in quo tamen casu necesse esset ut detractor pecunia, vel alio modo damnum temporale compensaret.

*Septima*, si revera nulla fuit infamia ex detractione secuta, ut si audientes jam antea sciebant quod narrasti, vel non crediderunt. Ratio, quia tunc nullum damnum est secutum : ergo, etc.

## ARTICULUS II.

### DE JUDICIO TEMERARIO, OPINIONE, SUSPICIONE, DUBITATIONE ET SUSURRATIONE.

QUÆRES 1. *Quid sit judicium temerarium?*

RESP. Est *assensus absolutus et firmus de proximi improbitate, ex levibus et insufficientibus indiciis ortus.*

Dicitur 1° *assensus absolutus*, ut distinguatur tum a dubitatione, quæ est *suspensio judicii* in neutram partem in-

clinantis; tum a suspicione, quæ est inclinatio intellectus magis in unam partem inclinantis *sine determinatione*, propter formidinem partis oppositæ.

Dicitur 2° *assensus firmus*, ut distinguatur ab opinione, quæ est *assensus infirmus* intellectus propter formidinem partis oppositæ.

Dicitur 3° *ex levibus et insufficientibus indiciis*, id est, ex indiciis quæ, attendendo ad facti naturam, personæ qualitatem, aliasque circumstantias, prudentes movere non possunt ad judicandum de proximo, male suspicandum, etc.

*Porro*, est differentia inter judicium temerarium et falsum; potest enim subinde esse falsum et non temerarium, cum scilicet adsunt sufficientia indicia pro judicio, et tamen res in se non ita se habet.

Quæres 2. *Quale sit peccatum judicium temerarium?*

Resp. Judicium temerarium firmum et vere voluntarium est mortale contra justitiam ex genere suo.

Prob. 1. Ex Script. [1]: *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.* Ex quo sic argumentor: Peccatum ob quod quis a Deo judicatur et condemnatur, est grave; atqui ob judicium temerarium quis a Deo judicatur et condemnatur: ergo, etc.

Prob. 2. *Ratione.* Gravis proximo illata injuria est grave peccatum; sed qui ex levi aut nulla causa aufert proximo bonam quam apud ipsum possidebat existimationem, gravem ipsi infert injuriam: ergo, etc.

Dixi 1° *judicium firmum et vere voluntarium;* nam debet procedere ex plena advertentia ex parte intellectus, cum plena libertate ex parte voluntatis; unde, etsi res peragatur solo intellectu, etiam perfecte advertendo et expendendo motiva et indicia etiam per multum tempus, non est culpa mortalis quamdiu voluntas non præbet assensum, nec statuit, nec amplectitur illam simul cum intellectu.

[1] Luc. VI.

Dixi 2° *ex genere suo*, quia potest esse veniale: 1° defectu sufficientis advertentiæ, tum ad suum malum judicium, tum ad insufficientiam indiciorum; 2° ex levitate materiæ, ut dictum est dum de detractione egimus; 3° ex levitate temeritatis, cum nempe indicia, licet non sint ad judicandum sufficientia, tamen parum differunt a sufficientibus.

QUÆRES 3. *Quale sit peccatum suspicio et dubitatio temeraria?*

RESP. *cum distinct.* Si suspicio et dubitatio de re gravi, oriantur ex pravo affectu et malevolentia, sunt mortales ex genere suo. Ratio est, quia fit gravis injuria proximo, qui habet jus ne sine causa de ipso mala habeatur suspicio vel dubitatio; unde Apostolus [1] inter gravia peccata numerat *suspiciones malas*.

Si oriantur ex solo errore intellectus, quo apprehendit signa tanquam sufficientia ad suspicandum vel dubitandum, paratus suam suspicionem vel dubitationem deponere, ubi rem melius consideravit, sunt ordinarie tantum veniales. Ratio est, quia tunc indicia non carent omni probabilitate, nec propter illas proximum despicimus, et de facili evanescunt. Unde Div. Augustinus [2] dicit: *Etsi suspiciones vitare non possumus, judicia tamen, id est, definitivas firmasque sententias continere debemus*. Ergo tales suspiciones pertinent ad tentationem humanam sine qua diu vita duci non potest: ergo culpæ venialis gravitatem excedere non possunt. Ita Salmant., Sotus, Ledesma, Lugo, Bonac., S. Ligor.

QUÆRES 4. *Quid requiratur ut tollatur injuria illata per judicium et suspicionem temerariam?*

RESP. Nihil requiri quam ut judicium, suspicio et dubitatio apud semetipsum deponatur.

QUÆRES 5. *Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?*

[1] I ad Tim. VI, 4. — [2] Tract. 90 *in Joan.*

Resp. 1. Dubia circa personas, quando agitur de mala vel bona existimatione proximi, sunt in meliorem partem interpretanda, saltem negative, suspendendo judicium, ut notat Sylvius, quia *in dubio non est præsumendum delictum* [1].

Resp. 2. Dubia circa personas, quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio, possunt in malam partem interpretari, non quidem *definitive*, nempe judicando proximum esse improbum et habendum pro tali, sed *suppositive*, nimirum eam cautionem adhibendo quam prudentia dictaret adhibendam, supposito quod esset malus, nullo tamen modo habentes eum pro malo. Ratio est, quia ea cautio non includit judicium de improbitate proximi, nec famam ejus lædit.

Hoc modo non peccat qui in ædes suas recipiens ignotum, ita cavet suis rebus ac si dubia esset ejus probitas.

Quæres 6. *Quid sit susurratio, et quale peccatum?*

Resp. Est oblocutio mala et secreta ad disseminandam discordiam inter amicos. Ipsa est peccatum mortale ex genere suo, et quidem gravius detractione; dissolvit enim amicitiam, quæ præstantior est bonis famæ, vocaturque a Patribus *vera pestis Religionum*. Hinc *Prov.* vi dicitur: *Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima illius, nempe seminare inter fratres discordias.*

Susurrator tenetur restituere vel per retractationem, vel per infamati laudationem, juxta exigentiam casus.

## ARTICULUS III.

### DE CONTUMELIA ET DERISIONE.

Quæres 1. *Quid sit contumelia?*

Resp. Est *injusta et aperta honoris alieni violatio.*

Dicitur 1° *aperta*, id est, præsenti et scienti facta, per quod distinguitur a simplici detractione.

[1] Leg. *Merito*, ff. *Pro socio.*

Dicitur 2° *violatio*, sive per dicta, v. gr. crimen, vel defectum, vel malum pœnæ alteri præsenti objciendo, ex animo illum inhonorandi; sive per facta, v. gr. ejus imaginem conculcando, ei maledicendo, conviciando, repræsentando aliquid quod ejus honorem lædat, etc.

Quæres 2. *Quale sit peccatum contumelia ?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, et quidem gravius detractione quam includit, cum fiat coram et in faciem ; cujus gravitas desumitur ex circumstantiis verborum et factorum, et præcipue personæ offensæ ; nam contumelia in se levis potest esse gravis respectu personæ cui infertur, ut si sit superior, pater, etc.

*Nota.* Contumelia illata parentibus habet malitiam injustitiæ et impietatis, et consequenter hæc circumstantia omnino exprimenda est in Confessione.

Quæres 3. *An honor per contumeliam læsus restitui debeat ?*

Resp. *affirm.* Et quidem coram aliis, si coram aliis honor læsus fuerit; quia qui inhonoravit proximum, peccavit contra justitiam cum damno proximi : ergo tenetur ad restitutionem, vel etiam ad satisfactionem per veniæ petitionem, si opus fuerit ; ad quam non obligatur superior respectu inferioris, aut vir nobilis respectu hominis plebeii, ne despectui habeantur [1].

Quæres 4. *Quid sit derisio, et quale peccatum ?*

Resp. 1. Est *jocus de proximi defectibus ut rubore afficiatur.*

Dicitur 1° *jocus*, ut distinguatur a contumelia, quæ fit serio.

Dicitur 2° *ut rubore afficiatur*, quia si fiat alio motivo, v. gr. corrigendi proximum, vel honestæ recreationis, non est peccatum.

Resp. 2. Derisio *ex genere suo* est peccatum veniale,

[1] Ita Bonac., tom. II, pag. 443, num. 1 et seqq.

quia *de se* jocus ille gravem proximo non infert injuriam.

Dixi 1° *ex genere suo*, quia aliquando transfertur ad aliam speciem peccati mortalis, ut in sequentibus casibus :

1° Cum deridetur proximus de virtutis cultu, tunc enim est impietas et scandalum.

2° Cum deridentur parentes, tunc enim est impietas.

3° Cum irridetur Deus, Sancti, cæremoniæ Ecclesiasticæ, quod absque blasphemia fieri nequit.

Dixi 2° *de se non infert gravem injuriam;* quia gravem infert, dum derisio habet rationem contumeliæ, ut fit in sequentibus casibus :

1° Dum derisio fit ex animo graviter confundendi proximum.

2° Dum exprobratur grave vitium, aut defectus infamis.

3° Dum derisus graviter tristatur; in his casibus derisio *est peccatum mortale, et tanto gravius quanto major reverentia debetur personæ quæ illuditur*, ait Div. Thomas [1].

*Nota.* In derisione eadem est facienda restitutio ac in contumelia, et eodem modo.

## CAPUT IV.

### DE INJURIIS IN BONIS FORTUNÆ, ET NECESSITATE RESTITUTIONIS.

*Nota.* Bona fortunæ, quæ bona corporalia extrinseca dicuntur, quia per illa homo sibi in necessitatibus corporalibus subvenit, considerari possunt, vel quatenus pertinent ad individuos, vel ad ipsam societatem, tum civilem, tum Ecclesiasticam, et ideo agemus de injuriis in bonis fortunæ : 1° individui; 2° societatis tum civilis tum Ecclesiasticæ, duplici articulo.

[1] 2 2, quæst. 75, art. 2.

## ARTICULUS I.

### DE INJURIIS OB DAMNUM IN BONIS FORTUNÆ INDIVIDUI, ET NECESSITATE RESTITUTIONIS.

*Nota.* Damnum in bonis fortunæ individui inferri potest ablatione, detentione, damnificatione. De quibus sufficienter diximus supra. Hic ergo unice restant resolvendæ aliquot quæstiunculæ quæ in hoc loco poni naturaliter videntur. Itaque

QUÆRES 1. *Ad quid teneantur qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

RESP. *Per se* tenentur restituere pretium illis a quibus receperunt, quique suo loco debent alios vel seipsos subrogare. Ratio, quia ipsis desertoribus deest titulus ad retinendam pecuniam, quæ non datur nisi propter onus militiæ. Ubi vero non viget lex subrogationis, desertor non videtur teneri ad restitutionem, quia tunc jam non lædit justitiam commutativam, sed legalem tantum. Subrogatio vero non datur in Gallia, excepto primo militiæ anno, pro quo solo conductores respondent. P. Gury [1].

QUÆRES 2. *Ad quid teneantur nondum inscripti qui militiæ se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?*

RESP. 1. Qui pecunia, seductione aut protectione, magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, certo ad restitutionem tenentur. Subsequentes enim conscripti jus habent ne magistratus corrumpantur in ipsorum detrimentum. *Ita omnes.*

RESP. 2. Si vero mendaciis tantum, fraudibus, aut prævia mutilatione, magistratus decipiunt, *duplex* est sententia.

[1] Num. 720.

*Prima sententia communior* dicit illos teneri ad restitutionem erga illos qui loco ipsorum subrogantur. Ratio, quia sunt causa efficax et injusta damni : 1° sunt causa *efficax:* etenim, posita eorum deceptione, alii ad militiam necessario requiruntur ; 2° *injusta*, siquidem alii juvenes exempti jus strictum habent ne talia media adhibeantur cum ipsorum detrimento.

*Confirmatur*. Tributum sanguinis, ut dicitur, quod a Principe civibus imponitur, se habet sicut tributum pecuniæ; atqui, si Princeps imponat tributum pecuniæ quod alter solvere debet et non solvit, iste tenetur illis compensare : ergo a pari, imo a fortiori, si agatur de tributo sanguinis. Ita DD. Bouvier, Gousset, Collat. Andeg., etc.

*Secunda sententia* negat illos ad restitutionem teneri. Ratio, quia non sunt ipsi causa efficax et injusta, sed tantum occasio cur alii loco ipsorum vocentur ad militandum.

1° Non sunt causa *efficax*. Deceptio enim neque *physice* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos; etenim talis ipsorum actio in denegatione militaris concursus tota est. Igitur ejus influxus est mere negativus; unde damnum quod alter patitur ipsi non est adscribendum, sed vel præpositis, vel potius legi, quæ, deficiente uno, inde occasione data, requirit alium.

2° Non sunt causa *injusta*, quia non constat alios jus strictum habere ut sorte designati in militiam proficiscantur, cum legitime non impediuntur; etenim, neque contractus neque quasi-contractus intervenire videtur inter juvenes conscriptos, sed sola voluntas Principis, vel dispositio legis qua fit ut priores juvenes, qui sorte designantur aliis relictis albo militiæ inscribantur; unde conscriptus qui fraudibus et mendaciis se militiæ subtrahit, directe non lædit aliorum jus strictum, sed tantum peccat contra virtutem obedientiæ et justitiæ legalis; et quamvis occasione sua

subtractionis alter inscribatur, qui alias non inscriberetur, hoc evenit per accidens, et ideo non tenetur ad restitutionem ; non secus ac reus qui, accusatus de crimine quod patravit, ab eo se purgat coram judice, sine alterius juris læsione, licet prævideat ex occasione mediorum quibus utitur, alium esse accusandum et condemnandum, ex supra dictis. Ita plures, cum collatore Anicensi, *de Restit.*

*Utraque sententia* videtur *æque probabilis*. Omnes tamen præfati auctores monent in praxi sapientissimum esse, non valde urgere juvenes qui supradictis mediis usi sunt ad se liberandum, quia rarissime existimant se committere injustitiam, et raro monitis obtemperarent. Unde DD. Gousset [1] dicit : « Cependant, comme ceux qui usent « de fraude ou de mensonge, dans le cas dont il s'agit, « ne croient pas commettre une injustice, et que le plus « souvent il est moralement impossible de réparer le « tort qu'ils ont fait, les Confesseurs doivent être bien « circonspects : si la restitution peut se faire à qui de « droit, il faut exhorter celui qui est tenu, sans cependant « l'exiger, sous peine de refus d'absolution. »

Quæres 3. *An accepta per modum pretii propter actionem vel omissionem aliunde debitas, restitui debeant ?*

Resp. *affirm.* Si actio vel omissio sint debita ex justitia ; ratio est, quia qui vendit quod suum non est, tenetur ad restitutionem : atqui qui pretium accipit pro eo quod alteri debet ex justitia, vendit id quod suum non est, sed alterius : ergo, etc.

*Hinc*, qui pretium accipit ut rem intentam reddat, ne furetur, indignum eligat, falsum dicat testimonium, injustam ferat sententiam, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem.

Dixi *si actio vel omissio sint debita ex justitia ;* quia si sint debita ex virtute a justitia distincta, illicitum quidem

[1] Num. 1011.

est propter eas pretium accipere, sed accipiens ad nullam restitutionem tenetur.

*Hinc*, qui pretium acciperet pro debito ex charitate, v. gr. pro sublevando proximo in gravi necessitate posito, peccaret quidem graviter, sed ad restitutionem non teneretur, quia non violasset justitiam.

Dixi *per modum pretii*, quia si daretur aliquid per modum allicientis, juste accipi ex retineri posset; quia tunc omnino liberaliter concessum esse censerentur: sic, filii a parentibus aliquid licite accipiunt, ut Sacro intersint, frequentent Sacramenta, etc.

## ARTICULUS II.

### DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS FORTUNÆ SOCIETATIS CIVILIS ET ECCLESIASTICÆ.

Hic agimus: 1° de tributorum defraudatione; 2° de damnis quibusdam illatis Ecclesiæ.

### § I.

#### De tributorum defraudatione.

QUÆRES 1. *Quid et quotuplex sit tributum?*

RESP. Tributi nomine intelligitur pensio quam subditi solvunt de propriis bonis gubernio vel Principi, ad sumptus Reipublicæ communes.

Tributa sunt alia *directa*, quæ actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta*, quæ vocantur etiam *vectigalia*, a voce *vehere*, quia immediate respiciunt certas merces vehendas, et mediate tantum personas quæ eas trahunt, vendent, emunt, etc. (ut sunt in Gallia *les droits réunis*, *les douanes*, etc.).

QUÆRES 2. *Quis tributa imponere possit, qualia esse debeant et quomodo obligent?*

RESP. 1. Cum impositio tributorum sit actio supremi dominii in bona privatorum, requiritur suprema potestas

ad illa imponenda, ea enim sola jure dominii alti pollet.

Unde, Princeps, Imperatores, Reipublicæ supremam potestatem habentes, possunt tributa imponere. Cui enim incumbit cura et obligatio omnibus communitatis necessitatibus providendi, exigere potest a communitate media ad hoc conducentia; atqui nisi tributa subditis imponantur, hæc media Principi non suppetunt: ergo, etc. Possunt etiam Concilia et S. Pontifex, ex potestate indirecta in temporalia, quando id opus est ad regimen spirituale. Item civitates possunt sibi imponere contributiones. Ita communiter.

Resp. 2. Tributa debent esse justa. Ad hoc autem tres requiruntur conditiones:

1° *Justitia causæ*, nempe ut imponantur pro necessitate, vel utilitate communi.

2° *Proportio tributi* cum necessitate occurrente, id est, ut populus non magis gravetur quam postulat ejus bonum. *Ejus* dico *bonum*, non Principis fastum, prodigalitatem, vel etiam pruriginem bellandi et alios populos in servitutem redigendi, unde subditi adeo gravarentur, ut in magnam penuriam conjicerentur; non enim regnum est propter Regem, sed Rex propter regnum [1].

3° *Æqualitas in personis*, id est, ut impositio servetur, habita ratione bonorum quæ subditi possident, ita ut qui majores vires habent, plus solvant, et qui minores, minus.

Resp. 3. Leges quæ versantur circa tributa, generatim spectatæ, non sunt mere pœnales, sed obligant in conscientia. Constat: 1° ex verbis Christi [2]: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; et Apostolo [3]: *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis... Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*; constat 2° ex prima responsione. Ita S. Ligor. *et communissime*.

[1] S. Ligor., num. 615. — [2] Matth. XXII, 21. — [3] Rom. XIII, 5.

QUÆRES 3. *An injusti sint et ad restitutionem teneantur defraudantes tributa?*

*Nota.* Quæstio considerari potest, vel quoad tributa *directa*, vel quoad *indirecta*, seu vectigalia.

RESP. 1. Quoad *tributa directa*, vel certum est tributa esse legitima, vel certum est illa esse illegitima, vel dubium est utrum sint legitima.

Si 1°, defraudantes sunt injusti, et ad restitutionem tenentur, ut patet in supradictis.

Si 2°, defraudantes non sunt injusti nec ad restitutionem tenentur; lex enim injusta nulla est, ac proinde non potest obligare, ut diximus ubi *de Legibus*.

Si 3°, dubium versatur vel circa existentiam legis, vel circa ejus justitiam, vel tandem circa potestatem legislatoris.

Si *primum*, defraudantes non sunt injusti, quia lex dubia non obigat, ex dictis *de Legibus*.

Si *secundum*, id est, si dubitatur an lex tributi sit justa, dubium est positivum vel negativum. Si dubium est *positivum* et probabile quod illud tributum sit injustum, ex communissima sententia, populus non tenetur ad illam. Ratio, quia in tali dubio melior est conditio possidentis. Illud autem dictum commune: *In dubio, præsumendum pro sententia superioris*, intelligendum est quando non agitur de interesse seu damno inferioris. S. Ligor. [1], Less., etc. — Si dubium et *negativum*, plures docent subditos teneri ad solutionem. Ratio, quia in dubio negativo præsumendum est pro justo præcepto Principis, cujus auctoritas est in possessione præscribendi. Alii tamen adhuc probabiliter negant, maxime si agatur de novis tributis imponendis, quia in dubio favendum est ei de cujus damno agitur. Fatentur enim in aliis materiis legem in dubio præsumendam esse justam; at negant eamdem fieri præsumptionem pro lege tributi. Cives enim suis bonis spoliari non debent, nisi constet de necessitate vel utili-

[1] Num. 617.

tate tributi. Ita Molina, Lugo, Sanch., et alii apud S. Ligor. [1]. — Si *dubitatur de potestate præcipientis*, lex practice nulla est, siquidem auctoritas dubia dubiam reddit legem, ac proinde non obligatoriam.

Resp. 2. Quoad tributa *indirecta*, seu vectigalia, quædam sunt certa, quædam controversa.

*Certa*. 1° Non sunt injusti, nec ad restitutionem tenentur, qui introducunt merces quæ absolute prohibentur, quia intentio legislatoris non est tributum exigere, sed mercium invectionem prohibere, et ideo non peccatur contra justitiam, nec probabiliter contra obedientiam, quia hujusce modi leges sunt mere pœnales, ut dicemus infra. Saltem non sunt damnandi de peccato, qui merces prohibitas important in parva quantitate et ad usum proprium, maxime si sint pauperes. Cæterum, facile possunt peccare defectu charitatis in se ipsos, sic se gravissimis pœnis exponendo. P. Gury [2] et communiter.

2° Non sunt injusti, qui, seclusis mediis violentiæ, metus vel corruptionis libertatem exactorum minuentibus, non solvunt vectigalia quæ ab ipsis non exiguntur, quia hujusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur nisi petita, ut vectigalia quæ ad portam civitatis vel pontem, ad viam publicam non solvuntur antequam petantur.

Dixi seclusis mediis *violentiæ, metus vel corruptionis*, etc. ; tunc enim injuria infertur societati quæ jus strictum habet ne præpositi sui impediantur ab exercendo munere suo per media libertatem minuentia [1].

3° Subditi in fraude deprehensi tenentur solvere mulctam; nam leges quæ respiciunt vectigalia, esto sint mere pœnales, gubernatoribus tamen jus certum tribuunt in delinquentes pœnam infligendi.

4° Adhortandi sunt fideles ut tributa omnia fideliter solvant. Non tenetur tamen Confessarius, saltem generatim, exquirere a pœnitentibus qui in confessionibus de tri-

[1] Loc. cit. — [2] Num. 716. — [3] S. Ligor., num. 616.

butis tacent, an tributa solverint vel non, ne forte iis qui in bona fide sunt, malam fidem injiciant. Ita P. Gury.

5° Gravi reprehensione digni sunt, qui per fas et nefas, defraudationem velut commercium et vitæ professionem exercent; qui die noctuque armati causa resistentiæ incedunt. Ejusmodi enim homines fiunt cives rebelles, et societati perniciosissimi. P. Gury.

His velut in tuto sepositis,

Quæres 4. *Utrum defraudantes vectigalia peccent, et ad restitutionem teneantur ?*

*Triplex* est sententia.

*Prima sententia*, communissima et probabilior, inquit S. Ligor., affirmat. Ratio, quia vectigalia non minus necessaria sunt Principi quam tributa directa; atqui defraudantes in tributis directis peccant, et tenentur restituere : ergo, etc.

*Secunda sententia*, cujus rationes, ait S. Ligorius, non sunt contemnendæ, negat.

Prob. 1. Lex non obligat ultra intentionem Principis; atqui intentio Principis est ut leges circa vectigalia non obligent in conscientia, sed sint mere pœnales : ergo, etc.

*Prob. min.* Quia 1° solutiones tributorum excederent necessitates publicas, si fideliter solverentur, 2° prævisis fraudibus, mulctæ excessivæ imponuntur in defraudantes, ita ut ærarium publicum nullum ex fraudibus damnum patitur. Igitur voluntas Principis non est obligare in conscientia.

Prob. 2. Lex obligans in conscientia debet esse justa; sed plerumque, ne dicam semper, leges vectigalium essent injustæ, si obligarent in conscientia. Etenim, ut lex justa sit, non sufficit quod a legislatore legitimo, et propter justam causam feratur, sed requiritur insuper quod pœna sit delicto proportionata; atqui plerumque in hujusmodi legibus non est delicto proportionata. Quænam enim proportio datur unius libræ tabaci defraudationem inter et

mulctam, quæ totam privati fortunam exhaurire potest? Ergo, etc.

*Confirmatur* 1. Generaliter, sive a societatum moderatoribus, sive a populis, leges vectigalium habentur mere pœnales. Porro leges non obligant ultra interpretationem communem : ergo, etc.

*Confirmatur* 2. Opinio quæ docet nullam dari legem mixtam, est vere probabilis, tum ob rationes intrinsecas modo allatas, tum ob rationes extrinsecas; hujus enim patroni sunt plures et graves auctores : ergo lex est vere dubia ; sed lex dubia non obligat, maxime in odiosis : ergo, etc.

*Tertia sententia*, quasi media inter duas præcedentes, et in re tam intricata regulam in praxi præbens, sic exponitur a Lugo [1] : « Generaliter loquendo, admonendi sunt « populi et excitandi ad tributa solvenda; post factum « si pœnitens sibi certo aut probabiliter persuadeat ut « tanta tributorum multitudine esse aliquid injustum... « vel competenter tribuisse ad publicas necessitates... « non est cogendus a Confessario ad restitutionem; hac « tamen doctrina prudenter utendum est, tum ne sacra- « mentum Pœnitentiæ reddant minus grave, et ne viam « salutis præcludant multis, qui, si a Confessario obli- « gentur, non restituent, et æternam damnationem incur- « rent. » Sic pariter sentiunt *Bonacina*, *Vogler*, *D. Scavini*, *D. Rousselot*, et alii. Quam doctrinam suam faciens D. Gousset, dicit : « Nous pensons que, sans approuver « jamais ces sortes de fraudes, un Confesseur doit se « montrer indulgent envers ceux qui s'en rendent cou- « pables; il est prudent, à notre avis, de ne point inquié- « ter ceux qui sont dans la bonne foi, ceux à qui l'on ne « peut persuader qu'ils font tort à l'Etat. Mais si un pé- « nitent s'accuse d'avoir fraudé les droits, ou s'il de- « mande à quoi s'en tenir sur ce point, le Confesseur doit « lui rappeler l'obligation où il est d'observer les lois et

[1] Dist. XXXVI, num. 43.

« de payer les impôts directs et indirects ; il exigera « même qu'il restitue autant que possible, à raison des « fraudes qu'il a commises [1]. »

Quoad jura inscriptionis (*droits d'enregistrement*),

*Nota* 1° in successionibus bona non esse æstimanda juxta redditus annuos, vel pretium locationis, sed juxta pretium emptionis vel tributi directi. 2° in venditionibus sufficere bona secundum infimum pretium æstimare.

Quæres 5. *Cuinam facienda sit restitutio in tertia sententia supra exposita?*

Resp. Juxta antiquos Doctores, restitutio facienda est Principi vel ærario publico, cujus fuit jus violatum. At juxta fere omnes hodiernos, non facienda est Principi nec ærario publico, nec subditis; sed in utilitatem pauperum aut in usus pios pecunia defraudata impendi debet.

1° Non *Principi*, nec ærario publico, quia non suppetit modus quo fieri possit restitutio ; præterea, cum administratores, prævisis fraudibus, majora tributa imponant, Respublica vel Princeps nihil patitur damni per defraudationes.

2° Non *subditis*, quia restitutio fieri non potest omnibus læsis : ergo secundum illorum intentionem rationabiliter præsumptam, erogari debet in pauperes vel usus pios. Ita DD. Bouvier, Gousset, Gury, etc. Statius tamen est sequi locorum statuta vel consuetudines.

*Notandum* vero, quoad quantitatem restituendam, obligationem esse minus rigorosam, ac si ageretur de injustitia individuo irrogata. Sic communiter interpretatur voluntas eorum quibus facienda esset restitutio.

Quæres 6. *An peccent contra justitiam et ad restitutionem teneantur præpositi quoties tributa exigere negligunt?*

Resp. *affirm. per se generatim,* siquidem ex officio tenentur ad tributa exigenda, et ad rite invigilandum ut solvantur. Ita *communiter.*

Dixi *per se generatim*, quia, juxta multos, damnandi non

[1] *Theol. mor., de la Just.*, num. 999.

sunt exactores si benignius agant, maxime in vectigalibus exigendis in re levi, et maxime cum pauperibus vel iis qui alias diligenter solvunt. Ita P. Gury [1].

## § II.

### De restitutione ob damnum in bonis fortunæ societatis Ecclesiasticæ.

*Nota* 1. Societatem Ecclesiasticam jus habere bona temporalia possidendi, omnia jura, naturale scilicet, divinum et humanum, comprobant; cum enim Ecclesia sit perfecta et visibilis non solum animarum, sed et corporum societas, rebus indiget temporalibus ut suis suorumque provideat necessitatibus. Igitur optimo jure potest bonorum temporalium acquirere dominium et proprietatem iisdem modis ac quævis societas et privati.

*Nota* 2. Solus Summus Pontifex, ut caput et supremus moderator totius Christianæ societatis, altum habet dominium et supremam administrationem illorum bonorum, ita ut absque suo interventu et licentia, nullus de illis per donationem, venditionem, cessionem, aut quovis alio modo possit alienare.

*Nota* 3. Bona Ecclesiastica ita ad Ecclesiam pertinent, ut, ipsa invita, nemo, qualiscumque sit dignitatis vel potestatis, possit absque injustitia illa surripere. *Confer Canonistas et Jurisconsultos.*

*Hinc*, direptiones, spoliationes quas Ecclesia patitur tempore perturbationum, sive a privatis, sive a potestate civili, qualiscumque sit illa pro tempore, tot sunt furta, et restitutionis obligationem imponunt, nisi compositio seu condonatio interveniat ex Summo Pontifice. Sed

Quæres: *Quid sentiendum est de direptione bonorum Ecclesiæ tempore perturbationis Galliæ?*

*Nota* 1° Bona Ecclesiæ alia direpta fuere a gubernio, alia a privatis.

[1] Num. 717.

2° Pius VI, per conventionem quam inivit 13 augusti 1801, cum Napoleone primo consule, liberavit a restitutione bonorum Ecclesiasticorum acquisitores.

3° S. Pœnitentiaria, in rescripto ad DD. Bouvier, 20 mart. 1818, ita declaravit: *S. Pœnitentiaria, de expressa auctoritate Apostolica, consulenti oratori declarat, bona Ecclesiastica a gubernio occupata ante conventionem initam anno* 1801, *inter Sedem Apostolicam et gubernium Gallicanum, in plena acquirentium potestate esse.*

4° Pius VII, in suo Brevi ad Episcopum Pictaviensem, 20 octobris 1821, declaravit cessionem bonorum prius a S. Sede factam applicari posse omnibus bonis Ecclesiasticis a gubernio prius usurpatis, sive ea jam alienaverit ante conventionem anno 1801, sive post prædictam conventionem. His notatis, ex P. Gury,

Resp. 1. Qui bona Ecclesiastica privata auctoritate usurparunt, graviter peccarunt, et adhuc tenentur ad restitutionem; fures enim sunt, nec eis condonatio facta fuit.

Resp. 2. Qui vero prædicta bona occuparunt, favente lege civili, ante conventionem, graviter peccarunt, et tenebantur ad restitutionem ante dictam conventionem, non vero postea, ut patet.

Resp. 3. Qui post conventionem bona Ecclesiæ nondum alienata receperunt a gubernio, graviter peccarunt, et ad restitutionem tenebantur, saltem toto tempore imperii; quia conventio bona alienata tantum afficiebat. Cum vero Pius VII vim conventionis ad omnia bona Ecclesiæ per gubernium ablatum extenderit, nunc possessores illorum bonorum tuta conscientia retinere possunt, modo sub præsidio legis civilis illa possideant.

Resp. 4. Cessio bonorum importat cessionem fructuum omnium, quia accessorium sequitur principale. Ita P. Gury [1] et omnes recentiores.

[1] Num. 723.

## SCHOLIUM

### DE REVELATIONE SECRETI ET LIBELLO DIFFAMATORIO.

QUÆRES 1. *An violatio secreti sit peccatum et obliget ad restitutionem?*

*Nota.* Secretum est *quod clancularie ab aliquo vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque notorium.* Unde brevius definitur: *notitia rei occultæ.*

Secretum potest esse *naturale*, *commissum* et *promissum.*

Secretum *naturale* est, cum ab ipsa natura imponitur, ut si scias aliquid quod revelare nequeas absque detrimento proximi. Quod si noscas fortuito vel ex alterius levitate, dicitur *naturale simplex*; si de industria, *naturale extortum.*

Secretum *commissum* seu rigorosum est, quando aliquis tibi aliquid manifestans, simul tibi silentium imponit circa illud; quod fieri potest vel *expresse* per verba, vel *tacite*, cum id exigit ipsa rei natura.

Secretum *promissum* est, quando secreto commisso additur ab acceptante promissio illud servandi. His notatis,

RESP. AD PRIMUM *affirm.* Nam omnis formalis transgressio legis naturalis est peccatum; atqui violatio secreti absque justa causa est transgressio legis naturalis: ergo, etc.

*Prob. min.* 1° Quidem qui revelat secretum naturale violat legem vel de non nocendo proximo, et in tantum peccat, in quantum ex revelatione sequitur damnum; vel de non faciendo alteri quod sibi fieri non vult. Unde legitur [1]: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana.*

2° Qui vero secretum commissum et promissum revelat absque justa causa, peccat contra legem naturalem de

[1] Prov. XIII.

servanda fidelitate et præstandis promissis. Non igitur minus peccat contra fidelitatem et justitiam (et quidem mortaliter *ex genere suo*), quam qui violat fidem depositi: ergo, etc.

Dixi *ex genere suo*, quia peccatum erit tantum veniale, si damnum leve aut nullum exinde sequitur, aut propter imperfectionem actus, puta, si inadvertenter fiat revelatio; vel propter intentionem promittentis, v. gr. si sub levi tantum se obligaverit.

Resp. ad secundum *affirm.* Si inde proximus in bonis vitæ, famæ vel fortunæ, damnum aliquod patiatur. Ratio, quia homo ad hac omnia jus strictum habet, quod jus lædituv violatione secreti.

Dixi *atque justa causa;* nam

*Excipiuntur quatuor casus*, in quibus revelatio secreti non est peccaminosa propter causam.

*Primus* est si secretum commissum sit nullius momenti; tunc enim committens secretum non censetur invitus.

*Secundus*, si secretum jam fuit aliunde prolatum; nam tunc jam cessat esse secretum.

*Tertius*, si ejus custodia in damnum communitatis aut alicujus innocentis cederet; quia charitas obligat ad impediendum damnum commune et privatum innocentis, etiam cum damno nocentis.

*Quartus*, si servari non posset absque gravi vel illius cui commissum est, vel illius qui illud commisit, nocumento: quod ut melius intelligatur ac magis pateat,

Quæres 2. *Quid, si promiseris servare secretum etiam cum dispendio vitæ vel famæ?*

Resp. *Probabiliter* teneris servare secretum cum tali dispendio. Tenemur enim stare promissis quando nihil obstat; atqui in casu nihil obstat quin serves secretum promissum, siquidem, ex una parte, talis promissionis objectum est honestum; ex altera autem, licet ex motivo virtutis vitam pro proximo expendere vel derelinquere: ergo, etc. Ita Croix, Molina, Scavini, et plures alii.

QUÆRES 3. *Quid sentiendum de apertione litterarum, et expiscatione secreti ?*

RESP. Qui scripturas alienas secretas legit absque consensu mittentis aut recipientis, vel absque legitima auctoritate aut justa causa, vel per fraudem secretum alterius expiscatur, peccat contra charitatem et justitiam mortaliter aut venialiter pro qualitate vel damni, vel periculi, vel intentionis graviter nocendi, vel tristitiæ injuriam patientis.

*Ratio* est, tum quia proximus habet jus ad suum secretum : ergo qui per fraudem illud violat, illi facit injuriam ; tum quia qui legit scripturas alienas secretas, utitur re aliena invito domino : ergo, etc.

Dixi 1° *litteras aut scripturas secretas*, quales sunt litteræ clausæ, vel etiam apertæ, sed in loco secreto, v. gr. in scrinio, vel super mensam cubiculi derelictæ, aut casu amissæ ; imo *probabilius*, etiam minutatim a domino dilaceratæ, et ex industria a legente collectæ. Secus, si sint projectæ et pro derelictis habitæ. Idem dicendum est, proportione servata, de aliis scripturis secretis, in quarum furtiva lectione non deest curiositatis et injustitiæ peccatum.

Dixi 2° *absque consensu mittentis aut recipientis*. Hinc, non peccat, saltem graviter, qui propter amicitiam vel familiaritatem præsumit amici consensum in apertione suarum litterarum. At graviter sunt increpandi qui, solutis semel amicitiæ vinculis cum aliquo, litteras proferunt quas miserat amicus. Hujusmodi est *homo*, inquit Tullius [1], *et humanitatis expers, et vitæ communis ignarus*.

Dixi 3° *vel absque legitima auctoritate*, quia jure gubernationis vel consuetudinis, conceditur superioribus Religionum, seu communitatum, ut litteras quas subditi mittunt vel recipiunt, legant, nisi ad Prælatum majorem litteræ subditi sint ab ipso directæ. Idem conceditur ma-

[1] *Philipp.* II, cap. 2.

rito respectu litterarum uxoris vel ad uxorem; patri, respectu filiorum; rectori collegii vel Seminarii, respectu alumnorum, nisi litteræ dirigantur ad parentes vel ad directorem conscientiæ.

Dixi 4° *vel justa causa*, nimirum ad avertendum grave damnum sibi, vel innocenti, vel societati imminens; hoc enim ad sui vel proximi defensionem pertinet. Hinc, Princeps, gubernatores, præfecti exercitus et similes possunt aperire litteras hostium vel aliorum tempore belli vel perturbationis publicæ, si fundate per epistolam grave damnum sibi vel aliis parari timeant.

QUÆRES 4. *Quid dicendum de libellis diffamatoriis et litteris anonymis?*

*Nota* 1. *Libellus diffamatorius est scriptura, licet brevissima, continens occultam infamationem, ut fiat publica.* Sub ejus nomine veniunt signa, emblemata, schedulæ, imagines, aliaque id genus quibus gravissime proximi fama læditur.

*Nota* 2. *Littera anonyma,* quæ *cæca* vulgo dicitur, est illa quæ sine subscriptione nominis auctoris ad superiorem mittitur, ut occultum alicujus subjecti delictum manifestetur. Unde

RESP. AD PRIMUM. Per se loquendo, libellum publicare gravius est peccatum quam simpliciter proximo detrahere, quia scripta manent et facilius evulgantur. Quod si contra Romanum Pontificem aut aliquem Cardinalem dirigatur, auctor libelli pœnam incurrit excommunicationis latæ sententiæ; si vero libellus alios respicit, excommunicationis pœna est tantum ferendæ sententiæ [1].

RESP. AD SECUNDUM. Litteras anonymas ad superiores mittere quibus occulta subjecti delicta manifestantur, est peccatum grave, juxta communem sententiam, nisi fiat ex charitate erga delinquentem vel communitatem. Ratio est, tum quia non licet notabilia fratris occulta delicta quasi gratis revelare; tum quia notabilem suspicionem

[1] Caus. 5, quæst 1, cap. 1. *Qui in aliter.*

ingerunt in mentem superioris; tum quia id ordinarie procedit ex odio ex vindicta.

Dixi *quasi gratis*, quia ex illo indicio, quamvis non sit omnino spernendum, non potest superior procedere ad judicium, nec accusatus seipsum defendere coram superiore contra accusatorem prorsus incognitum.

# TRACTATUS

# DE CONTRACTIBUS.

*Nota* 1. In superiori tractatu *de Justitia et Jure*, diximus quomodo bonorum externorum dominium acquiritur: 1° quoad bona quæ sunt nullius, quod fieri per occupationem, acccessionem, etc., ostendimus; 2° quoad bona quæ sunt alterius, quod fieri per legem superioris et voluntatem hominis, id est per contractus, diximus. De prioribus modis satis discurrimus, restat quod dicamus *de contractibus*. Egimus insuper de injustitia quæ committitur in rebus externis per commutationes involuntarias, nempe per furtum, rapinam, damnificationem, etc.; nunc agemus de injustitia quæ committitur per commutationes voluntarias, quæ alio nomine dicuntur *contractus*; sed quia præsens tractatus *de Contractibus*, tractatus *de Justitia et Jure*, sit consectarius, nemo non videt principia quæ statuimus in isto, hinc esse revocanda.

*Nota* 2. Communem methodum secuti, tractatum hunc in *duas* partes dividemus : *prima* erit de contractibus in genere; *secunda*, de variis contractuum speciebus.

# PARS PRIMA.

## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

*Nota.* Cum ex divisione infra data contractus potest modificari, dicemus : 1° de contractu puro ; 2° de contractu modificato, seu non puro, duplici capite.

## CAPUT I.

### DE CONTRACTU PURO.

Hic nobis videndum incumbit : 1° quid et quotuplex sit contractus ; 2° quinam contrahere possint ; 3° quis ad contrahendum requiratur consensus ; 4° quam et quando obligationem pariat contractus.

### ARTICULUS 1.

#### DE NATURA ET DIVISIONE CONTRACTUS.

QUÆRES 1. *Quid sit contractus?*

RESP. Est *pactum ultro citroque, vel alterutro tantum, obligationem pariens.*

Dicitur 1° *pactum*, id est, duarum voluntatum conventio, seu consensus in idem.

Dicitur 2° *ultro citroque, vel alterutro tantum,* ut hac definitione contractus stricte et late dictus comprehendantur.

Dicitur 3° *obligationem pariens*, ut designetur effectus per contractum productus.

QUÆRES 2. *Quomodo dividatur contractus?*

RESP. *Dividitur* 1° in *perfectum* seu bilateralem, seu synallagmaticum, et *imperfectum*, seu unilateralem.

*Perfectus* est *pactum ultro citroque obligationem pariens.* Dicitur etiam *onerosus*, quia aliquid datur, et aliud rependitur.

*Imperfectus* est *pactum alterutro tantum obligationem pariens.* Dicitur etiam *gratiosus*, quia per eum aliquid recipitur, et nihil rependitur.

2° *Dividitur* in *explicitum* seu formalem, et *implicitum* seu virtualem.

*Explicitus* est ille quo duo expresse de eadem re conveniunt cum mutua obligatione, vel saltem cum obligatione unius erga alterum.

*Implicitus* est ille qui fit tacita partium conventione, v. gr. *absentis negotiorum gestione*, *hæreditatis additione*, vel ex officii acceptatione ; sic judex, medicus, tutor, cum hæc officia suscipiunt, eo ipso se virtualiter obligant ad præstandam operam omnem quam adhibere solent homines ejusdem conditionis, erga eos in quorum gratiam hæc officia exercent, et hi vicissim se obligant ad legitimam retributionem; istæ tacitæ conventiones vocantur *quasi-contractus*, contractuumque vim habent ad obligandum ex justitia.

3° *Dividitur* in *nominatum* et *innominatum.*

*Nominatus* est ille qui proprium et speciale nomen habet, v. gr. *venditio*, *locatio*, *societas*, etc.

*Innominatus* est ille qui proprium non habet nomen, sed genericum duntaxat contractus aut pacti ; hujus sunt quatuor species, scilicet, *do ut des ; do ut facias ; facio ut des; facio ut facias ;* ubi sub affirmatione negatio etiam comprehenditur, v. gr. *do ut non facias.*

DICES : Contractus *do ut des* est permutatio : ergo est nominatus.

RESP. *Nego conseq.* Nam permutatio est nomen genericum, convenit enim venditioni, sicut *do ut facias* locationi convenit.

4° *Dividitur* in *nudum* et *vestitum.*

*Nudus* est conventio mera, carens omni firmamento, quo actionem civilem parere possit, licet pariat obligationem naturalem, ut infra dicetur. Talis est omnis contractus innominatus antequam ex altera parte sit impletus, nisi accedat *formula stipulationis, juramentum*, etc. *Item*, omnis contractus qui re perficitur, est *nudus* ante rei traditionem, ut *donatio*, *mutuum*, *pignus*, etc.

*Vestitus* est conventio innixa aliquo firmamento, vi cujus pariat actionem civilem. *Firmamenta juris* sunt scriptura, stipulatio, testes, juramentum, conjunctio contractus innominati cum nominato, ut si vendam tibi domum centum aureis, cum pacto ut illam adhuc habitem, et tibi pro inhabitatione dem hanc vestem; pactum istud *nudum* vestitur propter sui conjunctionem cum contractu nominato, quia accessorium sequitur naturam principalis. Propter contrariam rationem, si contractus *innominatus* sit *principalis*, contractus vero *nominatus accessorium*, innominatus non vestietur per sui cohærentiam cum nominato.

5° *Dividitur* in contractum *bonæ fidei* et *stricti juris*.

*Contractus bonæ fidei* est ille in quo judex ex æquo et bono multa moderari potest, quæ licet a contrahentibus expressa non fuerint, censentur tamen secundum bonam fidem contractui inesse; tales sunt *emptio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, pignus, societas*, etc.

*Contractus stricti juris* est ille in quo judex ad verba contrahentium adstringitur; tales sunt *census, feudum, emphyteusis, testamentum, mutuum, stipulatio, donatio* et *promissio liberalis*.

*Nota.* Hæc distinctio parum refert ad forum conscientiæ, in quo omnes conventiones ex æquo et bono dijudicari debent.

6° *Dividitur* in *purum* et *non purum*.

*Contractus purus* est ille cui nullum adjicitur accidens.

*Contractus non purus* est ille cui additur aliquod accidens, et hic quintuplex est.

1° Dicitur *ad diem*, cum præfigitur dies ante quem non oritur obligatio solvendi, nec actio.

2° Dicitur *ad modum*, cum additur modus sub quo contractus obliget, v. gr. promitto tibi hunc equum ut locet domum tuam Titio.

3° Dicitur *ad causam*, cum fit propter aliquam causam v. gr. do tibi pecuniam, quia pauper es.

4° Dicitur *ad demonstrationem*, cum apponitur aliquod signum ad rem vel personam ostendendam, v. gr. do tibi centum nummos in tali arca reconditos, vel quos mihi debet Paulus.

5° Dicitur *ad conditionem*, cum apponitur aliqua conditio.

## ARTICULUS II.

### DE PERSONIS AD CONTRAHENDUM HABILIBUS.

QUÆRES 1. *Quinam contrahere possint?*

RESP. Omnes et soli *qui liberam* suorum bonorum *habent administrationem, nisi a jure impediantur;* quia hi soli dominium bonorum suorum in alios transferre possunt.

Dixi 1° *qui habent liberam administrationem*: hinc a contractibus ineundis excluduntur: 1° infantes et amentes; 2° prodigi, quibus curatorem judex assignavit; 3° uxor conjugata, nisi habeat bona *paraphernalia;* 4° religiosi absque consensu superiorum; 5° infantiæ proximi sine auctoritate tutoris [1].

Dixi 2° *nisi a jure impediantur;* tutor enim, etsi habeat administrationem suorum bonorum, non potest cum pupillo contrahere [2].

[1] Inst. *de Inutil. stipul.*, § *Sed quod.* — [2] L. *Pupillus*, ff. *de Auct. et consent. tut.*

I. *Ex jure Romano*

*Nota* 1. De pupillis pubertati proximis et minoribus potest esse difficultas circa bona quæ non sunt castrensia; quæ ut solvatur,

*Nota* 2. *Infans* est ille qui primum septennium nondum complexit.

*Pupillus* est qui nondum pervenit ad pubertatem, et cui assignatur tutor.

*Pubertati proximus* est qui decem annos cum dimidio attigit, si sit vir; et novem cum dimidio, si sit femina; ante hanc ætatem dicuntur *infantiæ proximi*.

*Minor* est qui nondum attigit annum vigesimum quintum, et cui datur curator. Porro *curator* datur primario ad administranda bona minoris; secundario ad regendam ejus personam. *Tutor* datur primario ad regendam personam, et secundario ad administranda ejus bona. His positis,

## CONCLUSIO I.

*Minor et pupillus pubertati proximi non possunt sine auctoritate tutoris aut curatoris contrahere in suum incommodum; possunt tamen in suum commodum* [1]. Porro statuerunt hoc jura in favorem illius ætatis, *ut minoribus ætas in damnis subveniret, et in prospere gestis non obesset* [2]. Unde nulla est obligatio civilis ex parte pupilli, licet sit talis obligatio ex parte majoris, qui si mercem minori et pupillo tradiderit, non accepto pretio, potest mercem suam repetere, si pupillus nolens contractum tenere, nolit pretium solvere. Quod si merx vel amissa, vel absque dolo consumpta fuerit, non plus in foro civili solvere cogitur pupillus, quam ditior factus est [3].

Dixi *sine dolo pupilli*, nam si ejus dolo merces sint consumptæ, datur contra eum actio civilis, etiamsi ditior factus non sit [4].

[1] Inst. *de Auctor. tutor.*, initio. — [2] Leg. *Non minus*, cod. *de Procurat.* [3] Lib. I, num. *de Auct. tutor.* — [4] ff. *De deposito*, § *an etiam pupillum.*

## CONCLUSIO II.

*Pupilli et minores, etiam de consensu tutoris, non possunt valide alienare bona immobilia, nec mobilia quæ servando servari possunt*, ut aurum, gemmæ, etc., *nisi accedat judicis auctoritas* [1].

## CONCLUSIO III.

*Bona mobilia quæ servando servari non possunt*, id est, quæ per triennium custodiri non possunt, ait Glossa [2], ut vinum, frumentum, etc., *valide a pupillis, cum consensu tutoris alienantur, sine quo consensu non obligantur civiliter* [3]. Sed

PETES: *An sicut pupilli et minores sine auctoritate tutoris contrahentes non obligantur civiliter, ita etiam non obligentur naturaliter?*

RESP. Probabilius est ipsos obligari naturaliter et in conscientia; tamen possunt hanc obligationem, beneficio restitutionis in integrum, elidere, et ita non obligantur efficaciter.

*Prob. resp.* Fidejussor minoris obligatur etiam civiliter [4]: ergo obligatur ipse minor saltem obligatione naturali. Patet consequentia, quia communis est sententia jurisperitorum, *principali nullo modo obligato, non obligari fidejussorem;* deficiente enim principali obligatione, non valet accessoria: ergo ut fidejussor teneatur, requiritur ut principalis debitor saltem naturaliter obligetur; unde [5] dicitur *pupillum obligari naturaliter, si sine tutoris auctoritate promisserit.*

DICES: Variæ leges habent, pupillum et minorem sine auctoritate tutoris non obligari: ergo, etc.

[1] Lib. XXII, cod. *de Administ. tutor. et curat.* — [2] Gloss. in leg. *Unicam*, cod. *Si adversus usuc.* — [3] Inst. *Quibus alienare licet*, § 2. — [4] Leg. fin., ff. *de Jurejur.*, et Leg. *Marcellus, de Fidejuss.* — [5] Lib. I, ff. *de Novat.*

Resp. *Dist. ant.* Non obligari *civiliter*, conc.; *naturaliter*, subdist.: *efficaciter*, conc.; *modo caduco*, nego. Ratio est, quia minor potest hanc obligationem naturalem elidere beneficio restitutionis in integrum, et hac ratione dicitur non obligari ex tali contractu.

II. *Ex jure Gallico*

1° Minores utriusque sexus dicuntur illi qui nondum vigesimum primum annum compleverunt. Alii sunt emancipati, alii non.

2° Minores *emancipati* sunt ii qui a paterna potestate vel a tutoris auctoritate liberati, sui sunt juris.

3° Minores *non emancipati* sunt ii qui paternæ potestati vel tutoris auctoritati subjiciuntur [1].

4° *Emancipatio* alia est *legalis*, quæ fit ipso jure per matrimonium, per quod homo fit caput mulieris et familiæ; alia est *voluntaria*, quæ fit a patri; vel, eo mortuo, a matre superstite; vel, utroque defuncto, a consilio familiæ coram judice (*juge de paix*) [2]. His notatis, sit

## CONCLUSIO 1.

*Minor non emancipatus nunquam contrahere potest* civiliter *proprio nomine, etiam cum patris vel tutoris licentia, sed ab ipsis repræsentari debet in omnibus conventionibus.*

Dixi *civiliter;* nam si proprio nomine contraxerit cum præscriptis conditionibus, ipse obligatur naturaliter, si non fuerit læsus; si autem inde secuta sit læsio, contractus est rescindibilis, et minor utitur beneficio restitutionis, ex Cod. civ. art. 1305, ubi dicitur: *La simple lésion donne lieu à la rescision en faveur du mineur non émancipé, contre toutes sortes de conventions,* ut in jure Romano.

Ratio, quia *minor restituitur*, ex adagio in jure recepto, *non ut minor, sed ut læsus.*

[1] Cod. civ., ab art. 388 ad art. 488. — [2] Cod. civ., art. 476, 477, 478.

Utrum vero contractus sit rescindibilis, si minor læsus fuerit in iis quæ gessit tutor, controvertitur.

*Excipiuntur* casus sequentes, in quibus restitutio locum non habet. *Primus*, si minor dolo, non vero mera affirmatione persuaserit se esse majorem [1].

*Secundus*, si obligatio oriatur ex suo delicto vel quasi-delicto, id est, ad reparandum damnum quod intulit [2].

*Tertius*, si læsio proveniat ex casu fortuito et improviso [3].

*Quartus*, si, commercium aut artem exercens, læsus fuerit in actibus commercii vel artis suæ, quia pro his reputatur major [4].

*Quintus*, si major factus approbaverit contractum quem ipse minor fecerit [5].

*Sextus*, si inde factus est ditior [6].

*Septimus*, si læsus fuerit in contractu matrimoniali (quoad effectus civiles) cui consenserunt ii ad quos pertinebat consentire.

Hæc facultas rescindendi perdurat decem annos [7].

## CONCLUSIO II.

*Minor emancipatus potest facere omnes actus qui sunt bonorum administrationis; sed alios actus facere nequit, quin formalitates pro minore non emancipato requisitas servet* [8].

Hinc 1° potest locare, non tamen ultra novem annos; 2° redditus percipere eosque acceptos referre; 3° non potest alienare immobilia, etc.

QUÆRES: *In quo discrepant interdicti et prodigi a minoribus, ratione inhabilitatis?*

*Nota. Interdicti* dicuntur qui judicis sententia decla-

[1] Cod. civ., art. 1307. — [2] Art. 1310. — [3] Art. 1306. — [4] Cod. civ., art. 487 et 1308. — [5] Art. 1311. — [6] Art. 483. — [7] Cod. civ., art. 1304. — [8] Cod. civ., art. 481, 482, 484.

rantur incapaces exercendi actus civiles, seipsosque regendi ob statum imbecillitatis, dementiæ aut furoris [1].

*Prodigi* sunt illi qui bona sua large, inutiliter et male profundunt, v. gr. in comessationibus, potationibus, luxuriis, etc.

Resp. Discrepant in eo quod : 1° ipsorum conventiones ipso jure penitus irritentur, licet non interveniat læsio. Hinc effatum : *Interdictis restituitur, ut interdictis ; et minori non ut minori, sed ut læso.*

2° Cessat interdictio cessante causa, cujus tamen cessatio declarari debet a judice, ut interdictus possit iterum civiliter agere, minor vero major ætate factus, natura liber est.

3° Imbecillitas aut dementia defuncti non interdicti invocari non potest ad rescindendos ejus contractus, nisi dementia constet ex ipso contractu [2]. Excipe donationes et testamentum, pro quibus lex sanam mentem requirit.

4° Nihil a jure interdicitur prodigo, sed omnia ad arbitrium oratorum et judici pronuntianti relinquuntur [3].

*Nota.* Nullitas contractuum irritorum propter minoritatem, interdictionem et prodigalitatem, opponi non potest nisi ab ipsis vel ab illorum causam agentibus, non vero ab illis quibuscum contraxerunt.

## CONCLUSIO III.

*Uxores contrahere non possunt sine speciali consensu mariti, vel, illo quacumque de causa deficiente, sine judicis auctoritate; ideoque si quas conventiones fecerint, rescindi possunt vel a marito, vel ipsorum hæredibus, non vero ab aliis nullitatem opponentibus* [4].

*Nota.* Confer, pro intelligentia conclusionis, quæ dicta sunt in tract. *de Justitia*, circa diversos modos civiles matrimonium contrahendi.

[1] Art. 489. — [2] Cod. civ., art. 504. — [3] Cod. civ., art. 513 et seqq. — [4] Cod. civ., art. 217 et 219 et seqq.

*Excipe* 1° Si uxor, consentiente marito, commercium exerceat, de his enim de quibus mercaturam facit contrahere potest [1].

2° Si delictum commiserit, tunc enim mulier potest sine mariti licentia agi coram tribunali [2].

3° Si bona uxoris sunt separata sententia judicis, vel quia contraxit matrimonium sub regimine communitatem bonorum excludente ; tunc enim potest alienare bona mobilia pro libitu suo, et immobilia administrare.

4° Si agatur de bonis paraphernalibus quæ potest etiam sub regimine dotali alienare et administrare.

5° Si agatur de testamento vel donatione causa mortis, quia cum testamentum non pareat effectum nisi post mortem, parum interest marito quænam fuerit uxoris dispositio testamentaria [3].

QUÆRES : *Quid dicendum de civiliter mortuis ?*

RESP. Civiliter mortui dicuntur ii qui, ob aliquas pœnas inflictas, juribus civilibus adeo spoliantur, ut respectu societatis tanquam mortui habeantur, et sunt 1° damnati ad mortem; 2° ad triremes; 3° ad deportationem.

Unde mors civilis non est ipsa pœna, sed pœnæ consequentia.

Hi sunt præcipui mortis civilis effectus :

*Primus*, proprietatis amissio omnium bonorum, quæ transeunt ad hæredes, quin valeat testamentum, si quod fecerint.

*Secundus*, incapacitas recipiendi successiones, donationes inter vivos, præter id quod ad eorum sustentationem destinatur.

*Tertius*, incapacitas donandi bona quæ acquisiverint, sive inter vivos, sive testamento ; sed post mortem naturalem ad gubernium transeunt [4].

*Nota* 1. Mortui civiliter non prohibentur accipere do-

[1] Cod. civ., art. 220, et Cod. com., art. 457. — [2] Cod. civ., art. 216 et 1426.
[3] Cod. civ., art. 1576. — [4] Cod. civ., art. 2533.

nationes manuales, nec facere suum lucrum quod ex sua industria reportant, nec plerosque contractus et commercium exercere, inhabiles enim sunt ad ea tantum quæ lege determinantur.

*Nota* 2. Plures sunt personæ quæ prohibentur a quibusdam contractibus ineundis, v. gr. tutor erga bona minoris, conjuges inter se, et similia [1].

## ARTICULUS III.

### DE CONSENSU AD CONTRAHENDUM REQUISITO.

QUÆRES : *Quinam consensus requiratur ad valorem contractus?*

RESP. 1. Consensus debet esse verus seu internus, et mutuus, nec sufficit consensus fictus et externus, quia ad contractus validitatem requiritur ut duæ *voluntates in idem* conveniant [2]; atqui non possunt in idem convenire absque consensu interno et mutuo : ergo, etc.

DICES : Ergo ad nihil tenetur qui ficte contraxit?

RESP. *Dist. illatum:* Ad nihil tenetur *vi contractus ficti*, qui nullus est, *conc.;* ratione injuriæ per injustam deceptionem factæ, *nego.* Itaque, qui alium decepit per consensum fictum, tenetur deceptionem injustam tollere vere contrahendo et contractum implendo ut verum; nam ex justitia tenebatur vere contrahere : injuriam ergo fecit ficte contrahendo, quam postea tenetur tollere vere contrahendo.

RESP. 2. Consensus debet aliquo signo externo exprimi, alias consensus unius ab alio contrahente non posset cognosci et acceptari; unde contrahentes non possent convenire in unum. Hinc duplex illa regula :

1° In contractibus onerosis, regulariter loquendo, ac-

[1] Conf. Cod. civ., art. 1596 et 1597, et speciatim ubi de contract. in specie.
[2] Lib. I, ff. *de Pactis.*

ceptatio debet esse explicita, quia regulariter nemo censeri debet in se gravem obligationem assumere, nisi certo constet de ejus voluntate, ex regula 44 juris, in 6° ; *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

2° In materia favorabili taciturnitas, regulariter loquendo, reputatur pro consensu, ex alia regula 43 juris, in 6° : *Qui tacet, consentire videtur.*

Resp. 3. Consensus debet esse omnino liber et plene deliberatus, quia debet esse actus humanus ; sed cum quædam libero voluntario pugnare intelligantur, ut error, dolus, metus, etc. Ideo

## PUNCTUM I.

**An contractus ex errore vel dolo initus sit validus.**

*Nota* 1. *Error* est judicium falsum ; *est enim unum pro alio putare* [1].

*Dolus* est *omnis calliditas ad circumveniendum et decipiendum alterum exhibita* [2].

*Nota* 2. Error sive dolus *duplex* est. 1^us^ Est *circa substantiam rei* de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma ; vel circa naturam contractus, ut si consentias in contractum quem putas esse commodationem, cum sit locatio ; vel circa qualitatem redundantem in rei substantiam : talis est qualitas quæ est principale motivum contrahendi, v. gr. si Petro promittas centum aureos, quia putas eum esse tuum consanguineum, cum non sit... 2^us^ Est *circa qualitatem accidentalem*, ut si equus sit debilis, cum putetur robustus ; ager sterilis, qui putatur frugiferus.

*Nota* 3. Error vel dolus circa qualitatem accidentalem iterum duplex est, nempe : antecedens et concomitans.

*Dolus et error antecedens* est ille qui ita dat causam con-

[1] Can. 2, 22, quæst. 2. — [2] Lib. I, ff. *de Dolo malo.*

tractui, ut sine illo non fuisset initus, v. gr. si cognovisses equum esse debilem, non illum emisses.

*Dolus* aut *error concomitans*, seu incidens in contractum, est ille qui non dat causam contractui, sed tantum ad contrahendum impellit; unde non est causa quod emas simpliciter, sed quod libentius et carius emas id quod, sublatis errore et deceptione, adhuc emeres, sed non tanti. His notatis,

## CONCLUSIO I.

*Error vel dolus circa substantiam rei, vel circa qualitatem redundantem in rei substantiam, vel circa naturam contractus, qualiscumque sit, etiam concomitans, contractum jure naturæ irritat.*

PROB. Absque substantiali consensu, nullus est contractus; atqui ubi est error et dolus circa substantiam rei, etc., non est consensus substantialis; voluntas enim non fertur in incognitum [1]: ergo, etc.

*Hinc*, si venditor gemmam putet esse vitrum et pro tali vendat, emptor, re comperta, tenetur ad restitutionem gemmæ, vel ad justum pretium. *Item*, si quis summam pecuniæ alteri substituat quia pauper est, qui tamen foret dives, donatio est nulla, quia illa qualitas est motivum principale contrahendi, unde redundat in rei substantiam, et cum illa ingreditur objectum substantiale contractus.

## CONCLUSIO II.

*Error vel dolus concomitans circa qualitatem rei accidentalem non irritat contractum, nisi contrahens de errore cogitans exterius vel interius ac serio dicat se nolle contrahere, nisi stante tali qualitate.*

PROB. Quia tunc adest verus et absolutus consensus circa rem ipsam: ergo validus est contractus. Unde, non

[1] Lib. IX, cod. *de Jur. et facti ignor.*

potest rescindi ad arbitrium decepti, sed ad æqualitatem reduci debet [1].

*Hinc*, qui daret elemosynam pauperi improbo quem probum crederet, valeret eleemosyna, licet forte non dedisset, si perspectam habuisset ejus improbitatem.

Dixi *nisi contrahens*, etc., quia tunc contractus esset conditionatus, et deficiente conditione, non subsisteret. Porro, conditio quæ dicitur *sine qua non*, dignoscitur *implicite* posita, vel ex dispositione legum, vel usu locorum, vel æstimatione hominum, vel natura contractus, vel fine ad quem res vel actio de qua contrahitur deputatur, ut si emas vinum Mosellanum pro ægroto, vel bovem ad arandum, vel equum ad gignendum, etc.

## CONCLUSIO III.

*Error vel dolus antecedens circa qualitatem rei dans causam contractui, contractum non invalidat.*

Prob. Error vel dolus dans causam contractui non impedit consensum substantialem; differunt enim hæc duo: *Contrahere noluissem*, et *nolui contrahere;* posterius consensum tollit, non prius, alias vix ullus contractus validus foret, dum fere semper aliquæ occurrant circumstantiæ, quæ si fuissent prævisæ, deterruissent a contrahendo: ergo contractum non irritat.

Antecedens constat, tum ex jure [2], tum ex contractu matrimonii, cui dolus aut error circa accidentia dedit causam, qui nihilominus est validus, ut fatentur unanimiter Doctores: ergo, etc.

Quæres: *An hic contractus, cui error dedit causam, possit in irritum revocari pro arbitrio ejus qui deceptus est?*

Resp. Error et deceptio contingere potest *tripliciter:*

[1] Cap. 3 *de Empt. et vendit.* — [2] *Instit.*, lib. IV, tit. 13.

1° a *propria* decepti opinione; 2° ab *altera* parte contrahente; 3° a *tertia* persona.

Si error sit a *propria* decepti opinione, vel a tertia persona, contractus *onerosus* non potest rescindi ad arbitrium decepti, quia pars contrahens non ei facit injuriam; unde non tenetur eum in priorem libertatem restituere, sed solum reddere excessum pretii ut reponatur æqualitas; deceptor vero tenetur resarcire damnum illatum, cum sit causa illius injusta.

Dixi *onerosus*, quia contractus gratuiti, ut sunt promissio et donatio liberales, quamvis plures affirment illos validos esse, tamen possunt rescindi, juxta communem sententiam, si notabilis mutatio adveniat, aut error fuerit circa notabilem quantitatem. Ratio est, quia illa pacta pendent ab unius voluntate, qui potest contractui apponere quam voluerit conditionem, qualis est hæc, *ut nolit obligari irrevocabiliter, si notabilis sit error vel mutatio.*

Si deceptio sit ab *altera* parte contrahente, contractus, etsi validus, potest rescindi pro arbitrio decepti, *si sit solubilis;* quia decipiens fecit injuriam quam tenetur tollere restituendo deceptum in eum statum in quo erat ante contractum, et sic reddendo omnia infecta, si deceptus velit; nam ipse deceptus potest hunc contractum ratum habere, et tunc deceptor tenetur excessum pretii pro merce vitiosa accepti reddere; et damnum si quod est illatum, resarcire.

Dixi *si sit solubilis*, quia contractus indissolubilis (ut matrimonium et professio religiosa) non potest rescindi; unde in his contrahentes consentiunt *irrevocabiliter*, juxta naturam illorum contractuum.

Dices 1. Contractus onerosus ex natura sua utrinque obligatorius est: ergo vel utraque, vel neutra pars manet obligata.

Resp. *Dist. ant.* Utrinque obligat, *eodem modo*, nego;

*diverso modo*, nempe. Ex parte enim decipientis obligat irrevocabiliter; ex parte vero decepti revocabiliter, cum possit contractum dissolvere, utendo facultate sibi per leges concessa; et tunc, cessante obligatione decepti, cessat et decipientis obligatio.

Dices 2. Talis contractus est injustus: ergo jure naturæ est nullus.

Resp. *Negando consequ.* Quia, ut contractus sit injustus, sufficit ut extra accidentia æquitati naturali repugnet; ut autem sit invalidus, necesse est ut defectus in substantiam rei cadat; contractus autem de quo hic, non deficit in substantia, sed in qualitate vitiosa.

*Nota.* *In jure Gallico*, dolus contractum reddit nullum, cum ex machinationibus ab uno contrahente exercitis palam factum sit, quod, secluso dolo, contractus non fuisset initus [1].

## PUNCTUM II.

### An contractus metu initus sit validus.

*Nota.* 1. Metus duplex est: *levis* scilicet, et *gravis*, qui vel *absolute* vel *respective* est gravis.

*Metus levis* est ille quo timetur leve malum imminens, vel etiam grave, sed verisimiliter non imminens.

*Metus gravis absolute* est metus alicujus mali per se gravis, quo vir fortis commoveri solet, unde vocatur metus *cadens in constantem virum*. Talis est *metus mortis, mutilationis, longi carceris, diuturni exilii, stupri, amissionis honoratæ status, infamiæ*, etc.

*Metus respective gravis* est ille qui, licet non sit gravis per se et absolute, est tamen gravis relative ad fragilitatem talis personæ, v. gr. feminæ, senis, hominis meticulosi, etc.

Porro, ad metum gravem revocatur metus *reverentialis*,

[1] Cod. civ., art. 1116.

seu timor habendi parentem aut superiorem diu ac graviter infensos, si tamen præcesserint graves minæ, aut verbera, torvi aspectus, dura verba, etc., quæ vere mali metum immittant.

*Nota* 2. Metus oriri potest vel ab *intrinseco*, v. gr. ab infirmitate; vel ab *extrinseco naturali*, v. gr. metu naufragii; vel ab *extrinseco libero juste* metum incutiente, v. gr. metus mortis latronibus a magistratu incussus; vel ab *extrinseco libero injuste* metum incutiente, v. gr. metus mortis viatori a sicario incussus.

*Nota* 3. Metus ab extrinseco vel incutitur ad extorquendum consensum, vel ob alios fines. His necessario positis, sit

## CONCLUSIO 1.

*Metus gravis ortus ab intrinseco, item ab extrinseco naturali, item extrinseco libero juste motum incutiente, si non perturbat rationem ut consensus non sit sufficiens ad peccatum mortale, contractum non irritat.*

Ratio, quia hi contractus, licet sint secundum quid involuntarii, sunt tamen implicite et absolute voluntarii. Nec possunt rescindi, quia sola causa rescindendi contractum est injuria; atqui hic non est injuria.

Hinc 1° debitor in carcerem conjectus propter defectum solutionis, non potest repetere contractus rescisionem quem fecit in vinculis cum creditore; 2° stuprator auctoritate judicis compulsus ad ducendam defloratam ab ipso valide contraxit. Hæc tamen matrimonia sunt potius consulenda, quam exigenda, ex Lucio III[1]; *quia coactiones difficiles exitus habere solent.*

[1] Cap. *Requisivi de Spons. et matr*

## CONCLUSIO II.

*Contractus initus ex metu gravi, injuste ab extrinseco libero ad extorquendum consensum incusso, jure naturæ et positivo validus est ; sed rescindibilis ad arbitrium vexati, saltem ab altera parte contrahente, quibusdam contractibus exceptis.*

Conclusio est contra Dianam, Sylvium, etc., negantes : 1° quia, inquiunt, jus non oritur ab injustitia ; atqui si talis contractus esset validus, jus oriretur ab injustitia : ergo, etc.; 2° quia si talis contractus esset naturaliter validus, transferretur dominium rei de qua contrahitur, ei metum incutiens posset illam in conscientia retinere, saltem usque ad rescisionem, quod tamen negant omnes : ergo, etc.

Dixi *saltem ab altera parte contrahente;* nam si ab altero tertio gravis et injustus metus incutiatur, ad extorquendum consensum, altera sententia æque probabilis, negat contractum jure naturali esse rescindibilem ad arbitrium vexati. Ratio est, quia cum neutra pars injuriam fecerit, non est ratio ex natura rei cur contractus sit rescindibilis invito altero contrahente.

Prob. et explicatur propositio.

Dicitur 1° *jure positivo*, et quidem *Romano;* nam, ex *jure Gallico*, metus gravis contractum irritum facit, etiam ab alio tertio incussus, non solum contrahenti, sed etiam marito uxori, aut ascendentibus vel descendentibus contrahentis [1]. Adverte tamen quod in jure non raro dicitur irritum quod est irritandum.

Dicitur 2° *ex metu gravi, quia vani timoris justa excusatio non est* [2].

Dicitur 3° *injuste incusso*, quia si juste incussus, con-

[1] Cod. civ., art. 111 et 113. — [2] Ex reg. 134 juris, in 6.

tractus non esset rescindendus, cum non intervenisset injuria [1].

Dicitur 4° *ad extorquendum consensum:* nam si metus alia de causa fuerit incussus ab alio tertio, revocari non poterit contractus tali metu initus... Hinc, si quis a latronibus invasus, promittat tertio, qui doli non est conscius, summam pecuniæ ut eum liberet, tenetur promissa complere, quia tunc metus non est proprie causa contractus, sed occasio.

Dicitur 5° est *validus jure naturæ;* nam si esset invalidus, id proveniret vel ex defectu consensus, vel quia interveniret injuria. Atqui non ex defectu consensus, quia simpliciter et absolute est voluntarius; non ratione injuriæ, siquidem injuria non est causa immediata contractus, sed consensus contrahentis: ergo, etc... Hinc, si ob metum gravem, emptionis contractus fuisset initus, vexatus, invito vexante, huic insistere posset, et vexans ab eo resilire non posset.

Dicitur 6° *est validus jure positivo*, tum *canonico*, in quo dicitur: *Quæ metu et vi fiunt, debent in irritum revocari* [2]; tum *civili*, in quo legitur: *Venditiones, donationes quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari* [3]: ergo non sunt in ipso facto irriti.

Dicitur 7° est *rescindibilis ad arbitrium vexati;* et hoc vel auctoritate propria, vel, si non possit, per sententiam judicis; quia sicut vexans tenetur in conscientia injuste vexatum indemnizare, ita damnum passus potest per contractus rescissionem se indemnem reddere, independenter a sententia judicis.

Dicitur 8° *quibusdam contractibus exceptis;* jure enim positivo irriti sunt sequentes: 1° matrimonium [4]; utrum vero sit etiam irritum jure naturali, vide tractatum *de Matrimonio*, ubi sententiam affirmantem amplectimur;

[1] Lib. *Si mulier*, § *de Eo quod metus causa.* — [2] Cap. 2 *De iis quæ vi metuve fiunt.* — [3] Leg. ult., cod. *De his quæ vi*, etc. — [4] Cap. 5 *de Sponsalibus.*

2° dotis promissio aut solutio [1]; 3° professio religiosa; 4° promissio vel traditio rerum Ecclesiæ [2]; 5° jurisdictio metu gravi extorta [3].

*Excipimus* item cum Paulo a Lugdn. et Tournely contractus gratuitos (ut sunt donatio, promissio), qui sunt jure naturæ irriti, si tantum habeant pro objecto liberationem ab injusta vexatione; quod sic

Prob. Ille contractus jure naturæ est invalidus in quo venditur res invendibilis; atqui in contractu qui pro objecto habet solam liberationem ab injusta vexatione, venditur res invendibilis, nempe liberatio a vexatione.

*Prob. min.* Quod mihi stricte debitum est, mihi vendi non potest; atqui talis liberatio mihi stricte debita est; jus enim strictum habeo ut metu injusto non vexer: ergo... Hinc, si volenti te occidere des aut promittas summam pecuniæ ut a proposito desistat, nulla est jure naturæ donatio aut promissio.

Dices: In his contractibus reperitur sufficiens voluntarium: ergo sunt validi.

Resp. *Nego conseq.* Non enim dicimus invalidos eos esse defectu libertatis, sed defectu materiæ vendibilis.

*Ad primam* adversariorum *rationem* respondetur, quod jus non oritur hic ab injustitia, sed a voluntate contrahentis.

*Ad secundam*, quod injustitia sufficienter reparetur per rescindibilitatem ad nutum vexati; interdum altera pars obligatur stare contractui, qui forte favorabilis est innocenti. Ita S. Ligor. [4], qui nostram sententiam *probabiliorem* et communissimam vocat.

[1] *Si mulier*, § *Si dos*, ff. *de Eo quod metu causa.* — [2] Cap. 2 *de Jurejur.* [3] Lib. II, ff. *de Judiciis.* — [4] Lib. IV, num. 716.

## ARTICULUS IV.

### QUAM ET QUANDO OBLIGATIONEM PARIAT CONTRACTUS.

*Nota.* Obligatio contractus est vinculum quo quis vi contractus astringitur ad aliquid agendum vel omittendum.

Obligatio *duplex* est: *directa* et *indirecta*.

*Obligatio directa* est ea quæ *per se* et vi contractus obligat ad aliquid de quo conventum est.

*Obligatio indirecta* est qua *per accidens* obligatur contrahens ad compensanda damna quæ proveniunt ex graviter culpabili in executione conventionum, ut dictum est in tract. *de Jure et justitia.*

Obligatio directa *triplex* est: *mere naturalis*, *mere civilis* et *mixta.*

*Obligatio mere naturalis* ea est quæ nascitur ex solo jure naturali, et semper obligat in conscientia, quamvis in foro externo non det actionem.

*Obligatio mere civilis* est ea quæ dat actionem in foro externo ob aliquam præsumptionem falsam, quamvis non obliget in conscientia.

*Obligatio mixta* est ea quæ obligat tum in foro conscientiæ, tum in foro civili, in quo dat actionem.

### CONCLUSIO.

*Omne pactum validum etiam nudum parit obligationem in conscientia, etiam ad ejus omnia consectaria, licet in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmetur.*

Prob. Quia jure naturæ quisque tenetur servare fidem datam, eamque fallere intrinsece malum est, nec refert an pactum sit nudum, an vestitum, quia jure naturæ, nulla

est inter hæc distinctio, sed solo jure civili, quæ distinctio solum forum externum respicit : hinc regula 23, in 6° : *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*

Dixi 1° *validum,* quia omnis contractus jure positivo absolute irritus nullam parit obligationem in conscientia; quia revera nullus est, cum sit annulatus per legitimam potestatem, cui voluntates et bona subditorum subjiciuntur. Quod si contractus non sit ipso facto irritus, sed tantum irritandus, obligat in conscientia donec a judice irritetur.

Dixi 2° *licet in foro externo non tribuat actionem ;* quia *nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem* [1].

Dixi 3° *nisi juramento confirmetur,* quia cum accedit juramentum pactis nudis, *jus civile non intendit ea irritare, sed relinquit in suo vigore quem habent, præciso jure positivo* [2].

Dixi 4° *etiam ad ejus omnia consectaria,* ea, scilicet, quæ pro conventionis natura postulat æquitas, lex aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et ideo velle non tantum quod expresse pacto determinatur, sed etiam quod ab eo nasci solet. Hinc, in dubio quid partes intenderint, ad usum locorum, legem, æquitatem et finem intentum debet attendi, et clausulas contractus unam per alteram explicari.

Quæres : *An contractus sine solemnitatibus a jure requisitis factus, liget conscientiam ?*

*Nota* 1. *Triplici* modo lex potest improbare contractum vel actum.

1° *Negative,* neque prohibendo, neque irritando, sed actionem in foro exteriori denegando, intacta relicta naturali obligatione ; sic improbantur pacta nuda de quibus supra.

[1] 6 *Juris gentium,* dig. *de Pact.* — [2] Lessius, pag. 198.

2° Prohibendo solum et non irritando ; sic prohibetur negotiatio Clericis et matrimonium tempore vetito. Tunc valida sunt pacta, licet illicita, ex regula juris [1] : *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

3° Irritando positive contractum vel actum ; et hoc duplici modo : 1° *civiliter* tantum et in foro externo, denegando actionem simul et decernendo contractum esse per sententiam judicis vel ad nutum partis ita rescindibilem, ac si ab initio non fuisset initus. Sic irritantur contractus pupilli sine assistentia tutoris initi. 2° *Civiliter et naturaliter* simul, unde nulla oritur obligatio. Sic irritatur matrimonium clandestinum.

*Nota* 2. Solemnitates juris sunt quidam ritus seu conditiones quæ secundum leges in contractibus adhiberi debent; v. gr. certus numerus testium. His notatis,

Resp. *Triplex* est sententia probabilis.

*Prima sententia* affirmat. Ratio, quia legislator humanus, licet actionem civilem deneget, non potest naturalem obligationem tollere ; sic ex contractu de quo agitur, exurgit naturalis obligatio, cum fiat inter personas naturaliter habiles : ergo, etc.

*Prob. min.* Legislator humanus nec potest, nec intendit ultra id quod postulat bonum commune ; atqui sufficienter consulitur bono communitatis, si talibus contractibus denegetur actio civilis : ergo, etc. Ita Molina et alii plures.

*Secunda sententia* negat contractum defectu solemnitatis a jure irritum, obligare in conscientia. Ratio est, quia duo homines privati, seposito omni jure positivo, possunt inter se statuere certas formulas et conditiones, sine quibus contractus eorum in posterum non censeantur validi, nec obligari in conscientia : ergo a fortiori Respublica, cui voluntates et bona subditorum subjiciuntur in ordine ad

[1] In Extravag. *de Regularibus*, lib. III, tit. 31.

bonum commune et rectam subditorum gubernationem, potest constituere hujusmodi conditiones: patetque ex praxi, v. gr. in matrimonio clandestino, in contractu pupilli sine tutoris auctoritate, qui jure naturæ essent validi, nisi jus positivum eis resisteret.

Dicunt *irritus*, quia si esset prohibitus a jure, sed non irritus, contrahens quidem peccaret, sed teneret ejus contractus, quia esset illicitus, non vero invalidus.

*Tertia sententia* docet in his contractibus præferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum.

Prob. Ex illa regula juris 11, in 6°: *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*; sed in casu jura sunt vere obscura, ut patet ex alterutra sententia supra relata; præterea, cum possessio jus certum possessori tribuat, non potest possessor spoliari nisi constet de jure alterius: ergo, etc. Hanc sententiam putat S. Alphonsus de Ligorio, non solum probabiliorem, sed in praxi omnino tenendam [1]; post vero sententiam judicis, tenetur possessor in conscientia restituere.

Petes: *Quomodo cognoscitur an contractus sit illicitus tantum, non vero invalidus?*

Resp. Id dignosci ex verbis legislatoris, qui si dicat: *Nullus est contractus, nullam parit obligationem*, etc., tunc contractus est invalidus.

Dices: Lex quæ contractus sine quibusdam solemnitatibus factos irritat, fundatur in præsumptione fraudis: ergo quando non intervenit fraus, contractus est nihilominus validus, et ideo non obligat tunc sententia judicis.

Resp. *Nego ant.* Lex enim contractus irritans non fundatur in præsumptione fraudis, quam legislator scit aliquando reipsa non inveniri, ut in matrimonio clandestino, sed fundatur in periculo fraudis legalis, quod semper reperitur: ergo sententia judicis obligat.

[1] S. Liger., lib. IV, num. 71 et 936.

# CAPUT II.

## DE CONTRACTU NON PURO.

*Nota.* Contractus non purus est ille qui modificatur; modificatur autem: 1° per juramentum; 2° per conditiones; 3° per modos; unde triplex articulus.

## ARTICULUS I.

### DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO.

QUÆRES: *An contractus invalidus firmetur juramento?*

*Nota* 1. Juramentum est *advocatio Dei in testimonium alicujus rei.* Duplex est juramentum: *assertorium*, quo Deus vocatur in testimonium veritatis alicujus assertionis; *promissorium*, quo Deus vocatur in testem eorum quæ promittuntur. De priori agitur ubi de Virtute Religionis; hic agitur de posteriori.

*Nota* 2. Aliud est juramentum esse validum, et aliud contractum juramento firmari.

Juramentum est præcise validum, quando servari debet ob honorem Dei adducti in testem, quamvis ei in cujus favorem sit, nullum jus acquirat. Unde, inducit solam obligationem religionis, nec transit ad hæredes, utpote personalis, tolliturque juramenti relaxatione.

Juramentum vero firmat contractum, quando contractum invalidum efficit validum, unde inducit obligationem religionis et justitiæ; unde si juramentum relaxetur, manet obligatio justitiæ ex contractu, quæ transit ad hæredes utpote realis [1].

*Nota.* 3. Juramentum sive firmet contractum, sive non, est *validum*, si possit servari sine peccato jurantis, vel

[1] Cap. *Cum contingat, de Jurejur.*

sine damno alterius; alias, est invalidum, nec obligat. Utrumque aperte colligitur ex jure [1].

*Ratio primi* est, ne Deus quantum in nobis est, reddatur testis falsitatis.

*Ratio secundi* est, quia juramentum non est vinculum iniquitatis [2]. Unde

Resp. 1. Juramentum dolo extortum non firmat contractum, si dolus dedit causam contractui, quia juramentum non confirmat incognita; unde jurans non tenetur nisi prout bona fide apprehendit [3]. Unde non eget relaxatione.

Resp. 2. Juramentum extortum vi, metu gravi injuste incusso ab eo cui juratur, ad firmandum contractum invalidum vel rescindibilem, non firmat contractum, cum possit rescindi per relaxationem juramenti [4], quod probabilius est validum.

Prob. Quia qui alii injuriam intulit, eam resarcire tenetur : ergo jus illius non est firmum et irrevocabile, sed jurans potest ob injuriam acceptam petere et obtinere relaxationem juramenti, cum *probabilius* sit validum, qua obtenta, cessat obligatio. Div. Thomas [5], Salmantic., Lessius, etc.

*Hinc*, quamvis usuræ juratæ solvi debeant ex obligatione religionis, ut constat ex cap. 6 *de Jurejur.*, cum licite solvi possint, tamen ad illas usurarius non habet jus firmum, cum, ex eodem cap., illas restituere teneatur, et jurans possit petere relaxationem juramenti, et tunc non solvere.

Alii vero probabiliter docent, cum S. Antonino, Azor., Sylvio, etc., tunc juramentum esse invalidum : 1° quia juramentum naturam actus sequitur ; sed actus est invalidus : ergo et juramentum. Etenim juramentum subsistere

[1] Cap. *Cum contingat, de Jurejur.*, et cap. 2 *de Pactis*, in 6. — [2] Cap. 18 *de Jurejurando*. — [3] Panorm., cap. *Cum contingat, de Jurejur.* — [4] Cap. 28 *de Jurejur.* — [5] 2 2, quæst. 89, art. 7, ad 3.

non potest sine objecto de quo juratur; atqui contractus de quo juratur est nullus : ergo, etc.; 2° nemo ad inutile tenetur; sed inutiliter solveres quod statim repetere potes : ergo, etc.

At responsio generalis est, quod ex motivo religionis tenemur efficere ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus: ergo juramentum servari debet quoties sine peccato servari potest.

Quod si juraverit se dispensationem non petiturum, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, juramentum est validum et servandum. Consulunt plurimi tunc totum esse Superiori exponendum, et si Superior sine prævia petitione relaxationem concedat, jurans amplius non obligabitur.

Resp. 3. Contractus ex natura sua invalidus non firmatur juramento, sed validum est juramentum, si sit de re licita, licet juramentum fuerit illicitum.

Prob. prima pars. Quia juramentum utpote contractui extrinsecum, non mutat naturam illius : ergo validum non facit quod ex se invalidum est. Hinc axioma : *Juramentum sequitur naturam actus.*

Prob. secunda pars. Quia juramentum toties impleri debet, quoties impleri potest absque peccato, propter divinæ majestatis reverentiam.

Resp. 4. Contractus solo jure positivo irritus probabilius aliquando firmatur juramento, aliquando non firmatur. Firmatur quidem *probabilius*, quando irritatio facta est immediate et principaliter propter utilitatem privatam alterius contrahentium, modo absit injustitia ex parte illius cui juratur; *non firmatur vero probabilius*, quando irritatio facta est immediate et principaliter propter bonum commune. Elbel, Spor., S. Ligor. et alii.

Prob. prima pars. Quia quisque potest renuntiare juri quod in suum favorem est introductum : ergo, posita tali renuntiatione, perinde est ac si non esset ius positivum;

atqui, jure positivo excluso, contractus illi sunt ex sua natura firmi et validi : ergo perinde obligant ac si per leges non fuissent irritati, et dant actionem in foro externo [1].

PROB. SECUNDA PARS : Ex cap. *Si diligenti, de Foro competenti*. Ratio est, quia tunc juramentum esset de re illicita, cum sit in detrimentum boni publici : ergo non firmat contractum; imo et ipsum est invalidum [2], ita ut non egeat relaxatione.

*Hinc*, juramentum Clerici, quo renuntians foro suo promittit se compariturum coram judice sæculari, non firmat promissionem, imo est invalidum [3], quia hoc privilegium principaliter concessum est ordini Clericali.

## ARTICULUS II.

### DE CONTRACTU CONDITIONATO.

*Nota* 1. Conditio est qualitas contractui adjecta, quæ consensum et obligationem suspendit donec impleatur ; exprimi solet per particulas *nisi, si, modo,* etc. ; quando adimpleta est conditio, contractus dicitur purificari, et transit in absolutum, seu purum, quin necesse sit renovare consensum, ut communius et probabilius tenent Doctores.

*Nota* 2. Conditiones multiplicis esse generis.

Alia est *expressa,* alia *tacita,* quia bona fide contrahentes censentur consentire, quidquid, attenta conventionis natura, postulant æquitas, lex aut consuetudo.

Alia est *de præsenti*, v. gr.: promitto, si meus es cognatus.

Alia est *de præterito*, v. gr. : promitto, si inimicum visitasti.

Alia est *de futuro necessario*, v. gr. : vendo tibi, si ex morituro.

[1] Authent. *Sacramenta puberum*, cod. *Si adversus vendit.* — [2] Cap. *de Jurejur.* — [3] Cap. *Si diligenti, de Foro competenti.*

Alia est *de futuro contingenti*, v. gr.: promitto tibi, si nupseris.

Alia est *impossibilis*, v. gr.: promitto tibi, si cœlum digito tetigeris.

Alia est *honesta*, v. gr.: promitto, si Sacro adsis.

Alia est *turpis*, quæ vel rem malam continet, vel est boni impeditiva, vel præcedenti obligationi adversativa.

Alia est *contraria substantiæ contractus*, v. gr.: ducam te in matrimonium, si vis vitare generationem, vel solvere matrimonium post aliquot tempus.

His notatis, sit

## CONCLUSIO I.

*Conditio de* præsenti *vel* præterito *contractum non suspendit; sed si conditio extitit, statim valet contractus, si non extitit, non valet, etiamsi ignoretur* [1].

Idem dicendum est de condi ione *de futuro necessario* cognito ut tali, quia cum sit certo futurum, conditio censetur præsens [2].

## CONCLUSIO II.

*Conditio* de futuro contingenti *suspendit contractum usque ad ejus eventum.*

Prob. Quia qui promittit aliquid dare sub conditione non necessaria, non intendit illud dare nisi posita conditione, ut communiter dicunt Doctores; non potest tamen resilire ante conditionis tempus, nisi in casibus infra exceptis [3]. Posita autem conditione, statim absque novo consensu obligationem parit, quia, conditione posita, purus fit et absolutus.

[1] Leg. *Cum ad præsens*, ff. *Ne certum petetur*. — [2] Leg. *Si pupillus*, ff. *de Novationibus*. — [3] Parte 2, § *De donatione*.

## CONCLUSIO III.

*Conditio* impossibilis *de præsenti, præterito vel futuro,* **et** turpis *de futuro, contractum irritat*[1]*; et conditio contraria substantiæ contractus, exceptis matrimonio quoad conditionem impossibilem, et dispositionibus ultimæ voluntatis, licet diversimode.*

Prob. *De conditione impossibili*, quia est signum non adesse consensum serium, sed potius dissensum, cum contractus non possit purificari.

Prob. *De conditione turpi de futuro*, quia alterum directe alliceret ad peccatum; atqui nemo potest obligari ad servandum contractum quo alius alliciatur ad peccatum : ergo, etc. Impleta tamen conditione, oritur pro alia parte contrahentis obligatio faciendi quod promisit, non quidem ex contractu, sed ex opere facto occasione contractus.

Prob. *De conditione contraria substantiæ contractus*, quia contractus subsistere non potest absque sua substantia; et qui talem conditionem ponit, vult et non vult pactum, ex hac autem contradictoria voluntate nihil sequi potest : ergo, etc.

Dixi 1° *turpis de futuro*, quia turpis de præsenti vel præterito non allicit ad peccatum, sed illud supponit factum; ergo non irritat contractum.

Dixi 2° *excepto matrimonio,* etc., circa quod hoc statuit Gregorius IX[2] : *Conditiones impossibiles et turpes contractui matrimonii adjectas, debere propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ac proinde non irritare contractum matrimonii, exceptis iis quæ sunt contra substantiam conjugii.* Ratio est, quia non serio adjectæ præsumuntur.

Dixi 3° *exceptis dispositionibus ultimæ voluntatis* (ut sunt testamentum, legatum, donatio mortis causa), quia con-

[1] Leg. *Impossibiles*, ff. *de Verb. obligat.* — [2] Cap. finali *de Conditionibus apposit.*

ditio *impossibilis* vel *turpis* ipsis adjecta, pro non adjecta habetur a jure [1]. Ratio juris est vitatio litium quæ post mortem testatoris nasci potuissent circa ejus mentem, utrum serio vel joco tales apposuerit conditiones.

Dixi 4° *licet diversimode*, quia conditio impossibilis et turpis irritat tantum matrimonium secundum fori externi præsumptionem tales conditiones non fuisse serio contractui adjectas; unde, si serio fuerint adjectæ, certum est matrimonium coram Deo esse nullum, quia revera nullus est consensus; e contra, conditio turpis et impossibilis irritat ultimas voluntates, tum in foro externo, tum in conscientia.

*Ratio disparitatis* est, quia jus non potest supplere consensum in matrimonio, cum talis consensus non subsit dispositioni juris humani; at jus potest consensum supplere in ultimis voluntatibus, quia res externæ subsunt dispositioni juris humani, suppetente justa causa.

Resolves 1. Legatum factum virgini sub conditione: *si non nupserit*, valet etiamsi nubat, quia hæc conditio est nociva Reipublicæ, ideo turpis [2].

Dixi *virgini*, quia si legatum factum sit viduæ sub eadem conditione, non valet, si ad alias transeat nuptias [3], quia sæpe familiarum interest ut vidua non nubat.

Resolves 2. Legatum sub hac conditione: *si Religionem non ingrediaris*; vel sub ista: *si nupseris*, valet etiamsi Religionem amplectaris; quia cum conditio retrahat a statu perfectiori, censetur inhonesta, et consequenter non apposita [4].

[1] Leg. ff. 1, 5, 6 *de Condit. instit.*, et § *Impossibilis*, Instit. *de Hæred. instituendis.*— [2] Leg. *Titiæ*, ff. *de Condition. et demonstr.*— [3] Authent. *Cui relictum*, cap. *De indicta viduit. tollenda.* — [4] Novell. 123 *de Sanct. Episc.*, cap. 27.

## ARTICULUS III.

### DE CONTRACTU MODALI.

*Nota* 1. Modus est qualitas adjuncta contractui absoluto et substantialiter completo, ad quem se habet ut accessorium ad principale, addens aliquid in onus aut favorem contrahentis.

*Nota* 2. Contractus *sub modo* obligat statim, nec irritus est, etiamsi modus non servetur, nisi aliter contrahens expresserit. Ratio est, quia modus dispositionem in suo genere perfectam supponit; quod autem supponit rem perfectam, eamdem non irritat. Unde modus non se habet ut conditio effectum suspendens, sed ut *onus* dispositioni adjectum, ad quod subeundum tenetur alter stricte et ex justitia, sed non illico sub pœna nullitatis [1], nisi disponens addiderit hanc vel aliam clasulam: *alioquin donatio nulla sit;* tunc enim resolvitur in contractum conditionalem qui, modo non impleto, seipso corruit. Unde,

*Resolves:* Hæredes legantis non possunt sibi vindicare legatum eo prætextu quod non servetur modus, v. gr. eo quod missæ non celebrentur, sed tantum jus habent ad cogendum legatarium ut missas celebret, vel celebrari curet.

Quæres: *An et quomodo obligent contractus modales?*

*Nota.* Quinque præcipui sunt modi contractibus adjungi soliti, nempe: 1° *ad diem*, 2° *ad causam*, 3° *ad demonstrationem*, 4° *sub pœna*, 5° *sub disjunctione*. Hinc,

Resp. 1. Contractus *ad diem certum*, statim parit obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem præfixum, v. gr. *Paschatis*. Contractus vero *ad diem incertum*, v. gr. *Cum nupseris*, suspendit contractum: nam resolvitur in conditionalem *si nupserit* [2].

Resp. 2. Contractus seu donatio *ad causam* nullus est, si causa finalis non subsistat, quia nullus est consensus sub-

[1] L. *Mævius*, ff. *De manumiss. test.* — [2] Lib. I, ff. *de Cond. et demonstrat.*

stantialis; at est validus, si sola causa impulsiva deficiat, quia ille defectus non tollit consensum circa motivum principale et finale volendi.

Resp. 3. Error *in demonstratione*, si sit circa substantiam aut personam, vitiat contractum; secus, si sit solum circa accidentia, ut patet ex dictis supra [1].

*Hinc*, si quis leget Petro centum nummos, quos ipsi debet Paulus, vel quos habet in tali arca reconditos, si Paulus nihil debeat, vel nulla sit pecunia in tali arca, nullum est legatum, quia error est in substantia; sed si Paulus debeat tantum viginti, item si viginti tantum sint in arca demonstrata, valet legatum, quia error est tantum in accidente. Sed

Petes: *Si quis dixerit:* Lego Petro decem nummos quos mihi debet Paulus, *et Paulus centum debeat, an omnes sunt legati?*

Resp. Si demonstratio apposita est *taxate* ad restringendum legatum, tunc solum debetur ille numerus demonstratus; constat enim mentem testatoris fuisse ut amplius non donaretur; si vero sit apposita *demonstrative tantum*, ad denotandum id quod legatum est, tunc debentur centum nummi demonstrati, quia error est tantum circa accidentia.

*Porro*, demonstratio sumitur *taxate*, cum donatio incipit a numero vel mensura: v. gr.: *Do centum nummos in tali arca reconditos.* Sumitur vero *demonstrative* tantum, cum incipit donatio a re ipsa quæ datur; v. gr.: *Do pecuniam quæ est in tali arca, et constat ex nummis centum.*

Resp. 4. Contractus *sub pœna*, id est, in quo imponitur pœna debitori si pactum non sortiatur effectum, v. gr.: *tibi domum ædificabo cum tali dimensione; sin autem, tibi solvam mille francos;* quæ debetur ex justitia, si petatur, saltem si culpabiliter non adimpletus est contractus; si vero

[1] I parte, § 1, puncto 1.

absque culpa contractus suo caret effectu, non tenetur ante sententiam judicis. Sed

*Nota* 1. Pœna debet esse moderata et culpæ proportionata; secus, non obligat.

*Nota* 2. Cum pœna sit aliquid accessorium obligationi contractus, sequitur: 1° eam non subsistere si principalis obligatio nulla sit, et e contra principalem obligationem non vitiari per nullitatem pœnæ; 2° creditorem posse principalem obligationem urgere, neglecta pœna conventionali, sed ei non licere utramque exigere, nisi hæc pœna ob moram adjecta fuerit. Ita etiam Cod. civ. [1].

Resp. 5. Contractus *sub disjunctione* vel *alternatione*, ut dicunt, v. gr.: *Promitto bovem aut equum*, parit obligationem tradendi unam ex rebus in promissione deductis, sed nulla præcise et determinate debetur. Circa quod

*Nota*. Electio rei tradendæ per se pertinet ad debitorem, potest tamen concedi creditori. Unde, si una ex rebus promissis perierit, altera debetur; si utraque perierit absque culpa debitoris, penitus cessat obligatio; si vero debitor est in culpa, distinguendum: vel ipsi competit jus electionis, vel creditori. *Si primum*, tenetur solvere pretium alterutrius ad suum arbitrium, si simul perierint; vel ejus quæ ultima periit, si diverso tempore perierint, quia hæc facta fuit unicum objectum obligationis. *Si secundum*, solutio fit ad arbitrium creditoris. Ita etiam Cod. civ. [2].

[1] Art. 1226 et seqq. — [2] Art. 1188 et seqq.

# PARS SECUNDA.

## DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI.

Hic contractus magis ad praxim necessarios breviter exponemus duplici capite, quorum *primum* erit de contractibus gratuitis; *secundum* vero de contractibus onerosis.

## CAPUT I.

### DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

Agemus 1° de promissione; 2° de donatione; 3° de commodo et precario; 4° de deposito et sequestro; 5° de mandato et gestione; quinque articulis.

### ARTICULUS I.

#### DE PROMISSIONE GRATUITA.

QUÆRES 1. *Quid sit promissio gratuita?*

RESP. Est *deliberata et spontanea fidei obligatio facta alteri de re bona, possibili, et a promissario acceptata.*

Dicitur 1° *deliberata*, nempe deliberatione et attentione perfecta; quia cum hæc obligatio sit onus sponte susceptum, non censetur cuiquam impositum, nisi perfecte in illud consenserit; unde promissio ex errore circa substantiam, aut causam finalem, est nulla.

Dicitur 2° *spontanea*, id est, libera a metu, violentia; alias vel nulla esset, vel saltem rescindibilis, nisi sit jurata; tunc enim obligaret non ratione promissionis, sed ratione religionis, ne scilicet Deus adduceretur in testem falsi [1].

Dicitur 3° *fidei obligatio*, quia requiritur ut homo se

[1] Div. Thom., 2 2, quæst. 89, art. 7.

obliget alteri ex virtute fidelitatis, per quod excluditur : 1° *promissio ficta*, quæ cum facta sit sine voluntate se obligandi, est nulla [1] ; tamen ficte promittens est reus mendacii, et tenetur sub mortali resarcire omnia damna quæ promissarius patitur ratione fictionis, cum sit eorum causa injusta ; 2° *simplex propositum*, cum sit mera voluntas faciendi aliquid absque animo se obligandi.

*Resolves:* Ad promissionem obligatoriam non est satis dicere : *Promitto me hoc facturum*, si solum intendas significare animi propositum, non autem te obligare. Nec est satis dicere ad votum : *Promitto me amplius non lusurum*, si solum significes te a ludo abhorrere, non autem Deo fidem obligare.

Dicitur 4° *de re bona et possibili*, quia nemo potest obligari ad rem illicitam [2], vel impossibilem [3], nec talis promissio firmatur juramento, quia est contra bonos mores [4].

Hinc, nulla est promissio rei jam promissæ alteri, quia illicita est ; valet tamen promissio homini facta de minori bono, licet impeditiva majoris boni, nam minus bonum potest ei magis gratum esse, quam majus ; secus de Deo.

Dicitur 5° *a promissario acceptata*, quia ante acceptationem expressam vel tacitam non dicitur promissio, sed simplex pollicitatio, quæ obligat quidem ex veracitate, sed non ex justitia [5]. Ratio est, quia promissio (idem dic de donatione) ante acceptationem nondum est conventio duorum in idem, ex qua sola oritur obligatio. Hinc

*Sequitur* 1. Necesse est ut promissio facta *homini* exterius significetur, nam alioqui non posset acceptari. Dixi *homini*, quia promissio interna facta Deo cordium inspectori, nos Deo obligat.

*Sequitur* 2. Promissionem (et donationem) ante acceptationem semper revocari posse [6].

[1] Div. Thom., 2 2, quæst. 110, 2, 3, ad 7. — [2] Cap. ult. *de Pactis.*
[3] Cap. *Nemo potest, de Reg. jur.*, in 6. — [4] Cap. *Sicut, de Jurejur.*
[5] Lib. I, ff. *de Pollicit.* — [6] Leg. *Interest*, cod. *Si quis alteri vel sibi.*

QUÆRES 2. *Quomodo obliget promissio rei gravis acceptata?*

RESP. *Triplex* est sententia.

*Prima* sententia docet nullam simplicem promissionem obligare *per se*, nisi sub veniali. Ratio, quia ex omni promissione homo homini obligatur tantum ex honestate, quæ est obligatio juris naturalis, ex Div. Thoma [1]; atqui omnis obligatio fidelitatis homini facta, non obligat sub mortali ex genere suo et secluso damno promissarii: ergo, etc. Ita Salmant., Cajet., Diana, etc.

*Secunda* sententia e diametro sentit omnem promissionem seriam in re gravi, obligare sub gravi ex justitia. Ratio, quia promissio acceptata jus præbet promissario ad rem promissam, non minus ac promissio onerosa, ratione obligationis; atqui promissio onerosa *per se* graviter obligat: ergo, etc. Ita Antoine, etc.

*Tertia* sententia communior et probabilior distinguit, dicens obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis; si enim promissor intendat se solum obligare ex honestate morali fidelitatis, promissio per se solum obligat sub peccato veniali; si vero intendat se obligare stricte et ex justitia, tunc promissio per se obligat sub mortali.

PROB. Quia gratuita promissio, cum ex sola promittentis liberalitate proficiscatur, sane in ejus potestate est solum se obligare ex morali honestate fidelitatis, vel ex justitia; promissio enim, sicut votum, est lex particularis quam sibi imponit promittens; lex autem obligat secundum intentionem legislatoris: ergo cum intendit se obligare ex justitia, promissio per se obligat sub mortali; cum ex morali honestate, obligat solum per se sub veniali... Et hanc promissionem arbitramur frequentiorem esse inter homines, quam quæ ex justitia obligat, cujus signum est, quod suas promissiones regulariter jurare recusant non

[1] 2 2, quæst. 98, art. 3, ad 1.

tam ob reverentiam divini nominis, quam quod se stricte obligare nolunt. Ita Lugo, Sporer, Billuart, S. Ligorius.

Dixi *per se;* quia *per accidens* simplex promissio, ratione damni inde secuti promissario, aliquando obligat ad reparationem ejus sub mortali.

Dices : Promissio dat actionem in foro externo : ergo obligat ex justitia.

Resp. *Dist. ant.* Promissio *simplex,* nego ; promissio per formam *stipulationis,* conc. Ratio est, quia ex dispositione juris, stipulatio est signum promittentem se obligasse ex justitia.

*Stipulatio* est promissio facta certa verborum formula, qua unus rogat, alter promittit ; v. gr.: *Spondes mihi centum? Spondeo.*

Petes : *Quænam materia censeatur* gravis *in promissione?*

Resp. Ut materia sit gravis in promissione, debet esse duplo, aut etiam, ut ait Lessius, quadruplo major quam in furto. Ratio est, quia minus invitus censetur promissarius quando res gratis promissa denegatur, quam si ab eodem res æqualis valoris per furtum auferatur [1].

Quæres 3. *An promissio facta propter opus illicitum obliget?*

Resp. 1. Omnis promissio, omnisque pactio ante patratum crimen (v. gr. adulterium, homicidium, etc.) jure naturali est invalida, quia talis pactio directe ad malum allicit ; nemo autem potest obligari ad peccatum.

Resp. 2. Contra plures rationes quas solvemus in objectis : patrato opere malo, promissor obligatur ad solutionem pretii promissi, quia impletio promissionis, posita conditione, non est turpis, cum non alliciat ad peccatum : ergo, etc.

*Hinc* 1° qui sub promissione pecuniæ commisit adulte-

[1] Ita *Speculum Confess.*, quæst. 81 *de Donat.*

rium vel homicidium, patrato crimine, potest exigere solutionem pecuniæ promissæ.

*Hinc* 2° qui die festivo conduxit operarios ad faciendum opus servile, tenetur dare stipendium conventum.

*Hinc* 3° qui sub promissione matrimonii corrupit virginem, tenetur ipsi fidem promissam ex justitia servare; alias, inæqualitatem ponit, et injustus est.

DICES: Lege *Generaliter* [1] dicitur: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti:* ergo, etc.

RESP. *Dist. legem:* Nullius sunt momenti *ante patratum crimen,* conc.; post *patratum,* subdist.: in foro *externo* in quo non dant actionem, *conc.;* in foro conscientiæ, *nego.* Per illas enim leges non tollitur obligatio naturalis, quæ ex promissionibus onerosis oritur. Tamen consultum est Confessariis ut in pœnitentia injungant sic acceptorum restitutionem faciendam pauperibus; crimen enim tali pœna est dignum.

DICES 2. Si promittens teneretur solvere, hoc esset vel ex vi promissionis, vel ex vi operis; atqui non *primum,* cum promissio non obliget ante patratum crimen; non *secundum,* cum opus quod est crimen non sit pretio æstimabile: ergo, etc.

RESP. *Distinguo secundam partem minoris:* opus non est pretio æstimabile, quatenus est peccatum et inobedientia legi divinæ, *conc.;* quatenus est opus materiale et exigit ex parte agentis tempus, conatus, vires corporis, et quandoque periculum vitæ vel formæ, etc., ut perficiatur, *nego;* nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia, quidquid sit de moralitate actionis, cum veram habeant proportionem cum pretio temporali repromisso: ergo, etc.

INST. Quando opus est *specifice* bonum vel indifferens, pretio est æstimabile, tumque promittens tenetur solvere, ultro conceditur. At cum opus est *specifice* malum, ut adulterium, homicidium, etc., pretio non est æstimabile. Nam

[1] Leg. *Generaliter*, ff. *de Verb. signif.*

quod est intrinsece malum æstimari non potest; atqui opus *specifice* malum est *intrinsece* malum: igitur æstimari non potest. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Opus *specifice* malum *formaliter*, prout est peccatum, non est pretio æstimabile, *conc.; physice*, prout est actus hominis, *nego*. In eodem sensu distinguo *min.*: opus *specifice* malum est *intrinsece* malum *formaliter*, id est, si agatur de peccato, *conc.;* est *intrinsece* malum *physice*, prout est opus materiale, *nego*. Etenim actus physici hominis, qua tales, sunt prorsus indifferentes, neque sunt mali vel boni, nisi sub *ratione formalitatis;* at sub illo respectu omnes actiones malæ, sunt intrinsece malæ, sunt enim liberæ transgressiones legis divinæ; *sub ratione* vero *entitatis physicæ*, sunt fructus membrorum corporis, ac proinde pretio temporali æstimabiles: ergo, etc.

Quæres 4. *Quænam promissiones jure positivo sint invitæ?*

Resp. Omnes quæ sunt contra bonos mores civiles; taies sunt: 1° promissiones, quibus adimitur libera potestas disponendi de rebus suis, v. gr. non testandi, non instituendi alium hæredem, nisi talem [1]; promissio Beneficii nondum vacantis, ne detur occasio optandi mortem beneficiarii [2].

Quæres 5. *An obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius vel promittens?*

Resp. ad primum *affirmative*, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam familiæ promissarii vel ejus hæredum; *negative*, si facta fuerit principaliter in gratiam promissarii, quia, eo mortuo, cessat finis promissionis.

Resp. ad secundum *negative*, si promissio erat *personalis; affirmative*, si fuerit *realis;* tunc enim transit ad hæredes eodem modo eodemque titulo, quo promittens obligabatur.

Quæres 6. *Quis possit promissionem accipere pro alio?*

[1] Leg. *Pacta*, cod. *de Pact.* — [2] Concil. Lateran. III, cap. 8.

Resp. Omnis qui unam moraliter personam ratione gestionis, vel deputationis, vel subjectionis, cum promissario constituere censetur. Hinc, deputatus vel familiaris, pater pro filio, et vice versa; tutor pro pupillo, uxor pro marito, Religiosus pro monasterio vel Prælato suo, Prælatus pro Ecclesia, mancipium pro domino, quislibet privatus pro causa pia. Ita *communiter*.

Quæres 7. *Quomodo cesset obligatio promissionis validæ et acceptatæ?*

Resp. Cessat: 1° *remissione* promissarii, quia cedit suo juri.

2° *Desitione* causæ finalis, v. gr. si promiseris dotem pauperi virgini, quæ facta est dives.

3° *Mutatione* notabili rei promissæ, v. gr. si facta est illicita, vel inutilis, vel impossibilis, vel noxia promittenti aut promissario, quia cessat materia promissionis.

## ARTICULUS II.

### DE DONATIONE GRATUITA.

Quæres 1. *Quid sit donatio gratuita?*

Resp. Est *rei aut juris alicujus gratuita concessio.*

Dicitur *concessio,* id est, *rei datio,* ad distinctionem promissionis, quæ est solum *fidei datio.*

Ut valeat, debet esse deliberata, spontanea et acceptata, eodem modo quo diximus de promissione, et propter easdem rationes.

Quæres 2. *Quotuplex sit donatio?*

Resp. Donatio dividitur: 1° in *realem,* quæ fit traditione rei; et *verbalem,* quæ fit solis verbis absque traditione rei. Prima dat *jus in re;* secunda, solum *jus ad rem.*

2° Dividitur in *pure liberalem,* quæ in donante nullam ne gratitudinis quidem supponit obligationem; et in *remuneratoriam,* quæ supponit obligationem gratitudinis.

*Nota.* Quando alicui prohibentur donationes erga aliquos, non prohibentur *remuneratoriæ* proportionatæ obsequiis alias non debitis [1].

3° Dividitur in *donationem inter vivos*, qua quis sic aliquid donat, ut velit, etiam se vivente, esse donatarii; et *donationem mortis causa*, qua quis sic donat, ut velit rem nonnisi post mortem suam esse donatarii. Unde duplex paragraphus.

## § I.

### De donatione inter vivos.

QUÆRES 1. *Quænam conditiones sint necessariæ ad validitatem donationis inter vivos?*

RESP. Sunt sequentes.

*Prima conditio* est, ut donator rei donandæ habeat dominium, et administrationem a lege non prohibitam.

*Defectu hujus conditionis*,

I. *Ex jure Romano*, non sunt validæ, saltem irrevocabiliter : 1° *donationes gratuitæ conjugum inter se, nisi sint in parva quantitate* [2]. Hoc autem ideo a jure statutum est, ne conjuges mutuo amore se suis bonis spoliarent cum damno liberorum et parentum; confirmatur tamen : 1° juramento [3]; 2° morte donantis [4], modo non impediant ne liberi suas legitimas recipiant [5]; 3° si donatio sit remuneratoria; 4° si uxor donet viro ut aliquam dignitatem consequatur.

2° *Donatio patris in filium nondum emancipatum, quæ potest ad arbitrium patris revocari* [6]. Ratio est, quia filius nondum emancipatus censetur una persona civilis cum patre, et ita pater videtur sibi donare. Tamen non revocata confirmatur: 1° juramento ; 2° morte patris, quia desinit esse in ejus potestate.

[1] Lib. I, ff. *de Donat.* — [2] Leg. *Cum hic status*, ff. *Don. inter vir. et uxor.*
[3] Ut patet ex dictis *de Contract. in comm.* — [4] Leg. *Cum hic status.*
[5] Lib. II, cod. *de Inoff. donat.* — [6] Lib. II, cod. *de Inoff. donat.*

3° *Donatio omnium bonorum præsentium et futurorum* [1], quia per talem donationem homo privat se potestate testandi, quod leges improbant.

*Secunda conditio* est, ut donatarius rem donatam recipere possit.

*Defectu hujus conditionis*, donatarii esse non possunt, qui nimiam in alios auctoritatem habent, ut sunt tutores et curatores erga pupillos, medici, chirurgi, advocati, erga clientes [2].

*Tertia conditio*, ut res donata non sit alteri obligata.

*Quarta conditio*, ut donatio fiat cum debitis solemnitatibus a jure requisitis, quæ sunt tres, scilicet : *traditio*, *acceptatio* et *insinuatio*, quæ est actus quo donationes in acta publica referuntur.

Porro, insinuari debent tum donatio, tum acceptatio, alias donatio esset irrita, sive donatio *inter vivos*, sive *mortis causa* [3]; tamen donatio summæ pecuniariæ de manu ad manum facta, non indiget insinuatione, modo persona sit habilis ad recipiendum, quales non sunt uxor, maritus, etc. [4].

II. *Ex jure Gallico*, quamlibet voluerint donationem sibi invicem facere possunt per matrimonii contractum [5]. Possunt, etiam durante matrimonio, sibi invicem donare: 1° partem quam extraneo dare possunt, si donans nullos habeat liberos, aliosve descendentes; et usumfructum portionis hæreditatis reservatæ ascendentibus; 2° si adsint descendentes, donare possunt, vel quartam partem bonorum quoad proprietatem, et usumfructum aliæ quartæ partis; vel dimidiæ partis usumfructum; 3° si donans habeat filios ex præcedenti matrimonio, dare potest suo conjugi partem prolis minus accipientis, gallice *le moins prenant;* at in nullo casu quartam partem excedere valet [6].

[1] Leg. *Stipulatio hoc modo*, ff. t. *De verb. oblig.* — [2] Ita *Collat. Andegav.*, p. 188. — [3] Edict. anno 1703 et anno 1704. — [4] *Argon.*, p. 227.
[5] Cod. civ., art. 1091. — [6] Cod. civ., art. 1094, 1098.

1. Inhabiles vero sunt ad donandum: 1° civiliter mortui; 2° minores ante decimum sextum annum, nequidem causa mortis, nisi ratione contractus conjugalis; at post decimum sextum annum testari possunt pro dimidia parte bonorum [1]; 3° interdicti; 4° uxores, quoad donationes inter vivos, sine consensu mariti vel auctoritate judicis; 5° negociatores, cessores bonorum, per decem dies qui præcedunt declarationem decoctionis.

2. Inhabiles sunt ad accipiendum *absolute*: 1° civiliter mortui; 2° nondum concepti tempore quo facta est donatio, si agatur de donatione inter viventes; vel tempore mortis, si donatio sit causa mortis; 3° qui nascuntur non viabiles (les morts-nés); 4° surdi-muti sine curatore, nisi sciant scribere; 5° uxores sine consensu mariti vel auctoritate judicis.

3. Alii sunt inhabiles *relative* tantum, id est, a certis personis tantum accipere prohibentur, quales sunt: 1° tutor respectu pupilli, nisi sit unus ex ascendentibus; 2° filii adulterini, qui nihil, exceptis alimentis, a genitoribus recipere possunt; 3° spurii legaliter recogniti, ultra id quod illis evenit jure successionis [2]; 4° medici, chirurgi, pharmacopolæ, Confessarius, qui defunctum curaverunt ultimo morbo, si donatio durante morbo facta fuerit, nisi sint defuncti hæredes directi, vel, his deficientibus, collaterales.

*Nota* 1. Communitates religiosæ et loca pia non possunt recipere sine Principis approbatione, vel præfecti si donatio certam summam non excedit. Valent autem tales donationes in conscientia, quia sunt ad causas pias, nisi hæredes iis indigeant.

*Nota* 2. Quoad solemnitates donationis, eædem sunt in utroque jure, præter quod jus *novum* requirat insuper: 1° ut instrumentum donationis conficiatur coram notario [3]; 2° ut acceptetur *juridice et expressis verbis* in ipso actu do-

[1] Cod. civ., art. 1003. — [2] Cod. civ., art. 757 et seqq. — [3] Cod. civ., art. 931.

nationis; 3° ut res donata non sit *spes* futuræ hæreditatis, circa quam omne pactum prohibetur [1].

QUÆRES 2. *An donatio valeat, si donator moriatur ante acceptationem?*

RESP. Quidam affirmant cum Lessio et Salmant., maxime si scriptis vel nuntio credita fuerit, quia donatio gratuita est gratia; sed gratia non extinguitur morte donantis: ergo, etc. Sed alii *probabilius negant,* quia voluntas donantis defuncti non conjungitur cum voluntate recipientis, ut ad acceptationem requiritur. Concedunt tamen quod si res fuerit acceptata in bona fide, juste poterit retineri. Ita S. Ligorius et communiter.

QUÆRES 3. *An, mortuo donatario ante acceptationem, ipsius hæres possit donationem acceptare?*

RESP. *negative probabilius,* quia hæres non succedit in juribus personalibus, ut est jus acceptandi, nisi forte sit filius, quia tunc præsumitur talem esse mentem donantis. Ita Lessius, S. Ligor. [2] et alii.

QUÆRES 4. *Utrum ante acceptationem revocari possit donatio juramento firmata?*

RESP. *affirmative* contra Layman et quosdam alios. Ratio, quia juramentum sequitur naturam actus; sed donatio est de se revocabilis donec acceptetur: ergo, etc. Ita Sanch., Salmant., S. Ligor. [3], et communiter.

QUÆRES 5. *An donatio acceptata possit revocari?*

RESP. 1. Donatio *inter vivos* non potest revocari, nisi ob tres causas.

*Prima, ob ingratitudinem donatarii,* v. gr. si donatori injurias atroces, si grave damnum in illius bona vel personam intulerit; si conditionem appositam donationi non impleverit; si necessitate pressum non aluerit [4].

Excipiuntur: 1° donatio facta matrimonii causa, quia

[1] Cod. civ., art. 943. — [2] Lib. IV, num. 731. — [3] Ibid., num. 7[illegible].
[4] Leg. fin. *De revoc. donat.*, et Cod. civ., art. 956.

non tam in gratiam sponsorum quam prolis nascituræ censetur facta.

2° Donatio in pios usus facta, quia Deo et animæ testatoris est facta, non prælato accipienti.

3° Donatio remuneratoria, quæ potius est remuneratio quam donatio [1].

*Secunda, ob prolem postea susceptam*, quia, ex dispositione legum, donatio facta censetur sub hac conditione : *si proles non nascatur* [2]. Et tunc bona redeunt libera ab omni onere et hypotheca ; sed creditoribus, si sint, datur recursus in donatarium.

*Nota*. Ex jure Romano, si donatarius prole carens donaverit alicui ascendentium, vel Ecclesiæ, vel causis piis, tantum revocari potest, quantum ad filii legitimam. Sed communiter notant Theologi, ad ædificationem expedire ut totum restituatur. Lessius, Salmant., S. Ligor. [3].

*Tertia, si sit inofficiosa*, hoc est, facta contra officium pietatis debitæ liberis, ut quando per donationem privantur sua legitima, id est, parte hæreditatis sibi debita secundum leges [4]. In Gallia, reducitur ad quadrantem bonorum [5].

Resp. 2. Donatio *mortis causa* semper potest revocari ; hinc commune axioma jurisperitorum : *Ambulatoria est testantis voluntas usque ad extremum vitæ spiritum* [6].

Quæres 6. *Quotuplex sit donatio mortis causa ?*

Resp. Quadruplex, scilicet testamentum, codicillus, legatum et fideicommissum. Unde

[1] S. Ligor., lib. iv, num. 738. — [2] Lib. viii, cod. *De revend. don.*, et Cod. civ., art. 966. — [3] Lib. iv, num. 739. — [4] Lib. i, cod. *de Inoff. donat.*
[5] Cod. civ., art. 920. — [6] Lib. iv, ff. *De adim. et trans. legatis.*

## § II.

### De donatione causa mortis, seu de Testamentis, Codicillo, Legato, etc.

QUÆRES 1. *Quid sit testamentum?*

RESP. Testamentum, secundum jus Cæsareum, est *voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult cum directa hæredis institutione* [1].

Ex jure Gallico, testamentum definitur : *Actus essentialiter revocabilis, quo testator de bonis suis disponit pro tempore mortem ejus subsecuturo ;* quod in idem incidit.

Dicitur 1° *voluntatis nostræ,* id est, testatoris, et non alterius, alias testamentum est nullum.

DIGES : Justinianus ait : *Qui extremam voluntatem alienæ voluntati committit, non videtur decedere intestatus* [2] *:* ergo, etc.

RESP. *ad dictum cap. cum dist.* Qui extremam voluntatem alienæ committit, *quoad causas profanas*, non decedit intestatus, nego; *quoad causas pias ,* subdist. : qui extremam voluntatem alienæ committit *quoad determinationem solum individualem* , non videtur decedere intestatus , conc. ; *quoad omnem determinationem*, nego. Dictum ergo caput debet intelligi de eo qui determinavit hæreditatem suam esse deferendam piis causis in genere, et commisit tertio individualem determinationem.

Dicitur 2° *justa sententia ,* id est, cum solemnitatibus a jure requisitis facta.

Dicitur 3° *de eo quod quis post mortem suam fieri vult ;* quia, ut valeat testamentum, *mors necesse est intercedat testatoris* [3], utpote cujus voluntas usque ad mortem ambulatoria est et revocabilis.

Dicitur 4° *cum directa hæredis institutione ,* per quod dis-

[1] Lib. I, ff. *Qui testam. facere poss.* — [2] Cap. *Cum tibi, de Testam.*
[3] Hebr. IX.

tinguitur a codicillo, legato, etc. ; ea enim testamento ita intrinseca est, ut sine ea esset irritum. Nam hæres instituitur, ut persona defuncti repræsentetur, et ut in ipsum omnia ejus bona et jura transeant [1].

Quæres 2. *Quotuplex sit testamentum?*

Resp. Testamentum dividitur in *olographum*, *solemne* et *privilegiatum*.

*Olographum* (ὁλός, integre, et γράφω, scribo) est quod propria manu testatoris scribitur; viget solum in locis consuetudinariis, et Gallia.

*Solemne* est illud in quo servantur omnes formalitates a jure præscriptæ; hoc vel fit scripto, et dicitur *scriptum;* vel fit viva voce, et dicitur *per nuncupationem*.

*Privilegiatum* est illud quod valet, etiamsi non omnes formalitates juris serventur, tale est testamentum militis, et testamentum ad pias causas.

Quæres 3. *Quid sint codicillus, legatum, fideicommissum?*

Resp. *Codicillus* est ultima voluntatis dispositio, quo circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo vel demendo immutatur.

*Legatum* est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator particulare donum ab hæreditate selectum, directis verbis alicui relinquit. Si legatum sit universale, deducitur *falcidia* [2], id est, quarta pars hæreditatis, quam hæres (legitima jam deducta quatenus ipsi jure naturæ debita) potest detrahere a legatis.

*Fideicommissum*, quod *substitutio* etiam nuncupatur, est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum. Si fideicommissum sit universale, deducitur *trebellianica* [3], id est, quarta pars hæreditatis, quam hæres fiduciarius potest detrahere a fideicommisso.

[1] § *Ante hæred.*, Instit. *de Legat.* — [2] *Falcidia* dicitur, quia lata est a Falcidio, Tribuno plebis. — [3] Dicitur a Trebellio Maximo, consule.

*Duplex* est: *aliud* per quod donatarius bona sibi data alteri statim remittere debet; *aliud* in quo potest bona sibi data aliquo tempore vel usque ad mortem suam servare, et deinceps alteri tradere tenetur.

QUÆRES 4. *Quænam solemnitates jure communi ad testamentum requirantur?*

RESP 1. Ad testamentum *olographum* nulla requiritur solemnitas, nisi ut totum a testatore scriptum et subscriptum sit, sine interlineis ab extranea manu; debent etiam exprimi locus et tempus, sub pœna nullitatis [1].

RESP. 2. Ad testamentum *solemne* requiruntur septem testes, qui sint mares, puberes, et capaces ad recipiendum ex testamento, qui omnes debent subscribere [2].

RESP. 3. Ut testamentum *ad pias causas* sit validum in foro externo, non requiruntur solemnitates juris civilis, sed sufficiunt eæ quæ sunt juris gentium, nempe ut duo testes adsint [3]. Ut autem valeat in foro conscientiæ, sufficit id quod jure est sufficiens, scilicet habilitas testandi in disponente, capacitas recipiendi in eo in cujus favorem dispositio fit, et libertas in dispositione. Ratio est, quia duo testes non ideo requiruntur jure canonico, ut dispositio sit valida in foro conscientiæ, sed ut possit probari, ut dicitur cap. *Relatum*.

*Hinc*, etsi testamentum aliquod ad causas profanas defectu solemnitatis sit invalidum, tamen legata pia in eo contenta sunt valida; debet ergo illa solvere hæres *ab intestato*. Hoc convenit ubique servari, et legibus nostris præcipitur; sed vide mox infra, ad verbum *dixi*.

RESP. 4. Ad *codicillum* requiruntur et sufficiunt quinque testes, etiam non rogati [4], inter quos etiam admittuntur mulieres, ut docent communiter Doctores, quorum ratio est, quia nulla lege prohibentur; atqui omnes rationis compotes sunt idonei testes in omnibus actibus, nisi

[1] Novella 2 *de Testam.* — [2] Leg. *Hac consultissima, de Testam.*
[3] Cap. *Relatum, de Testam.* — [4] Leg. fin., § fin., cod. *de Testam.*

prohibeantur, ut ait jus[1] : ergo, etc. Ex jure Gallico, omnes codicilli dispositiones regulis testamenti subjiciuntur.

Dixi in quæstione *jure communi;* quia in locis consuetudinariis variæ præscribuntur solemnitates adamussim observandæ, quas cum hic non possimus recensere, ad ipsas consuetudines remittimus Confessarios. Sed

*Ex jure Gallico*, testamentum dividitur in *olographum*, *solemne* et *mysticum*.

1° Ad testamentum *olographum* nulla etiam requiritur solemnitas, nisi ut totum a testatore scriptum et subscriptum sit, sine interlineis ab extranea manu; debent etiam exprimi dies et annus, sub pœna nullitatis. Indicatio autem loci non est necessaria[2]. Dispositiones litturis (ratures) deletæ, pro non appositis habentur, si litturæ approbentur a testatore, vel si, deficiente approbatione, testamentum in possessione testatoris, et illius sigillo obsignatum reperiatur. Potest in qualibet papyro confici; sed si non est obsignata (*timbré*) solvenda erit mulcta quando testamentum in judicio proferetur. Antequam executioni mandari possit, deferendum est judici in tribunali *primæ instantiæ* loci in quo bona successionis obtinentur[3].

[1] Lib. I, ff. *De testibus.* — [2] Cod. civ., art. 999.

[3] Juvat hic apponere formulam hujusmodi testamenti pro commoditate testatorum.

**Au nom de la Très-Sainte Trinité,**

**Le Père, le Fils et le Saint-Esprit.**

Je soussigné (*nom, prénom, profession, domicile du testateur*), déclare que le présent écrit est mon testament, que je veux être fidèlement et ponctuellement exécuté après ma mort.

J'institue pour mon exécuteur testamentaire N. N. (*nom, prénom de l'exécuteur testamentaire*), et je le prie de vouloir veiller exactement à l'exécution du présent testament, et d'en prendre soin comme pour lui-même.

*Si l'on veut faire un légataire universel :*

J'institue pour mon légataire universel N. N. ; *ou bien :* Je lègue à N. N. (*nom, prénom, profession et domicile du légataire*) tout ce qui m'appartiendra au moment de ma mort (*si l'on veut faire des dispositions ou des legs particuliers, pensions*, etc., *on ajoute :* à la charge de remplir mes intentions suivantes (*suivent les dispositions pour les legs, pour les recommandations, etc.*)

*Si l'on institue un légataire universel :*

Je donne et lègue à N. N.... tous mes meubles ou tous mes immeubles, ou telle

2° Ad testamentum *solemne*, seu *publicum*, requiritur: 1° ut scribatur ab uno notario coram quatuor testibus, vel a duobus notariis coram duobus testibus; 2° ut dictetur a testatore, verbis suam voluntatem exprimendo; 3° ut ipsi testatori legatur coram testibus; 4° ut de his omnibus mentio fiat in instrumento; 5° ut subscribatur a testatore: sin autem, exprimenda est causa impossibilitatis; 6° ut pariter subscribant testes; rure tamen sufficit ut unus ex duobus, vel duo ex quatuor testibus requisitis subscribant; 7° ut testes sint idonei, nempe masculi, majores, cives et juribus civilibus fruentes. Excipiuntur vero legatarii eorumque parentes aut affines usque ad quartum gradum. *Item*, scribæ notariorum per quos testamenti instrumentum conficitur [1].

3° Ad testamentum *mysticum*, seu *secretum*, hæc solum notanda veniunt: 1° quod a testatore clausum sigillumque signatum tradi debeat notario, coram sex testibus, asserens hoc esse testamentum suum a se vel ab alio scriptum et a seipso subscriptum; 2° quod hæc attestatio inscribi debeat in exteriori parte aut super involucrum testamenti, et a notario, testibus et testatore subscribi: quod si testator non possit, de hoc est mentio facienda. *Item*, si testator testamentum subscribere non valuerit, de hoc mentio hic fieri debet, et addi septimus testis ad sex prærequisitos. 3° Quod qui nesciunt vel non possunt legere, testamentum mysticum condere non valeant [2].

quotité de mes biens, etc., et *pour les legs particuliers;* tel objet, ma montre, ma bibliothèque, etc.

Fait à (*nom du lieu*), le.... (*date du jour, du mois et de l'année, en lettre ou en chiffre indifféremment*).

(*Signature du testateur en toute lettre.*)

*Nota* 1° *S'il y a des héritiers nécessaires, et qu'on veuille donner ce dont on peut disposer, on peut dire :* Je donne à N. tout ce que la loi, au moment de ma mort, me permettra de lui donner.

2° Les dispositions ajoutées immédiatement au-dessous de la signature en forme de codicille, doivent être signées et datées.

[1] Cod. civ., art. 971 et seqq. — [2] Cod. civ., art. 917, 918.

Alia sunt testamenta, v. gr. militantium, navigantium, etc., minus solemnia, quæ videri possunt in Codice civili [1].

Quæres 5. *An testamentum destitutum solemnitate a jure civili requisita, validum sit in conscientia?*

Resp. *Prima sententia* negat.

Prob. 1. Ex lege *Hac consultissima*, in qua dicitur : *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti non volumus* [2].

Prob. 2. Contractus defectu solemnitatis a jure irritus non obligat in conscientia, ut supra probavimus : ergo nec testamentum.

*Prob. conseq. et paritas.* Ratio propter quam contractus non solemnes irritantur a legibus, non minus urget erga testamenta quam erga contractus (nempe ut vitentur fraudes, servetur pax et tranquillitas Reipublicæ) : ergo, si contractus defectu solemnitatis a jure irritus non obligat in conscientia, nec testamentum.

Objicies : Factio testamenti est juris naturalis : ergo parit obligationem naturalem, esto solemnitate careat.

Resp. 1. *Retorqueo argum.* Contractus matrimonialis est juris naturalis : ergo parit obligationem naturalem, esto solemnitate careat, puta præsentia Parochi et testium.

Resp. 2. Esto factionem testamenti esse juris naturalis, *nego conseq.* Quia lex humana est tantæ potestatis, ut possit actui de jure naturali valido præscribere certam formam, qua non observata, reddatur in utroque foro invalidus, quod fit in Matrimoniis et testamentis.

Inst. 1. Hæ leges fundantur in præsumptione fraudis : ergo, quando non intervenit fraus, testamentum est validum in foro conscientiæ.

Resp. *Nego ant.* Fundantur enim in periculo fraudis, quod semper reperitur, ut dictum est dum de contractibus.

[1] Art. 917, 918. — [2] Leg. *Hac consult.*, cod. *de Testam.* Idem habetur Leg. *Ex imperfecto*, ff. *De legat.*, et Instit., *Quibus modis testament. infirm.*

INST. 2. Quod solutum est ex imperfecto testamento, nequit repeti [1] : ergo saltem obligat in conscientia.

RESP. *Dist. ant.* Si sit solutum *a sciente voluntatem defuncti,* ut habet citata lex, *conc.;* tunc enim, ex juris præsumptione, censetur ratam habuisse voluntatem defuncti, atque illam ratihabendo quodammodo solemnizasse. Si sit solutum ex errore facti quo putavit testamentum esse solemne cum non sit, *nego.* Tunc enim postea errorem cognoscens, potest solutum repetere, ut expresse habet alia lex [2].

Dixi *esto factionem,* etc.; nam plurimi docent illam repetendam esse tantum a *jure civili.* Ratio est, quia per testamentum fit dominii rei translatio; atqui translatio hæc ex *jure naturali* neque fieri potest vivente testatore, neque post illius mortem. Non *primum* quidem, quia testator, dum vivit, manet bonorum suorum dominus, et ut testamentum valeat, *mors necesse est intercedat testatoris;* non *secundum,* quia rei dominium a defuncto transferri non potest; nam defunctus est respectu hujus sæculi quasi nunquam fuisset, ideoque, stricte loquendo, præcisoque jure civili, mortuo domino, bona sunt derelicta. Hæ sunt gravissimæ rationes; sed

*Secunda sententia communis* docet facultatem testandi repetendam esse primario a jure naturali, vel saltem a jure gentium, quia talis est persuasio communis, quæ ultimas voluntates ut quid sacrum habet, et quia jus testandi antecedit omnem legem civilem, ut dicit P. Gury [3].

Hinc, ex ista sententia concludunt ejus assertores testamenta, licet solemnitatibus destituta, valere in conscientia, et naturalem parere obligationem, ita ut hæres a testamento possit adire ad hæreditatem, et hæres ab intestato teneatur eam dimittere, etiamsi a judice ipsi adjudicata fuisset. Ita tenent Lessius, Busemb., Roncaglia, Sylvius, etc.

[1] Leg. *Et si inutiliter,* cod. *de Fideicomm.* — [2] Lib. VII, cod. *de Condict. indebiti.* — [3] Num. 776.

Ex prima vero sententia omnino oppositum tenent Suarez, Vasquez, Lugo, Salmanticenses, Layman, etc., quia lex solemnitatum non solum nititur in præsumptione fraudis, sed maxime et primario in motivo boni publici.

At *tertia sententia probabilior*, et in praxi tenenda, docet favendum esse possessori, donec accedat sententia judicis.

Hinc, hæres ab intestato non tenetur solvere, et e contra hæres a testamento, vel legatarii, si in bona fide legata acceperint, non tenentur restituere ante sententiam judicis. Ratio est, quia, ut sæpe diximus, in materia justitiæ, ubi jura sunt incerta, standum est pro possessore bonæ fidei, usque ad judicium definitivum; cum enim potius omni jure sit jus possessionis, nemo re sua spoliari debet, nisi constet de jure contrario; interveniendo autêm judiciali decreto, ei, fatentibus omnibus, est adhærendum. Ita Sanch., Bannes, Billuart, S. Ligor. [1], etc. Sed

Quæres 6. *An testamenta vel legata ad causas pias sint valida, si solemnitatibus seu formis legalibus careant?*

Resp. *Prima sententia negat.* Ratio: 1° quia bona temporalia cujusque sint generis, per se loquendo, Principibus temporalibus sunt subjecta; 2° quia cum agitur de contractibus circa temporalia, voluntas humana necessario regulari debet per leges civiles, nisi latæ fuerint in odium Ecclesiæ, et in ruinam causarum piarum; 3° quia leges juris canonici in contrarium non valent extra dominium Summi Pontificis, nisi ex consensu Principum. Ita sentiunt Collet, Loguerot, Carrière [2].

*Secunda* sententia, communis inter Theologos et jurisperitos, his exceptis qui de jure Gallico scripserunt, universim *affirmat.*

Prob. 1. Quia causæ piæ pertinent ad Ecclesiam, ejusque subjacent jurisdictioni; atqui Ecclesia libera et immunis

[1] Lib. iv, num. 927. — [2] Num. 566.

est a potestate civili in his quæ directe suæ jurisdictioni subjiciuntur : ergo, etc.

*Major patet, prob. min.* 1° Ex capite *Relatum*, XI [1], ubi Alexander III sic statuit : *Mandamus quatenus cum aliqua causa talis* (de relictis Ecclesiæ), *ad vestrum fuerit examen adducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis.* Ratio hujus dispositionis est, quia statuta sæcularia quæ ab Ecclesia non fuerint approbata et acceptata, causis Ecclesiasticis supernaturalem finem directe spectantibus obstare non possunt, ut declaravit Innocentius III [2] : ergo, etc.

Prob. 2. *Ratione.* Quisquis, ex jure naturali, facultatem habet animæ suæ saluti providere mediis convenientibus ; atqui legata pia sunt ad hoc media convenientia, ut patet : ergo, etc.

Prob. 3. *Ex concessis adversariorum.* Etenim, adversarii facile concedunt testamenta vel legata ad pias causas, quando ex circumstantiis legitime præsumuntur facta fuisse vel ad restitutionem implendam, vel ad preces obtinendas, valere in conscientia, licet formalitatibus destituta ; atqui omnia testamenta vel legata pia ad hunc finem sunt facta ; quis enim cum sana mente bona sua temporalia Deo dicat, nisi cum spe retributionis spiritualis ex parte servorum Dei ? Ergo, etc. [3].

Verum pro praxi, hæc sunt notanda : 1° inducendi sunt hæredes ad hujusmodi legata solvenda ; 2° interroganti legatario utrum ea retinere possit, affirmative Confessarius respondere debet ; 3° interrogante hærede utrum ea solvere teneatur, eum inducere debet ad solvendum, vel cum legatario amice transigendum, absque tamen obligatione, ne justi limites excedantur, nisi constet ea legata facta fuisse vel ad justitias reparandas, vel ad preces ex-

[1] Extrav. *de Testament.*, lib. III, tit. 26. — [2] Decret. Gregor. IX, lib. v, tit. II cap. 10, *Ecclesia.* — [3] S. Ligor., lib. IV, num. 922.

presse obtinendas, vel ad satisfaciendum præcepto eleemosynæ. Ita DD. Gousset [1].

Quæres 7. *Quinam sint inhabiles ad testandum?*

Resp. 1. *Jure naturæ*, sunt inhabiles ii omnes qui mentem sanam non habent, ut sunt amentes furiosi, nisi habeant lucida intervalla [2].

Resp. 2. *Jure civili*, sunt inhabiles: 1° impuberes [3]; 2° mutus et surdus a nativitate [4]; 3° mancipium [5]; 4° capitali crimine damnatus [6]; 5° prodigus [7]; 6° filiusfamilias, etiam consentiente patre, de bonis adventitiis testari non potest [8]; potest tamen si sit pubes de bonis castrensibus testari, etiam patris consensu non requisito [9].

Dices: Peculium adventitium comparatur castrensi [10]: ergo, sicut ex hoc, ita ex illo filiusfamilias testari potest.

Resp. *Dist. ant.* Comparatur castrensi *quandiu filius vivit*, ut ait citata lex, *conc.;* post mortem, *nego ant. et conseq.*

Inst. *Pupillus, accedente auctoritate, omne negotium recte gerit*, ait Justinianus [11]; sed pupillus est impubes: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Omne negotium distinctum a dispositione ultimæ voluntatis, recte gerit, *conc.;* recte gerit talem dispositionem, *nego maj.*, quia casui consequentis obstat jus [12]. Ratio autem juris est, quod impuberum vita insidiis hæredum objiceretur.

Resp. 3. *Jure canonico*, sunt inhabiles: 1° Clerici de bonis mere Ecclesiasticis [13] (non possunt enim de eis disponere, nisi ad pias causas); 2° Religiosi post emissam professionem [14]; 3° usurarii notorii, nisi prius restituerint

[1] Num. 786. — [2] § 1 Inst., *Quibus non est perm. fac. testam.* — [3] Leg. *Qua ætate*, ff. *Qui testam. fac. poss.* — [4] Lib. x, cod. *Qui testam. fac. poss.*

[5] Leg. *Filiusfam.*, ff. *De test.* — [6] Lib. VIII, eodem titulo. — [7] Leg. *Item prodig., de Test.* — [8] Leg. *Qui non potest, de Test.* — [9] Leg. fin., ff. eod. — [10] Inst. *de Auctor. tutor.* — [11] § 1 Instit. *Quibus non est perm. fac. test.* — [12] Leg. *Imperator*, cod. *de Senatuscons. Trebell.* — [13] Cap. 1 et 9 *de Test.* — [14] Cap. final. *de Sepult.*, in 6.

usuras, vel de eis restituendis idoneam cautionem præstiterint [1]; 4° hæretici publici, eorumque receptores et fautores [2], quod tamen in locis ubi hæretici cum Catholicis permixtim vivunt, non practicatur.

Resp. 4. *Ex jure Gallico*, prohibentur testari, præter inhabiles ex jure naturæ, civiliter tantum mortui, interdicti et minores ante decimum sextum annum; sed ab illo decimo sexto anno testari possunt de dimidia parte bonorum, de quibus, si majores essent, disponere valerent [3].

Quæres 8. *An valeat in foro conscientiæ fideicommissum in favorem ejus qui per leges non potest hæres vel legatarius institui*, puta uxor, spurius, etc.?

Resp. *negative*. Quia leges justæ non in foro tantum externo, sed et in foro interno obligant.

*Hinc*, fideicommissum illud ad quoscumque devenerit, hæredibus ab intestato restitui debet.

*Nota*. Ex jure Gallico, prohibentur omnes substitutiones *fideicommissariæ* in quibus donatarius rem accipit servandam per totam vitam, et tempore mortis suæ tertio tradendam [4].

Excipiuntur substitutiones in quibus aliquis bona de quibus disponere potest, alicui donat cum onere ea restituendi uni vel pluribus ex descendentibus donatarii usque ad secundum gradum [5].

Quæres 9. *Quid dicendum de executore testamenti?*

Resp. 1. Executor potest esse vel masculus, vel femina [6], etiam minor si expleverit decimum septimum annum; laicus et Clericus, etiam Religiosus, de sui Superioris licentia [7], exceptis Fratribus Minoribus [8].

Resp. 2. Si nullus executor a testatore sit positus, executio spectat ad hæredes [9], debetque fieri tempore a tes-

1 Cap. 2 *de Usur.*, in 6. — 2 Cap. *Excommunicamus*, § *Credentes*, *de Hæret.* 3 Cod. civ., art. 9049. — 4 Cod. civ., art. 896. — 5 Lex 17 mai 1828, corrigens Cod. civ., art. 1048 et 1049. — 6 Cap. 1 *de Testam.* — 7 Cap. *Religiosus*, *de Testam.*, in 6. — 8 Clem. *Exivi*, § *Utrum etiam.* — 9 Cap. *Si hæredes*, *de Testament.*

tatore determinato; quod si non determinaverit tempus, debet fieri statim, idque pro dispositionibus profanis intra annum post aditam hæreditatem, nisi justo impedimento excusetur [1], et intra sex menses pro legatis piis, etiamsi hæreditas non sit adita [2]; unde si in eo sint negligentes, ab utroque judice civili et ecclesiastico possunt compelli [3].

Resp. 3. Tenetur executor omnia sincere exequi juxta mentem testatoris, et quidem incipere a legatis piis [4].

Resp. 4. Executori non debetur salarium, cum sit officium gratuitæ amicitiæ, nisi testator aliquod ei constituisset, uti communiter contingit; quod si forte aliquid ex executione damnum patiatur, tunc debet salarium a judice assignari.

*Ex jure Gallico:* 1° uxor, sine consensu mariti vel auctoritate judicis, executor esse non potest. — 2° Nullus cogi potest esse executor, sed si acceptet, curare debet: 1° ut apponantur sigilla si inter hæredes sint minores, interdicti vel absentes; 2° ut fiat inventarium præsente vel rite advocato hærede proximo; 3° ut, deficiente pecunia ad legata solvenda, mobilia vendantur; 4° ut executionem testamenti urgeat; 5° ut post annum a morte testatoris ipse rationem suæ gestionis reddat; 6° executori non debetur salarium; sed si forte aliquid ad exequendum testamentum impenderet, ex rebus hæreditatis solvi debet.

Quæres 10. *An qui fuit institutus hæres per testamentum, aut qui talis est ab intestato, teneatur adire hæreditatem?*

Resp. Non tenetur, eo quod hominum facultates plerumque fallant, et periculum esse possit ne debita vires hæreditatis excedant; atqui nemo tenetur adire hæreditatem cum præjudicio suo: ergo, etc.

Verum huic periculo subveniunt leges concedendo ut

[1] Novell. 1, cap. 1, § 1. — [2] Novell. 131, cap. 22. — [3] Cap. *Si hæredes, de Testam.* — [4] Lib. xxiv, cod. *de Episc.*

hæres adeat hæreditatem beneficio inventarii, quo hæres tria consequitur, nempe :

1° Quod ultra hæreditatis vires conveniri non possit.

2° Quod possit detrahere Falcidiam et Trebellianicam, si hæreditas ultra eas sit gravata legatis vel fideicommissis; eam tamen detrahendam piis legatis non esse docent communiter auctores ex authent. *Similiter*, cod. *Ad legem Falcid.*, et jus Gallicum.

3° Quod habeat jus ante omnia deducendi expensas funeris, et ipsiusmet inventarii, quodque de ordine creditorum non debet esse sollicitus. Ita utrumque jus.

Si vero *pure* et *simpliciter* acceptet hæreditatem, tenetur omnia legata et debita certa et realia solvere, *saltem in foro externo*, licet excedant vires hæreditatis.

Dixi *saltem in foro externo ;* nam in foro conscientiæ *communius* et *probabilius* hæredes excusantur a solutione quoad excessum supra bona acceptata, quia lex fundatur in præsumptione fraudis, quæ semper cedit veritati.

Quæres 11. *An hæredes exhæredari possint?*

Resp. 1 *affirmative*, ex *jure Romano*, in sequentibus casibus : 1° si filius cum peccato gravi injiciat manus in parentes, aut contumeliose eos tractet, aut conetur occidere; 2° si ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus, mortis, exilii perpetui, vel infamiæ, nisi crimen sit hæresis vel læsæ majestatis; 3° si rem habeat cum uxore patris; 4° si nolit fidejubere ad liberandum patrem a carcere ; 5° si prohibuerit patrem testari; 6° et *probabilius*, si filia, recusato matrimonio, luxuriose vivat [1].

Resp. 2 *negative*, ex *jure Gallico*, ex quo nulla datur exceptio. Hæres tamen expoliari potest ut indignus per sententiam judicis in triplici casu : 1° si testatorem occiderit; 2° si alimenta ei denegaverit; 3° si ejus memoriam graviter conviciaverit [2].

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 948; Salmant., etc. — [2] Cod. civ., art. 727, 728, 955, 1046, 1047.

QUÆRES 12. *Quænam sit reservatio seu legitima pars hæreditatis hæredi necessario reservanda?*

RESP. 1. *Ex jure Romano* hæc statuuntur :

1° Si deficiant descendentes, legitima ascendentium est semper tertia pars hæreditatis, et mortuis parentibus succedunt avus et avia paterni pro patre, et avus et avia materni pro matre.

2° Filiis legitimis portio reservata est triens, seu tertia pars hæreditatis, ubi non sunt plures quam quatuor filii, et semissis, seu media pars, si plures sint.

3° *Filii illegitimi*, si sint naturales [1], non legitimati per subsequens matrimonium, succedunt matri, ut filii legitimi; at non succedunt patri, nisi mortuo ab intestato, sine uxore et prole legitima, tunc enim ei succedunt ex toto. Si vero sint spurii, nonnisi necessaria victui et amictui recipere possunt, tum ex parte patris, tum ex parte matris.

RESP. 2. *Ex jure Gallico:* 1° *ascendentes*, si non sint *descendentes* legitimi, jus habent ad dimidiam partem hæreditatis si sint ascendentes ex utraque linea, et ad quadrantem, si tantum ex una sint linea ; si donator habet fratres aut sorores, pater et mater jus habent unusquisque ad quartam partem; parentes vero mere naturales in nihil succedunt filio illegitimo.

2° Quoad *filios legitimos*, si unicus sit, *dimidia pars* bonorum ei reservatur; si duo *bistriens*, seu 2/3; si tres vel plures sint *dodrans*, seu 3/4.

3° Quoad *filios illegitimos* legaliter recognitos, si sint alii filii legitimi, succedunt pro *tertia parte* portionis quam accepissent, si essent legitimi; *pro media parte*, si sint ascendentes, aut fratres et sorores; pro *tribus quartis*, si sint tantum hæredes remotiores. Tandem *ex toto*, defi-

[1] *Nota.* Filii illegitimi alii dicuntur *naturales*, alii *spurii*. Filii *naturales* sunt ii qui nascuntur ex simplici fornicatione ; *spurii* dicuntur ii qui ex parentibus incestuosis, vel adulteri, vel solemni voto ligatis oriuntur.

cientibus hæredibus consanguineis, si donator moriatur ab intestato; filiis autem illegitimis, non recognitis, lex tantum alimenta concedit [1].

4° Deficientibus omnibus præfatis, venit uxor ad hæreditatem viri, et vir ad hæreditatem uxoris; qui si desint, fiscus hæreditatem occupat. Hinc axioma: *Fiscus post omnes.*

*Nota.* Ex jure Gallico, filii naturales legitimari debent per actum authenticum, nisi recogniti fuerint in *actu nativitatis*. Filii autem incestuosi et adulterini recognosci nequeunt.

Quæres 13. *An testator teneatur sub gravi bona dare cognatis qui non sunt hæredes necessarii?*

Resp. *Quoad fratres,* tenetur dare sub gravi, si sint in gravi necessitate, saltem quantum sufficit ad sublevandam eorum necessitatem, non quidem ex justitia, sed ex præcepto charitatis, imo et ex speciali præcepto pietatis, cujus læsio specialem habet malitiam in confessione declarandam. Ratio est, quia tenemur præferre fratres graviter indigentes aliis pauperibus, ut dictum ubi de præcepto charitatis. Quod si fratres pauperes non sint, absque peccato præteriri possunt, si rationabile sit motivum.

*Quoad alios consanguineos,* non videtur adesse gravem obligationem eos cæteris præferendi, etiamsi gravi necessitate laborent. Ita communiter cum S. Ligorio [2].

Parentes vero peccarent *per se* contra justitiam lædendo *legitimam* filiorum per testamenta, vel donationes inter vivos, aut contractus simulatos, quia lex, facto irritans tales donationes, fundatur in bonum publicum, etsi forte sit reformabilis, si agatur de donatione in favorem alicujus filiorum.

Dixi *per se*, quia non videntur peccare parentes qui, justis de causis, aliquantulum plus uni quam aliis relin-

[1] Cod. civ., art. 762. — [2] Lib. IV, num. 946.

quunt, nec filius est propter hoc facile inquietandus, siquidem lex tales exceptiones, quæ bono communi non obsunt, attendit [1].

## ARTICULUS III.

### DE DEPOSITO ET SEQUESTRO.

Quæres 1. *Quid sint depositum et sequestrum?*

Resp. Depositum est *contractus quo res custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur, ut reddatur eadem* [2].

Sequestrum est *contractus quo res de qua est controversia alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur cum fructibus ei cui adjudicabitur a judice.*

Quæres 2. *Quænam sint obligationes depositarii?*

Resp. Colliguntur ex ipsius depositi definitione, quam ideo explico.

Dicitur 1° *quo res*, et quidem mobiles, v. gr. gemmæ, pecunia, vel se moventes, ut animalia; non autem immobiles, nisi quando est de ipsis controversia, tunc enim solent deponi in sequestro.

Dicitur 2° *res custodienda*, quia depositario custodia rei est commissa, non vero usus concessus; ex quo duo sequuntur:

1° Depositarium teneri rem depositam servare et custodire ea cura quam homines diligentes in suis rebus similibus adhibere solent [3].

2° Depositarium non posse uti re deposita sine consensu domini expresso vel tacito, aut saltem probabiliter præsumpto; quia esset usurpatio usus rei alienæ invito rationabiliter domino, et verum furtum, ut dicitur in jure [4]. Unde si usus ille sit pretio æstimabilis (ut usus equi, vestis), debet solvi ipsius pretium; usus enim est quidam fructus rei, res autem fructificat domino suo.

[1] DD. Gousset, Gury, etc. — [2] Colligitur ex lib. I, ff. *Depositi*. — [3] Lib. XXXII, ff. *Depos.* — [4] Lib. III, cod. *Depos.*

RESOLVES 1. Depositarium posse uti re deposita: 1° cum dominus concedit usum rei; sed tunc depositum, si sit res usu consumptibilis, aut alienata, transit in mutuum, cum depositarius accipiat rei depositæ dominium et periculum; vel si non sit res usu consumptibilis, transit in commodatum, si gratis ejus usus concedatur, aut in locationem, si pretium exigatur [1].

2. Cum talis usus vergit in commodum deponentis, v. gr. si depositarius aliquando utatur equo deposito, ne in stabulo diu retentus languescat, quia tunc est consensus tacitus.

3. Quando depositarius bona fide existimat domino rei non displicere, si re deposita utatur, quia tunc est consensus probabiliter præsumptus; sic prudenter existimat domino non displicere, si utatur pecunia numerata deposita, modo certus sit moraliter se eam soluturum statim ac exigetur; secus, si clausa et obsignata traderetur pecunia, quia tunc dominus censendus esset usum ejus prohibere.

Dicitur 3° *traditur alteri, ab eoque suscipitur,* quia ad depositum non sufficit traditio mera ex parte deponentis, sed requiritur susceptio ex parte depositarii, qui alioqui non tenetur de deposito, nisi forte ex officio teneatur illud custodire, prout tenentur caupones, stabularii, aurigæ, nautæ, etc.; nam sufficit quod, illis videntibus, res in domo, vel curru, vel navi deponatur, ut dicitur in jure [2].

Dicitur 4° *ut reddatur eadem,* et quidem numero, integre et statim, regulariter loquendo. Dico *regulariter*, nam excipiuntur tres casus, in quibus depositarius non tenetur reddere, vel saltem statim reddere.

1° Quando deponens petit depositum, ut sibi vel alteri noceat, v. gr. si furens repetat ensem; quia tunc est irrationabiliter invitus.

[1] *Specul. Confess.*, disp. 8 *de Depos.* — [2] Lib. I, ff. *Nautæ.*

2° Quando dominus rei et fur deponens concurrunt in repetitione rei, tunc enim est reddenda domino, non furi.

3° Quando post depositionem bona deponentis sunt fisco addicta per sententiam ; nam tunc depositum fisco reddendum [1].

QUÆRES 3. *Ex qua culpa teneatur ad restitutionem depositarius, si depositum pereat, aut deterius fiat ?*

RESP. *Depositarius tenetur solum de dolo et culpa gravi* [2].

Excipe 1° *si seipsum pro deposito obtulerit* [3], *vel si aliquid pro ejus custodia receperit*, ait Justinianus, tunc tenetur de culpa levi. Hinc sartores, molitores, stabularii, aurigæ, tenentur de culpa levi.

Excipe 2° si res pretiosa diligentissima custodia indigeat : si pactum sit de maxima custodia [4] ; si depositum sit in favorem solius depositarii, v. gr. si quis apud alium deponat pecuniam eo fine ut ea utatur, si opus illi fuerit [5]. In quibus casibus tenetur de culpa levissima, post sententiam judicis.

DICES : Aurigæ, nautæ, stabularii, tenentur de culpa levissima, ex Justiniano [6] : ergo non tantum de culpa levi.

RESP. *Dist. ant.* Tenentur de culpa levissima, si quis eis rem expresse tradiderit custodiendam, *conc. ;* nam ait lex citata : *Nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus, adversus eos quos recipiunt, coeundi.* Si quis rem suam, ipsis tantum videntibus, in diversorio vel navi deposuerit, *nego.* Et ita nunc est consuetudo, ait Lessius [1]. Sed ut clarius pateat,

Sequentia sunt diligenter notanda.

1° Culpa duplex est, scilicet *Theologica*, et *civilis*.

Culpa *Theologica* est ea quæ veram rationem peccati, sive moralis, sive venialis habet.

Culpa *civilis* est omissio alicujus diligentiæ, per ignorantiam, incuriam, aut inadvertentiam, ex qua alicui dam-

[1] Leg. *Bona fides*, ff. *Depositi*. — [2] Lib. I, cod. *Deposit.* — [3] Cod. 2 *de Depos.* [4] Lib. I, ff. *Depos.* — [5] Lib. IV *de Rebus creditis.* — [6] L. *Digest.*, tit. 9, lib. II.

num creatur, sive omissio sit peccatum, sive non. Igitur non obligat in conscientia ante sententiam judicis, si non est conjuncta cum gravi culpa Theologica.

2° Culpa civilis *triplex* est : *lata*, *levis* et *levissima*.

Culpa *lata* est omissio diligentiæ quam communiter homines ejusdem conditionis adhibere solent, v. gr. si quis rem sibi commodatam foris ante ostium relinquit, ex quo a transeunte surripiatur.

Culpa *levis* est omissio diligentiæ quam prudentiores solent adhibere, v. gr. si quis rem commodatam in suo relinquat cubiculo, sed non clauso ostio.

Culpa *levissima* est omissio diligentiæ quam adhibere solent prudentissimi, v. gr. si quis cubiculi sui claudat quidem ostium, sed non observet utrum sera fuerit bene inducta.

Ex jure Gallico, non agnoscitur culparum divisio, sed quisquis tenetur curare res alienas tanquam suas et ut bonus paterfamilias.

3° Ad obligationem restituendi, supposito contractu et quasi-contractu, sunt aliquæ leges tenendæ quæ obligant in conscientia, et quidem ante sententiam judicis, quoties gravis culpa Theologica conjuncta est cum culpa civili; quia unusquisque cum contrahit, implicite saltem se obligat ad eam præstandam diligentiam quam leges requirunt, adeoque ad eam subeundam pœnam quam eædem leges imponunt; et sunt sequentes :

*Prima lex :* si contractus cedat in gratiam solius dantis (ut fit in deposito), rei detentor ad restitutionem non tenetur, nisi ex culpa lata et dolo [1].

*Ratio hujus dispositionis* est, quia æquitas naturalis postulat, ut quis non teneatur majorem adhibere diligentiam erga rem alienam, quam sine ullo suo commodo recipit, quam erga res proprias.

*Secunda lex :* si contractus cedat in solius recipientis uti-

[1] *Inst.*, lib. III, tit. 15, § 3.

litatem (ut fit in commodato), recipiens tenetur eam restituere si perierit ex sua culpa levissima, non autem ex casu fortuito [1].

*Ratio hujus dispositionis* est, quia æquitas naturalis postulat, ut is qui gratis utitur re aliena in suam tantum utilitatem, maximam diligentiam adhibeat ne pereat. Ita jura statuunt ad pacem publicam et ut contrahentes diligentiores reddantur in custodia rerum alienarum quas apud se habent. Hæc autem jura non obligant nisi post sententiam judicis.

Utrum vero recipiens teneatur etiam in foro *conscientiæ*, respondemus *probabilius negative*, quia ex vi contractus nemo tenetur majorem adhibere diligentiam ad servandam res alienas quam proprias, nisi specialiter conventio interveniat. Quis enim rationabiliter exigere posset majorem diligentiam quam ipse adhiberet in suis custodiendis? ergo requiritur culpa lata conjuncta cum culpa gravi Theologica, ut diximus, ut quis teneatur in foro conscientiæ ante sententiam judicis.

*Tertia lex:* si contractus cedat in utilitatem utriusque (ut in locatione), locatarius ad restitutionem tenetur ex culpa lata et levi, non autem ex levissima [2].

*Ratio hujus dispositionis* est, quia cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas postulat ut majorem solito diligentiam erga ipsam adhibeat; non tamen tantam, quantam adhiberet si in sui tantum utilitatem accepisset; hinc famuli tenentur de culpa levi.

*Quarta lex,* pro obligatione restituendi ex quasi-contractu, hæc est: cum quis ex officio suo aliquid facit in utilitatem alterius, non accipiendo mercedem, tenetur tantum de culpa lata et dolo; si sit mercede conductus, ut tutores, medici, advocati, negotiorum gestores, tenetur de culpa lata, non autem de leviori, nec de levissima, nisi in duobus casibus: 1° cum res est tanti momenti, ut ex

[1] Cap. unico *de Commodato.* — [2] *Inst.*, lib. III, tit. 15, § 3.

natura sua summam cautionem exigat; 2° cum quis tanquam in sua arte peritissimum sese obtulerit quærenti. Ratio est, quia tunc est pactum saltem implicitum majores solito diligentias adhibendi.

QUÆRES 4. *An depositarius aliquando de casu fortuito teneatur?*

RESP. *teneri:* 1° si casus fortuitus dolum subsecutus est, v. gr. si depositarius secum detulerit depositum in locum periculosum; 2° si mora culpabilis restituendi præcessit casum fortuitum; 3° si pactum intervenit, ut de casu fortuito teneretur.

## ARTICULUS IV.

### DE COMMODATO ET PRECARIO.

QUÆRES 1. *Quid sint commodatum et precarium?*

RESP. Commodatum est *contractus quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad determinatum tempus, ante quod repeti non potest.*

Precarium (sic dictum quia ad preces petentis conceditur) est *gratuita rei quoad solum usum concessio* revocabilis *ad nutum concedentis.*

Dicitur *revocabilis,* etc., per quod differt a commodato, quod non potest repeti, nisi elapso tempore ad quod datum est.

QUÆRES 2. *Quænam sint obligationes commodantis et commodatarii?*

RESP. 1. Commodans tenetur: 1° aperire vitium rei commodatæ, si sit periculosum, v. gr. si commodet vasa pravo liquore imbuta; alioqui tenebitur de damno inde secuto.

2° Tenetur non repetere commodatum ante tempus de quo expresse vel implicite conventum est; alias tenebitur de damno erga commodatarium.

[4] Lib. I, cap. 27 *de Deposito.*

Excipe casum in quo commodanti simile damnum ex carentia rei suæ inopinato immineret; quia censetur sub hac tantum conditione concessisse rei suæ usum.

Dices *contra exceptionem*, cum Navarro: Quisque debet pactis et promissis stare: ergo commodans non potest repetere commodatum ante tempus cum damno commodatarii, etiamsi æquale damnum pateretur.

Resp. *Dist. ant.* Quisque debet stare promissis, quamdiu manet idem status rerum, *conc.;* si notabiliter mutetur, *nego.* Ut si promisisti alii alimenta, et postea incidisti in egestatem.

Inst. Regula 33 Jur., in 6°, sic habet: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. reg.* Non potest mutare consilium, absque rationabili causa et intendendo per se detrimentum, *conc.;* quando est rationabilis causa, nec intenditur detrimentum, *nego.* Hic autem est rationabilis causa, et commodans intendit solum propriam sublevationem.

Resp. 2. Commodatarius tenetur: 1° non uti re commodata, nisi ad usum sibi concessum, ad quem solum jus habet; alias furtum committit, ait Justinianus [1].

2° Tenetur rem commodatam conservare ea cura quam diligentes homines et bonus paterfamilias in rebus suis similibus adhibere solent [2].

3° Tenetur rem commodatam finito tempore restituere, etiamsi non repetatur, quia *dies statuta pro domino postulat* [3]. Ab hoc tamen debito excusatur: 1° si absque sua culpa incidit in impotentiam reddendi tempore præfixo; 2° si commodatum retineat per compensationem indirectam, scilicet donec commodans solvat debitum [4].

4° Tenetur ad impensas modicas et necessarias ad rei commodatæ conservationem, v. gr. ad pabulum equi; non

[1] Inst. *de Oblig. quæ ex delicto.* — [2] Inst. *Quibus modis.* — [3] Cap. ult. *de Locato.* — [4] Lib. ult., cod. *de Compensat.*

autem ad extraordinaria, v. gr. ad curationem equi cum magno pretio. Ita Lopez [1].

QUÆRES 3. *Ex qua culpa teneatur commodatarius quoad forum externum?*

RESPONDET Gregorius IX : *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur* [2]; non autem tenetur de casu fortuito, nisi aut pactum speciale, aut mora tempore præfinito restituendi, aut etiam culpa lata (si nimirum ad usum non convertit rem commodatam) præcesserint. Quoad autem forum internum, non tenetur, ut sæpe diximus, nisi culpa juridica cum culpa gravi Theologica conjuncta sit.

Quod si *precarium* fuerit, recipiens non tenetur nisi de dolo et culpa lata restituere, quia precarium potest semper a domino revocari, non autem commodatum.

## ARTICULUS V.

### DE MANDATO.

QUÆRES 1. *Quid sit mandatum?*

RESP. Gallice, *mandat, procuration,* est *obligatio aliquid agendi in alterius commodum* gratis suscepta..... Dicitur *gratis suscepta :* quia si pro pretio suscipiatur, est *locatio operæ* potius quam mandatum.

QUÆRES 2. *Quænam sint obligationes mandantis et mandatarii?*

RESP. 1. Mandans tenetur : 1° præbere necessaria ad mandati executionem, et solvere sumptus [3]; 2° tenetur ratum habere quod a mandatario bona fide ac prudenter gestum est, quia id æquitas et justitia exigunt; 3° mandatarium indemnem servare de impensis et damnis quas prudenter agendo subiit : nemo enim propriis sumptibus militat unquam.

[1] Lib. II *de Contract.*, cap. 46. — [2] Cap. unico *de Commod.* — [3] Cap. 6 *de Procurat.*

Resp. 2. Mandatarius seu procurator tenetur:

1° Negotium susceptum diligenter adimplere tanquam proprium, ita ut, mandato non peracto, vel male peracto, teneatur mandantem indemnizare [1], nisi tempestive mandati acceptationem revocaverit.

2° Non potest mandati sui fines transire *qui diligenter custodiendi sunt*, ait lex [2]. Unde non potest aliquid emere pluris, vel minoris vendere quam ei præscriptum sit. Alioquin damnum inde ortum tenetur sustinere.

3° Tenetur nullam mercedem ex opera sua gratis promissa exigere, aut retinere per occultam compensationem; *quia mandatum, nisi gratuitum, nullum est, nam originem ex officio vel amicitia trahit; interveniente enim pecunia ad locationem et conductionem potius respicit*, ait lex [3].

*Nota.* Eædem sunt obligationes ejus qui absentis et ignorantis negotium gerit sine mandato, ac mandatarii [4]; absens vero tenetur negotiorum gestori impensas et damna ex negotii administratione secuta compensare, et insuper mercedem operæ congruentem solvere [5]; idque etiamsi negotium male succedat, modo negotii gestor prudentiam et diligentiam debitam adhibuerit.

Quæres 3. *Ex qua culpa teneatur mandatarius et negotiorum gestor?*

Resp. Si mandatum gratis suscepit, tenetur de dolo et culpa lata [6]; si pro mercede, vel si se obtulit, cum alius diligentior præsto esset, quidam dicunt eum teneri de culpa levi; et si maximam diligentiam promiserit, vel si maximam res exigat, teneri de levissima. At, juxta regulam sæpe traditam, nemo tenetur absque speciali conventione, ultra id ad quod teneretur et quam adhiberet ipse dominus, si rem suam ageret, et negotium postulat.

[1] Lib. xxi, cod. *Mandanti.* — [2] Lib. v, ff. *Mandati.* — [3] Lib. i, ff. *Mandati.* [4] Lib. xx, cod. *de Negot. gest.* — [5] Lib. ii, ff. *de Negot. gest.* — [6] Lib. iii *de Negot. gest.*

## ARTICULUS VI.

### DE MUTUO.

*Nota.* Mutuum considerari potest in se ipso vel cum suo auctario, seu lucro inde percepto. Unde dicemus: 1° de mutuo *in se spectato*; 2° de mutuo *cum auctario*, seu de *usura*, duplici paragrapho.

### § I.

#### De mutuo in se spectato.

QUÆRES 1. *Quid sit mutuum?*

*Nota.* Verbum *mutuor, mutuum*, passim ab auctoribus usurpatur pro rebus non consumptibilibus. Sic auctor Dialogi dicit: *Mutuatur damnum.* Sic Ulpianus verbo mutuari utitur pro utensilibus.

Sic in Script. [1] *mutuo postulare, mutuo recipere vasa*, invenitur. Unde verbum *mutuum* non videtur oriri ex verbis *meum et tuum*, quasi si dicam: *Ita a me tibi datur, ut ex meo fiat tuum.* Sensus genuinus verbi *mutuare* vertitur italice per verbum *prestare*, et gallice *prêter*, et significat dare aliquam rem sub conditione ut ipsa restituatur, ut patet ex dictionariis *de la Crusca et d'Alberti*, ubi legitur: *Prestare*, mutuare *dei Latini, dare altrui una cosa con animo e patto che egli te la renda.* In hoc sensu generico dicitur in *Exodo* [2]: *Qui a proximo quidquam horum* MUTUO *postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præstante, reddere compelletur.* Et Div. Thomas dicit [3]: *In mutuo dati redditio designatur.*

Ex alia vero parte, verbum *commodare* non semel pro *mutuari* accipitur, ut in Scriptura sacra, quando dicit: *Commoda mihi tres panes* [4]. Ratio est, quia in principio, mutuum exercebatur inter familiares, propinquos et vicinos tantum, ut etiamnum fit inter plebeios et homines sylves-

[1] Exod. XXII, 14; IV Reg., III, 65. — [2] XXII, 14. — [3] Opusc. 73, cap. 3. — [4] Luc. XI, 5.

tres. Hujusmodi materia erat parvi momenti, quibus passim pro occurrentia, quisquis etiam dives forsan indigere potest, quales sunt instrumenta, vestes, etc. Mutuum igitur erat a primordio virtutis charitatis, benevolentiæ, necessitudinis exercitium inter cognatos et vicinos, non vero ad speculationes, ad fortunas amplificandas, prædia coemenda, vel quæstuosa negotia peragenda destinatum.

Ast quia res mutuatæ sæpe sæpius erant primo usu consumptibiles, necessario mutuans consentiebat ut illæ consumerentur, et per alias omnino similes repræsentarentur, quæ propterea *fungibiles*, seu *vice fungentes* dicuntur.

Postea vero pecunia annumerata fuit inter res fungibiles, utpote quæ rerum omnium vice fungitur, licet usu non consumatur, et per eam omnes repræsententur.

Ex illa bina specie rerum quæ materia fuerant mutui, earum, scilicet, quæ primo usu consumuntur, et earum quæ nonnisi per actus seu usus successivos perimuntur, nata est distinctio inter commodatum, locationem et mutuum. Res quarum totalitas usuum non exhauritur unico et primo actu sunt materia *commodati* et *locati;* quarum vero totalitas usuum exhauritur per unicum et primum actum ordinarie solæ deputantur pro materia mutui proprie et simpliciter dicti. His notatis,

Resp. Mutuum est contractus quo *rei primo usu consumptibilis, numero, pondere vel mensura constantis, dominium gratis transfertur alteri, cum obligatione eamdem vel aliam ejusdem speciei et bonitatis, post lapsum temporis restituendi.*

Dicitur 1° *rei primo usu consumptibilis*, quia mutuum regulariter est de his quæ usu consumuntur. Aliqui tamen volunt etiam aliarum rerum primo usu non consumptibilium mutuum fieri posse, ut ligna, lapides, animalia, et similia quæ mutuari possunt. Sed verius dicendum est has res posse vel ad mutuum vel ad commodatum referri. juxta respectum sub quo considerantur.

Dicitur 2° *res numero, pondere vel mensura*, id est, quæ communiter vel ad pondus, ut carnes, vel ad numerum, ut pecunia, vel ad mensuram, ut triticum, tradantur; hinc, quia liber, equus, domus, etc., non solent tradi ad pondus, numerum aut mensuram, ordinarie non reputantur esse hujusce contractus materia.

Utrum vero pecunia quæ primo usu non consumitur, imo continuum habet usum, quasi primarium tenens locum, inter materiam mutui sit semper annumeranda, acriter disputatur, ut videbimus infra.

Dicitur 3° *transfertur dominium alteri*: 1° ut appareat contractum istum non esse ex his qui solo consensu perficiuntur, ut venditio, locatio, conductio; sed ex his qui traditionem requirunt ut perficiantur quoad substantiam, ut donatio, commodatum, depositum; 2° ut innuatur quod de ratione sit mutui, ut transferatur dominium, et sic distinguatur a locato, commodato, pignore, etc.

Dicitur 4° *gratis*, id est, absque ullo alio onere, quam reddendæ rei ipsius vel similis in specie et bonitate, quia contractus est gratuitus.

Dicitur 5° *cum obligatione reddendi*, quia obligat semper et generaliter mutuatarium ad restitutionem, nisi juris privilegio excipiatur. Porro, *ex jure Romano*,

*Excipiuntur* minores et familiares, mutuo pecuniam sine consensu patris vel tutoris acceptantes, qui non tenentur in conscientia restituere, etiam post mortem patris vel tutoris, si illam in usus inutiles consumpserint; quia jure civili [1] tollitur omnis obligatio non tantum civilis, sed etiam naturalis ex tali mutuo: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligatur*, ait Justinianus [2]. Idem statuitur si filiofamilias mutuum non pecunia datum sit, sed aliis frugibus, ut ex illis venditis pecuniam comparet in fraudem legis [3].

[1] ff. *ad Senatusconsult. Macedon.*, tit. 6, in Gallia vigens. — [2] Lib. LIII, ff. *Obligation. et action.* — [3] Lib. VII *de Senatusc. Maced.*

Hoc autem juste statutum est in pœnam ac odium sic mutuantium, et ob bonum commune, nempe ut filii nec debitis onusti fiant, nec, ut ea solvant, vitæ parentum insidientur, ut constat ex dicta lege [1]. Vide Pontas, Vo *Dette*, cas. 1.

Unde huic privilegio filiusfamilias non potest renuntiare, quia non in ejus favorem præcise, sed præcipue in favorem parentum concessum est. Nec tale mutuum potest firmari juramento, cum sit in præjudicium tertii, et boni publici.

Sed petes : *Nonne in aliquibus casibus cessat hoc senatusconsultum?*

Resp. Cessat : 1° si pecuniam in usus necessarios vel utiles impenderit, quia tunc locupletior factus est; nam tantumdem rebus suis pepercit; atqui *pupillus naturaliter obligabitur in quantum locupletior factus est*, ex jure [2].

2° Si mutuans mutuatarium patremfamilias crediderit, quia plerisque publice paterfamilias videbatur [3].

3° Si pecuniam in rem patris vertit [4].

4° Si absens studiorum causa mutuum (moderatum) accepit [5].

5° Si sciente patre creditum sit filio, id est mutuo datum [6].

Dicitur 6° *eamdem vel aliam;* potest enim mutuatarius eamdem numero reddere, si non consumpserit; ad hoc tamen non obligatur quia dominium tunc transfertur in mutuatarium, sed quocumque modo res pereat, aliam similem in eadem specie reddere debet. Dico *similem ejusdem speciei*, quia si res quæ redditur, diversa sit specie, ut oleum pro vino, est permutatio, non mutuum.

Dicitur 7° *et bonitatis*, ut servetur æqualitas.

Dicitur 8° *post lapsum temporis*, quia est intrinsecum mutuo, ut non statim reddi debeat, alioquin mutuum esset

[1] Lib. I et sequent., ff. *ad Senatusc. Maced.* — [2] Lib. V, ff. *de Auctorit. et consensu tutor.* — [3] Lib. III, ff. *ad Senatusc. Maced.* — [4] Lib. VII, § 12, ff. eodem. — [5] Lib. VII, § 13, ff. eodem. — [6] Lib. XII, ff. eodem.

ugatorium, et inutile mutuatario, et per hoc mutuum dif-ert a cambio, ubi pro moneta argentea statim redditur urea ejusdem valoris.

QUÆRES 2. *In qua bonitate res mutuata reddi debeat?*

RESP. *cum dist.* Vel mutuum est *in pecunia*, vel *in aliis rebus fungibilibus*.

Si sit *in pecunia*, debet reddi in bonitate extrinseca, nisi aliter juste conventum sit. Ratio est, quia in pecunia per se et ex usu spectatur solum valor extrinsecus, non entitas physica; hinc qui mutuo accepit centum libras, satisfacit reddendo centum, sive interim valor monetæ auc-us fuerit, sive imminutus; quia æqualitas valoris, non ubstantiæ attenditur.

Si mutuum consistat *in aliis rebus fungibilibus*, debet eddi in bonitate intrinseca, v. gr. modium tritici pro mo-lio, sive interim pretium creverit, sive decreverit, nisi ali-er juste conventum sit, quia cum in iis rebus entitas phy-ica spectetur, reddendo eamdem mensuram ejusdem peciei physicæ, tantum redditur, quantum acceptum est, t sic servatur æqualitas.

Dixi *nisi aliter juste conventum*, vel quia mutuantis in-erest ut v. gr. aurum pro auro reddatur, utpote commo-ius; vel quia in hypothesi quod mutuans monetam vel ;iticum servaturus usque ad tempus quo reddi debet mu-uum, præviderit valorem monetæ augendum, vel pretium ;itici minuendum, potest jure convenire cum mutuatario, t tot species monetæ, vel tot modios tritici cum auctario eddat, deductis tamen expensis quas facturus fuisset ad ervandum triticum usque in illud tempus. Ratio est, quia nutuans per illum contractum nihil lucratur ex mutuo, ed solum se indemnem reddit, cum non plus accipiat a nutuatario quam habuisset si non mutuasset. Ita S. Li-or. [1], et communiter.

QUÆRES 3. *An gratuitas sit de essentia vel de natura mutui?*

[1] Lib. IV, num. 782.

Resp. *Plures* docent mutuum esse gratuitum ex *natura sua*, non vero ex *sua essentia*. Ratio, quia usura seu lucrum ex mutuo percepto vitiat quidem mutuum, et a fine suo illud avertit, sed cum usura subsistere potest. Ita Ballerini, Cardinalis Gerdil [1] et Lyonnet, a quo citantur.

*Alii* autem *probabilius* docent, sublata obligatione reddendi, mutuum esse *essentialiter* gratuitum. Ratio, 1° quia *mutuum*, inquit Benedict. XIV [2], *suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum:* ergo ex mutuo, *vi mutui*, vel *ratione mutui*, seu *ratione sui*, nihil recipi potest ultra id quod datum fuit : ergo gratuitas pertinet ad essentiam mutui.

2° Illud est de essentia rei, quo sublato, res nec subsistit, nec concipi potest; atqui sublata gratuitate, mutuum nec subsistit, nec concipi potest; siquidem mutuum in dati et redditi æqualitate consistit, seu substantia mutui est ut reddatur tantumdem duntaxat. Ergo, sublata æqualitate inter datum et receptum, destruitur substantia mutui; sine autem substantia res non existit nec concipi potest : ergo, etc.

3° Lucrum quod ex mutuo *vi mutui* percipi dicitur est injustum; atqui non est injustum nisi quia nasci non potest ex mutuo; secus enim non esset injustum, sed jure perciperetur a mutuante, sicut fructus arboris percipitur a domino : ergo, etc.

Dices : Usura in mutuo propriam sedem et locum habet in contractu mutui, ex Benedict. XIV [3] : ergo mutuum subsistere potest cum usura : ergo gratuitas non est de essentia mutui.

Resp. *Neg. conseq.* Aliud enim est propriam sedem et locum habere in contractu mutui, aliud ortum habere ex mutuo *vi mutui*. Usura est quidem in mutuo, et percipitur occasione mutui, verum non oritur ex mutuo *vi mutui*, tanquam fructus genuinus hujus contractus, sicut tinea

[1] Tom. III, p. 33. — [2] In Bulla *Vix pervenit*, num. 1. — [3] Loco cit.

propriam sedem et locum habet in vestimento, sed non nascitur seu non producitur ex vestimento ; sic usura propriam sedem et locum habet in contractu mutui, verum non nascitur ex mutuo *vi mutui*.

QUÆRES 4. *An mutuum sit aliquando de præcepto stricto?*

RESP. 1. Certum est nullum adesse præceptum mutuandi divitibus, ad suas opes augendas, quia nulla premuntur egestate.

Interdum tamen datur præceptum mutuandi divitibus qui ob peculiarem circumstantiam indigent, v. gr. ad componendum litem, ad reparandam domum collapsam, etc.

RESP. 2. Datur præceptum strictum mutuum dare pauperibus qui in necessitate versantur, et postea sunt habituri unde reddantur. Ratio, quia, ex præcepto charitatis [1], stricte tenemur necessitatem patientibus subvenire per eleemosynam, dando, scilicet, vel rem ipsam, vel usum rei ; porro, præfati pauperes, cum melioris fortunæ spem habeant, non re nostra, sed ejus usu indigent : ergo requiritur et sufficit ut ipsis illum præstemus. Utrum vero in isto sicut in superiori casu mutuum debeat esse gratuitum, patebit ex infra dicendis.

RESP. 3. Non datur præceptum mutui erga pauperes qui re et spe sunt vere pauperes ; ipsis enim non usum rei, sed rem ipsam, id est, aliquam eleemosynam erogare debemus. Præterea injustum esset ipsis imponere onus reddendi id quod reddere non poterunt.

QUÆRES 5. *An contractus mutui qui fit in pecunia sit semper mutuum proprie dictum?*

RESP. *Prima* sententia *probabilis affirmat*. Ratio, 1° quia pecunia transit in dominium recipientis, et, si pereat, ipsi perit : ergo contractus non est commodatum, neque locatum, neque depositum, sed mutuum simpliciter dictum; 2° quia natura mutui non mutatur, sive pauperibus, sive

[1] Vid. tract. *de Virt. Theol.*

divitibus fiat; sed quando fit pauperibus, verum est mutuum, omnibus fatentibus: ergo, etc.

*Secunda* sententia, non minus probabilis, et forte probabilior *negat*. Ratio, 1° quia pecunia, sicut aliæ res omnes quæ materia sunt dominii hominis est frugifera, seu habet usum, seu *applicabilitatem*, sicut instrumenta, etc.; nam homo, utpote ens intelligens, suis rebus utitur non solum modo physico et mechanico, sed modo morali, ut mediis ad finem intentum assequendum: ergo pecunia locari potest. 2° Quia pecunia non est res consumptibilis (nisi præbeatur pauperi eam ad suam sustentationem impensuro); nam nec destruitur physice, ut patet, nec moraliter, ut volunt adversarii, sed semper repræsentatur per res cum quibus permutatur: ergo contractus quo traditur pecunia divitibus vel negotiatoribus non est mutuum, sed commodatum, vel locatum.

Ad *primam* rationem adversariorum, scilicet quod pecunia transit in dominium recipientis, et, si pereat, ipsi perit, *respondetur* quod, etsi pecunia pereat recipienti, non sequitur ejus dominium transferri in ipsum; nam in commodato dominium rei commodatæ non transfertur in commodatarii; atqui tamen intervenire potest speciale pactum quo commodatarius teneatur de casu fortuito, ut diximus ubi de commodo. Ergo a pari.

Ad *secundam* rationem, *disting*. Natura mutui non mutatur, sive pauperibus, sive divitibus fiat, si divites sunt egentes ob peculiarem circumstantiam, ut supra dictum est, *conc. maj.*; secus, *nego*; seu potius *negatur paritas* et *conseq.*; quia tunc contractus quo traditur pecunia diviti non est *mutuum*, sed commodatum vel locatum. Etenim mutuum est virtutis charitatis vel necessitudinis exercitium; sed in casu, virtuti charitatis vel necessitudinis non datur locus: ergo, etc.

Nec obstat dicere, in commodato commodatarium teneri non uti re, nisi ad usum sibi concessum, dum e contra,

in mutuo, mutuatarius potest pecuniam applicare ad suum arbitrium; nam respondetur : cum pecunia sit omnium rerum vice fungens, et per eam omnia repræsententur, usum habet universalem, et ideo parvi refert commodanti quomodo illa applicetur; sed hoc est *per accidens*, nec mutat naturam contractus.

Quæres 6. *Quænam sint obligationes mutuantis et mutuatarii?*

Resp. 1. Mutator tenetur : 1° monere mutuatarium de vitio rei, si quod sit, alioqui tenebitur de damno; 2° non repetere statim mutuum, sed tempore præfixo : quod si nullum præfixum sit, non potest repetere nisi post aliquod tempus judicio prudentis assignabile, spectatis natura rei, et fine ob quem datur, quamvis teneatur ante recipere, si reddatur.

Resp. 2. Mutuatarius tenetur mutuum tempore præfixo restituere, vel, si nullum sit præfixum, quoties a mutuante rationabiliter interpellabitur; alias, tenebitur damna ex sua mora secuta resarcire.

## § II.

### De mutuo cum auctario, seu de usura

(*Gallice*, prêt à intérêt).

*Nota.* Agendum est: 1° de natura et divisione usuræ; 2° de his quæ certa sunt circa usuram; 3° de incertis; 4° de conclusionibus practicis, quatuor punctis.

### PUNCTUM I.

### *De natura et divisione usuræ.*

Quæres 1. *Quid sit usura, et quotuplex?*

*Nota.* Usura dicitur ab *usu*, et sic generatim sumpta idem est ac usus sive bonus, sive malus cujuscumque

rei; et accipitur duobus modis: 1° pro lucro; 2° pro contractu. Itaque

Resp. ad primum. Usura sumpta pro lucro in malam partem, definitur: *Lucrum ex mutuo immediate proveniens.* Sumpta vero pro contractu usurario, definitur: *Contractus mutui quo lucrum ultra sortem exigitur, vel intenditur tanquam debitum præcise vi mutui.*

Explico secundam definitionem, ex cujus elucidatione prima innotescet.

Dicitur 1° *contractus mutui;* usura enim necessario supponit mutuum, sive explicitum, sive implicitum.

Dicitur 2° *lucrum*, id est, quidquid est pretio æstimabile, sive sit pecunia, sive onus, *alias indebitum*, a mutuante impositum mutuatario, v. gr. ut molat in molendino mutuantis, merces ejus etiam pretio justo emat, ut ipsi vel aliis Beneficium Ecclesiasticum, vel officium conferat; licet enim Beneficii et officii collatio, ut spiritualis, pretio æstimari nequeat, ipsa tamen conferendi obligatio, pretio æstimabilis est, sicut obligatio celebrandi, inquit Sylvius.

*Hinc*, quia amicitia, licet pluris æstimetur quam pecunia, re ipsa tamen auro non æstimatur; usurarius non est qui ex mutuo alicujus amicitiam intendit, ait Div. Thom.[1].

Dixi *onus alias indebitum;* quia si quis mutuet alteri ut reddat sortem, solvat debitum, desit inique nocere, non erit usura, nec lucrum, cum aliunde sit debitum.

Dicitur 3° *ultra sortem*, id est, ultra capitale mutuo traditum, ut si data fuerint 100, et recipiantur 105 absque justo titulo.

Dicitur 4° *exigitur*, vel expresse, vel implicite.

Dicitur 5° *vel intenditur*, quia quis per solam intentionem aliquid supra sortem recipiendi, reus usuræ constituitur, etsi nullum pactum expressum vel tacitum intervenerit.

Dicitur 6° *tanquam debitum*, sive ex justitia, sive ex

[1] 2 2, quæst. 78, art. 1.

gratitudine aut amicitia, *modo ex vera obligatione* habeatur plus quam datum sit, prout definivit Innocentius XI in damnationem hujus propositionis : *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum* [1].

Dixi *ex vera obligatione;* quia, *si accipiat aliquid hujusmodi non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat, quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit*, ait Div. Thomas [2]. In dubio, standum est pro parte pro qua est potior præsumptio; hæc autem stat pro mutuante, si mutuatarius non sit pauper aut avarus, sed dives et liberalis, si sponte nec timore donavit [3].

Dicitur 7° *immediate*, et principaliter; nam si primario mutuet ex charitate, et secundario tantum, mediante nimirum liberalitate aut gratitudine mutuatarii, aliquod lucrum speraret, non esset usura, ut colligitur ex Glossa [4]; secundaria autem illa intentio cognoscitur ex dispositione mutuantis, qui *ita* est affectus, *ut, etiamsi non crederet sibi aliquid dari supra sortem, adhuc tamen mutuaret,* ait S. Antoninus [5].

Dicitur 8° *vi mutui;* quia si aliquid alio justo titulo exigatur, nempe propter lucrum cessans aut damnum emergens, non est usura, sed indemnizatio.

Resp. ad secundum. Usura alia est aperta, alia palliata, alia realis, alia mentalis, alia usura sortis, alia usura usuræ.

Usura *aperta* seu *formalis* est ea quæ percipitur ex contractu mutui, cum pacto expresso aliquid supra sortem accipiendi.

[1] Prop. 42. — [2] 2 2, quæst. 78, art. 2. — [3] S. Ligor., lib. IV, num. 761.
[4] In cap. *Consuluit, de Usur.* — [5] 2 part., tit. 1, cap. 7, § 1.

Usura *palliata* seu *implicita* est ea quæ percipitur ex contractu mutui latentis sub alio contractu, v. gr. societatis, venditionis, vel depositi.

Usura *realis* est ea quæ percipitur ex contractu mutui cum pacto *explicito* aliquid supra sortem accipiendi; v. gr. mutuo tibi centum, eo pacto ut post sex menses reddas centum quinque; vel *implicito*, ut si dicas: libenter tibi mutuo, sed spero fore ut pecunia non revertatur vacua. Si exerceatur erga pauperes, dicitur *oppressiva;* si erga divites et exeat extra limites justi tituli, dicitur *enormis*.

Usura *mentalis* est ea quæ intenditur a mutuante, sed in pactum non deducitur; unde patet usuram alio sensu dici mentalem quam alia peccata dicantur mentalia; hæc enim ita vocantur, quando in actum exteriorem non proruperunt; usura vero, etsi exterius perficiatur, dicitur mentalis, quando nullum pactum sive expressum sive tacitum de solvendo lucro præcessit. Si tamen in sola voluntate sisteret, esset quidem injusta in affectu, sed non in effectu.

Usura *sortis* est ea quæ immediate provenit ex pecunia mutuo data.

Usura *usuræ* est ea quæ percipitur ex lucro usurario. Hanc recipere ex quovis titulo, sive lucri cessantis, sive damni emergentis prohibitum est in jure [1]. Sed in *Gallico jure* non distinguitur usura usuræ. His notatis, sit

## PUNCTUM II.

### *De his quæ sunt certa circa usuram.*

Usura vel auctarium estne *per se* illicita, et consequenter semper prohibita, vel estne tantum illicita *relative*, et consequenter non semper prohibita: responsio patebit ex infra dicendis.

[1] Lib. XXVIII, cap. *de Usuris*.

Quæres : *Quot usurarum patroni ad suam iniquitatem palliendam adinvenerunt titulos ?*

Resp. Omnes referendo, eosque leviori calamo refellendo. Sit itaque

## CONCLUSIO I.

*Usura percepta* vi mutui *in re primo usu consumptibili est prorsus illicita et injusta.*

Prob. Jure naturali vetitum est ne quis vendat quod non est pretio æstimabile; atqui percipere lucrum *vi mutui* in re primo usu consumptibili, est vendere quod non est pretio æstimabile: ergo, etc.

*Prob min.* Hujusmodi rei usus non est pretio æstimabilis independenter a re ipsa mutuata; nam usus non concipitur absque rei destructione, consequenter res et usus sunt unum et idem quoad valorem : ergo qui perciperet lucrum *vi mutui*, venderet quod non est pretio æstimabile. Cum igitur hujusmodi res usum non habeat permanentem, qui pretio æquivalere possit, solum præbet titulum ad rei similis restitutionem. Ita omnes.

## CONCLUSIO II.

*Usura oppressiva, id est ea, quæ erga pauperes exercetur, vel erga divites, si limites justi excedit, jure naturali divino positivo et canonico prohibetur.*

Prob. 1° Si exerceatur erga pauperes, quia ex charitate mutuum gratuito dare tenemur, ut dictum est supra; 2° si exerceatur erga divites, ultra limites justi tituli (vel saltem taxæ legalis), quia justitia commutativa requirit ut sit proportio inter lucrum perceptum et titulum percipiendi, seu

inter lucrum et usus valorem. Igitur qui percipit ultra limites justi tituli, non percipit suum, sed alienum, et facit furtum. Ita omnes.

In has usuras insurgunt omnia jura, ut dicemus infra, ubi de titulo legis et fecunditate pecuniæ.

## CONCLUSIO III.

*Usura est contra justitiam obligare mutuatarium ad ea quæ nullo modo vel tantum ex gratitudine tenebatur præstare, si hæc in verum pactum deducantur.*

Prob. Onus, vel aliquid pretio æstimabile, quod ex justitia non debetur, imponere mutuatario, est illius libertatem restringere, quod est injustum: ergo, etc. S. Ligor. [1], et omnes.

Hinc ab Innocent. XI jure damnata est propositio supra relata, quæ dicebat: *Usura non est, dum aliquid supra sortem exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Nam 1° quod exigitur tanquam debitum, exigitur ex justitia, et supponit ex altera parte obligationem, saltem tacitam; unde verbum ex gratitudine pro pallio usuræ ponitur; 2° obligatio gratitudinis est indeterminata, et quoquo modo solvitur ad arbitrium regratiantis; debitum autem determinatum oritur ex justitia: ergo, etc.

## CONCLUSIO IV.

*Nec carentia pecuniæ, nec obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, est sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi.*

Prob. Quia utrumque est de intrinseca ratione mutui: ergo cum propter mutuum non liceat aliquid supra sor-

[1] Lib. IV, num. 780.

tem recipere, nec id etiam licitum est propter illam carentiam et obligationem. Unde hæc propositio merito fuit proscripta ab Alexandro XII : *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus* [1]. Nam cum verbum *certum tempus* sit indeterminatum, includit etiam tempus intrinsecum mutuo. Quale autem sit illud tempus mutuo intrinsecum, DD. non conveniunt. At communiter dicunt eum licite aliquid exigere posse, qui obligatur ad mutuandum infra longum tempus, v. gr. infra annum [2].

## CONCLUSIO V.

*Ratio pecuniæ præsentis, quæ datur pro pecunia absente quæ est retribuenda, non est titulus aliquid supra sortem recipiendi.*

Prob. Tum quia est essentialis mutuo, cum in omni mutuo essentialiter detur pecunia præsens, non reddenda nisi in futurum : ergo cuilibet liceret exigere auctuarium vi mutui.

Tum quia pecunia præsens, per se et secluso omni extrinseco periculo, non pluris valet quam absens, cum semper maneat eadem, et ejus valor præcise per tempus non crescat : unde Innocentius XI damnavit hanc propositionem : *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari* [3].

## CONCLUSIO VI.

*Labor in numeranda pecunia non est titulus*, etc., *nisi sit extraordinarius.*

Prob. Quia labor ille est mutuo intrinsecus : ergo si lice-

[1] Prop. 42. — [2] Vide S. Ligor., lib. IV, num. 760. — [3] Prop. 43.

ret aliquid ultra sortem recipere propter illum, liceret etiam aliquid recipere vi mutui.

## CONCLUSIO VII.

*Utilitas et commoditas quam ex mutuo percipit mutuatarius, non est titulus aliquid recipiendi supra sortem.*

Prob. Quia hæc proprie non oritur ab ipsa re mutuata, sed ex mutuatarii conditione et industria : ergo si mutuans illum fructum perciperet, meteret ubi non seminasset; non potest igitur repetere ultra id quod res mutuata fructificat.

Quæres 1. *Quot sint veri tituli mutuo extrinsèci, ob quos licet aliquid exigere supra sortem ?*

Resp. Sunt *duo*, recepti ab omnibus, *modo serventur aliquæ conditiones*, et tertius a quibusdam impugnatur.

*Primus* est *damnum emergens*, nempe detrimentum quod in suis rebus patitur mutuator ratione mutui : v. gr. si ob defectum pecuniæ cogatur res suas vilius vendere, aut sibi necessarias carius emere; ædificii quod reparare non potest, ruinam sustinere, etc.

Hic titulus est justus, quia nemo tenetur cum damno proprio beneficium præstare; atqui mutuans cum damno suo præstaret alteri beneficium, si jacturæ quam propter mutuum fecit, compensationem exigere non posset, quod est prorsus injustum : ergo, etc.

*Secundus* est *lucrum cessans*, cum nempe mutuans non acquirit aliquod lucrum temporale quod certo aut probabiliter acquisiturus erat, si mutuum non dedisset, v. gr. emptione fundi, census, etc.

Hic titulus est justus, quia per illum nihil exigitur supra sortem vi mutui, sed ratione spei lucri certo aut probabiliter ex pecunia per industriam mutuantis futuri; atqui

hæc spes est pretio æstimabilis, potest enim vendi [1]: ergo pro ea potest aliquid exigi.

Dixi *modo serventur aliquæ conditiones*, et sunt sex sequentes.

*Prima* est ut auctuarium non sit majus damno orto ex mutuo, alioquin non servaretur æqualitas, unde excessus esset usurarius.

*Secunda*, ut mutuatarius non cogatur ad aliquid solvendum pro damno probabiliter eventuro, si velit se obligare ad solvendum totum damnum, quod reipsa contigerit, sic enim indeterminationem ad quam solam tenetur, præstat; tamen, si nolit expectare eventum, mutuans poterit cum ipso convenire de certo et determinato auctuario pro damni periculo solvendo.

*Tertia*, ut mutuum sit vera causa lucri cessantis; ut si pecuniam proxime et actu destinatam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, substraham illi destinationi, ut tibi mutuem, modo non habeam alias pecunias otiosas, id est, non destinatas justo lucro faciendo, nec familiæ sustentationi, nec filiarum doti, nec provisioni casuum fortuitorum: talis enim pecunia non est otiosa, cum commode non possit in mutuatæ locum destinari ad lucrum.

*Quarta*, ut mutuans moneat mutuatarium de lucro cessante vel damno verisimiliter imminente; alias non consentiret in illius compensationem, et consequenter non teneretur ad illam, modo non fuerit per culpabilem moram causa illius.

*Quinta*, ut in compensatione lucri sperati deducantur expensæ faciendæ et pericula incurrenda; propter ipsa pericula enim res solum sperata non tanti valet, quanti res jam existens.

*Sexta*, ut compensatio lucri cessantis non exigatur

[1] Lib. XII, ff. *de Action. empti.*

statim dato mutuo, quia si quis, v. gr. det centum mutuo, et statim accipiat decem pro lucro cessante, perinde se habet ac si daret tantum nonaginta mutuo et tamen accipiat lucrum cessans pro centum, quod est manifeste injustum, cum minus lucrum ex nonaginta, quam ex centum sperare et exigere deberet.

*Tertius* titulus est *periculum sortis*, de quo

QUÆRES 2. *An liceat aliquid exigere ultra sortem ratione periculi ejusdem sortis?*

*Nota.* Periculum sortis est timor fundatus ne sors recuperari nequeat, vel nonnisi cum molestia et labore. Duplex est sortis amittendæ periculum: primum, *commune* et *ordinarium*, quod in omni mutuo reperitur, oriturque ex casibus fortuitis a parte fortunæ mutuatarii, v. gr. incendio, devastatione, etc., et ex inopia pauperis, ad quam sublevandam mutuum a Deo ordinatum fuit.

Secundum, *particulare* et *extraordinarium*, quod mutuo est extrinsecum, avertiturque ab eo per pignus vel fidejussionem; tale est quod oritur ex prava dispositione mutuatarii, v. gr. cum pecunia datur homini nullius conscientiæ, prodigo, litigioso, commercium periculosum habenti, etc.

*Certum est* apud omnes, illicitum esse aliquid supra sortem exigere ratione periculi communis et ordinarii, tum quia est intrinsecum mutuo, tum quia alias frustraretur finis ad quem mutuum ordinatum fuit a Deo, nempe ut necessitati pauperum subveniatur.

*Itaque* de solo periculo particulari et extraordinario est controversia inter Doctores, ad quam breviter dirimendam, sit

## CONCLUSIO VIII.

*Licitum est aliquid supra sortem recipere propter periculum extraordinarium, modo serventur aliquæ conditiones.* Ita communior et probabilior sententia.

PROB. 1. Ex decreto sanctæ Congregationis de Propaganda Fide [1], ubi statuitur, *non esse inquietandos eos qui recipiunt aliquid supra sortem ratione periculi probabiliter imminentis,* ideo *quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram judice repetere,* etc., *dummodo servetur proportio inter periculum et id quod accipitur;* et Innocentius X præcipit omnibus Missionariis, sub excommunicatione latæ sententiæ, ut omnia responsa hujus decreti observarent et illis uterentur, donec Sua Sanctitas vel Sedes Apostolica aliud statuerit [2].

PROB. 2. Ex Div. Thoma [3], licet carius justo vendere *propter periculum futuræ difficultatis in sorte recipienda:* ergo licet aliquid recipere supra sortem propter periculum probabile sortis recuperandæ.

*Prob. conseq.* Ideo in hypothesi allata carius justo vendere licet, quia plus valet pecunia ab omni periculo immunis, quam pecunia non nisi magnis difficultatibus recipienda; atqui pariter sors præsens et ab omni periculo immunis, pluris valet quam sors non recipienda, vel non nisi difficulter recipienda: ergo par utrobique ratio.

CONFIRMATUR. 1° Si sors amitteretur, esset mutuanti damnum emergens: ergo periculum amittendæ sortis est

[1] 12 septemb., anno 1645.

[2] Casus propositus erat hic: In præfato regno (in Sinis), lege stabilitum est ut in mutuo 30 pro 100 accipiatur, absque respectu lucri cessantis aut damni emergentis; et quia in recuperanda sorte erat periculum fugæ debitorum, aut tardæ solutionis, vel repetendi pecuniam cum onere recurrendi ad judices, quæritur an, etc.

[3] Opusc. 73 *de Usu. a*, cap. 1.

periculum damni emergentis; *subsumo:* atqui periculum damni emergentis est titulus legitimus: ergo et periculum sortis amittendæ; 2° spes lucri est pretio æstimabilis: ergo a fortiori periculum sortis.

Dixi *modo serventur requisitæ conditiones*, et sunt sequentes.

*Prima*, ut absit intentio lucrandi ex mutuo, quia tunc, etiam secluso pacto, esset usura mentalis.

*Secunda*, ut periculum sit vere probabile, non autem fictum.

*Tertia*, ut mutuans non cogat mutuatarium, ut ipsum pro fidejussore suscipiat, alioquin mutuum non daturus, ut hoc prætenso titulo aliquid supra sortem recipiat.

*Quarta*, ut mutuatarius fidejussorem nec dederit, nec obtulerit.

*Quinta*, ut mutuans non plus exigat quam postulet gravitas periculi, et quam ipsemet alteri daret ad sese a tali periculo redimendum.

*Sexta*, ut mutuatarius non sit pauper, quia tunc præceptum charitatis urget ad ejus inopiam præsentem sublevandam.

Objicies 1. Gregorius IX ait[1]: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus.* Ergo, etc.

Resp. 1. Cum auctoribus magni momenti [2] mendum irrepsisse in textu, et legendum esse: *Usurarius non est censendus*, ob ista verba immediate sequentia: *Ille quoque qui dat decem solidos ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur... non debet ex eo usurarius judicari.* Particula *quoque* conformitatem prioris casus cum posteriore indicat.

Resp. 2. Posito quod non sit mendum in textu, *nego*

[1] Cap. *Navigantis, de Usuris.* — [2] Barbosa, Laym., Tournely, Antoine, etc.

*conseq.;* nam Summus Pontifex loquitur tantum de eo qui non vult mutuari nisi ea conditione, ut ipse periculum sortis certo pretio in se suscipiat, quod est usuraria impositio oneris; cum mutuatarius, dato pignore vel fidejussore, securitatem præstare potuisset.

Objicies 2. Auctuarium non est medium aptum ad tollendum sortis periculum; vel enim mutuatarius sortem cum auctuario reddet tempore definito, vel neutrum est redditurus; si primum, mutuans plus recipiet quam ad indemnitatem suam esset necessarium; si secundum, nulla erit mutuantis indemnitas: ergo illicite eo medio uteretur mutuans.

Resp. *Nego conseq.* Et dico illud auctuarium non exigi ut tollatur periculum futurum, sed ut compensetur periculum præsens ex damno quodam actu existente, dum pecuniam in manu sua certam committit manui periculosæ, in qua minoris est valoris quam in sua, ut ex eo patet quod minoris venderetur hujusmodi debitum, quam debitum aliud certum et non periculosum.

Quæres 1. *An mutuans possit sibi retinere fructus pignoris sibi dati pro assecuratione sortis?*

Resp. *Non potest*, sed tenetur eos computare in sortem, vel restituere [1]. Ratio est, quia res domino suo fructificat.

Dices 1. Dominus directus accipiens a suo vassallo feudum in pignus pro debito, non tenetur fructus deducere in sortem, ut constat ex jure [2]: ergo nec mutuans.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod contractus feudi (sicut et emphyteusis) ex natura sua habet hanc tacitam conditionem, ut si res feudo (vel emphyteusi) subjecta tradatur domino directo in pignus, dominus directus possit sibi retinere fructus, modo non exigat servitium, vel pensionem solitam; in mutuo vero hæc conditio repugnat, cum ex natura sua gratuitum sit.

[1] Cap. 2 *de Usuris.* — [2] Cap. *Conquestus, de Usur.*

DICES 2. Gener non tenetur restituere socero fructus fundi, qui loco dotis in pignus datur [1] : ergo nec mutuans.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod pignus non datur genero solum ad debiti securitatem, sed etiam ut gener eo fruatur loco dotis donec ei dos repræsentata fuerit, quia hoc necessarium est ipsi ut alat filiam soceri, et alia sustineat matrimonii opera.

QUÆRES 2. *An pœna conventionalis mutuo apponi possit?*

*Nota.* Pœna conventionalis est pactum mutuantis cum mutuatario, ut si, termino præfixo, non reddat sortem, super eam aliquid solvat in pœnam suæ culpabilis moræ.

RESP. *affirm., modo adsint debitæ conditiones.* Ratio est, quia mutuatarius, differendo solutionem debiti, peccat contra jus mutuantis ; ergo potest juste puniri pœna proportionata.

Dixi *modo adsint debitæ conditiones*, quæ sunt :

*Prima,* ut pœna non apponatur in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam statuto tempore recuperandi.

*Secunda,* ut mora sit notabilis et culpabilis ; unde non est mulctandus qui sine culpa sua factus est impotens, ut docet S. Antoninus [2], aut si mora esset unius aut alterius diei [3].

*Tertia,* ut pœna sit moderata et culpæ proportionata, unde non debet exigi integra, si pars sortis jam sit reddita. Hinc pactum legis commissoriæ, nimirum ut pignus sit mutuantis, si certo tempore mutuatarius non solverit sortem, est prohibitum a jure [4], quia est pœna exorbitans.

*Porro,* pœna conventionalis, positis his conditionibus, debetur ante omnem sententiam judicis, quia debita est ex vi pacti justi ; modo tamen mutuator eam exigat, quia videtur imponi sub hac tacita conditione : *si petatur.* Ita *communiter* cum S. Ligor. [5].

[1] Cap. *Salubriter*, tit. *de Usur.* — [2] Part. 2, tit. 1, cap. 7, § 73. — [3] S. Ligor., lib. IV, num. 766. — [4] Cap. 7 *de Pignoribus.* — [5] Loc. cit.

QUÆRES 3. *An liceat mutuum petere, vel accipere sub usuris ?*

RESP. AD PRIMUM. Nunquam licet mutuum petere sub usuris, quia, ut ait Div. Thomas [1] : *Dicendum est quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet ;* atqui petens mutuum sub usuris induceret hominem ad peccandum : ergo *nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris.*

RESP. AD SECUNDUM. Licet ex gravi necessitate propria vel aliena, accipere mutuum sub usuris, et petere *ab eo qui usuras exercet* [2], si aliter haberi nequit, intendendo solum mutuum, et habendo se permissive ad usuram ; quia, licet petere ab alio id quod licite præstare potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, qualis est hic, modo adsit justa causa non impediendi ejus peccatum.

QUÆRES 4. *An usurarii vere fiant usurarum domini ?*

RESP. *negat.* Quia non transfertur dominium sine justo titulo, ex jure [3] ; atqui usurarius non habet justum titulum.

DICES : Habet titulum donationis a mutuatario : ergo, etc.

RESP. *nego ant.* Quia mutuatarius non plus intendit in usurarium juris conferre, quam ipsi debeatur vi mutui ; atqui vi mutui nihil debetur supra sortem : ergo, etc.

*Hinc colliges* non solum jure canonico et civili, sed et jure naturali usurarios ad restitutionem usurarum teneri, ratione injustæ acceptationis. Ad eamdem restitutionem tenentur : 1° eorum hæredes, quia repræsentant personam defuncti ; 2° omnes cooperatores, nempe consulentes usuras, dantes pecunias ut exerceantur, judices qui compellunt ad usuras solvendas, notarii conficientes instrumenta usuraria, ministri principales usurarum, ut sunt factores, correspondentes, proxenetæ, hoc est, qui quærunt eos qui pecunia indigent, adducuntque ad usurarios ; hi omnes tenentur restituere in solidum. Sed

[1] 2 2, quæst. 78, art. 4 *in corp.* — [2] Div. Thom., ibidem. — [3] Leg. *Nunquam*, ff. *de Acquir. rer. domin.*

Quæres 5. *An hæredes usurariorum teneantur restituere in solidum?*

Resp. Hæredes non tenentur in solidum, nec alter pro altero; sed singuli tantummodo pro sua parte, juxta vires hæreditatis.

Ratio est, quia in successione hæreditatis, sicut bona defuncti dividuntur in hæredes, ita etiam obligationes personales et debita; rationi enim consentaneum est, ut qui tantummodo in parte commodum percipit, onus quoque in parte tantum sentiat.

*Hinc,* si res accepta per usuram perveniat in specie ad unum ex hæredibus, eam tenetur restituere, sed alii tenentur ipsi refundere pro rata.

Objiciunt Canonistæ caput *Tua nos, de Usuris,* ubi dicitur: *Filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur:* ergo tenentur in solidum.

Resp. *Nego conseq.* Dicto enim cap. tantum *significatur totam obligationem restituendi transire ad hæredes simul junctos, ita tantum ut singuli non teneantur nisi ex parte:* est responsio Lessii.

Quæres 6. *An usurarius mentalis teneatur ad restitutionem?*

Resp. Usurarius mentalis, id est qui sine ullo pacto, etiam implicito, aliquid supra sortem recipit tanquam debitum, tenetur ad restituendum, quia cum non adsit titulus gratuitæ donationis, nullus adesse censetur: ergo, etc. In dubio utrum auctuarium datum fuerit liberaliter, vel non, pars est eligenda pro qua stat præsumptio, ut supra dictum est.

Quæres 7. *Quænam sint pœnæ usurariis constitutæ?*

Resp. *Usurarii* notorii sunt:

1° *Infames* in utroque jure[1], ac per consequens irregulares, inhabiles ad officia et Beneficia.

[1] Cap. *Infames,* causa 3, quæst. 7, et Leg. *Improbum,* eod., *Ex quibus causis infam.*

2° Privantur communione altaris et Ecclesiastica sepultura, et eorum oblationes non possunt accipi [1].

3° Non possunt absolvi antequam de usuris satisfecerint, vel cautionem dederint [2].

4° Eorum instrumenta sunt irrita, nisi ante mortem satisfecerint, vel cautionem dederint [3].

5° Contra Clericos, qui moniti non desistunt, decernitur suspensio ab officio et Beneficio ferenda. et contra laicos excommunicatio item ferenda, usque ad debitam restitutionem [4].

## PUNCTUM III.

### *De his quæ controvertuntur circa usuram.*

*Nota.* Hactenus diximus de his titulis qui certe vel sunt illegitimi et insufficientes, vel certe legitimi ad usuram seu lucrum ex occasione mutui percipiendum; verum duo sunt tituli de quibus acriter disputatur, nempe de titulo legis civilis, et de fecunditate pecuniæ. De his duplici numero dicemus.

#### Numerus I. — *De titulo legis civilis.*

*Nota.* A tempore quo moneta inventa est, homines illam fere in omnibus transactionibus adhibuerunt. Unde qui pecunia indigebant, ab habentibus mutuo petierunt, cum obligatione summam principalem reddendi cum auctario. Hinc factum est ut ab antiquo, et apud fere omnes populos, leges exstiterint, quibus lucrum certum et determinatum ex mutuo percipi posset. Hæc autem *taxa legalis*, quæ in æstimatione communi fundatur, varia est, prout varium est pecuniæ pretium. Hinc in Europa sat communiter permittitur lucrum quinque pro centum in materia civili, et sex pro centum in materia commercii; in quibusdam locis ubi floret commercium, decem vel duodecim

[1] Cap. 3 *de Usur.* — [2] Cap. ult. *de Usuris*, in 6. — [3] Cap. eodem.
[4] Cap. 7 *de Usur.*

pro centum exigitur; et in Sinisnis triginta pro centum conceditur, sed pro viginti annis tantum, postea vero nec *sors* quidem repeti potest. His notatis,

QUÆRES : *An lex illa esse possit titulus legitimus in foro conscientiæ ?*

RESP. Acriter disputatur. Unde

*Prima sententia,* olim communior inter scholasticos [1], *negat*, et sic probat.

1. Usura quæcumque prohibetur jure divino, naturali et canonico ; *hanc majorem* probari dicunt ex testibus infra recensendis, ubi de fecunditate pecuniæ ; atqui lex civilis non potest inficiare jus naturale, divinum et canonicum : ergo, etc.

2. Ut lex civilis esset titulus legitimus, requireretur ut Princeps, vi sui alti dominii, hujus lucri proprietatem in mutuantem transferre posset ; atqui non potest transferre.

*Major patet, prob. min.* Nam, etsi Princeps aliquando possit transferre dominium absque compensatione, id fit per accidens et in casu particulari, v. gr. in præscriptione ; sed id non potest in genere vel in specie ; atqui, in casu nostro, dominium lucri transferret in specie, scilicet in tota materia usuræ, et absque compensatione : ergo, etc.

3° Princeps non potest abrogare leges naturalem et divinam ; atqui si posset usuras permittere, finis legis naturalis et divinæ, quæ prohibet usuras, funditus everteretur, siquidem, sublata materia legis, tollitur finis prohibitionis : ergo, etc.

*Secunda sententia affirmat.* Hanc tenent nunc Theologi plures, inter quos recentissime Bouvier [2], DD. Gousset [3], Devie [4], etc.

PROB. *Unico argumento.*

[1] Div. Thom., 2 2, quæst. 78, art. 1, ad 3 ; Lessius, Lugo, Cajet., Bossuetius, Ballerini, etc. — [2] In *Append. ad contract.* — [3] Num. 825, et in *Justif.* S. Alph. de Ligorio. — [4] In *Rituali Belley*, tom. III.

Ut lex civilis sit titulus legitimus ad accipiendum moderatum ultra sortem auctuarium, etiam abstractione facta de fœcunditate pecuniæ, requiritur et sufficit quod *legislator valeat et velit transferre dominium lucri, et sufficientia sint motiva talem exercendi potestatem*; atqui hæc tria constant in casu. *Prob. per partes.*

PROB. PRIMA PARS. *Legislator potest transferre dominium auctuarii*; nam potest Princeps ex alto suo dominio in alium transferre jus ad aliquam præstationem pecuniarum, quando id requirit bonum publicum et *quædam* adest *moralis necessitas*, præsertim si libenter consentiant subditi et fiant *generatim indemnes*; atqui hæc tria inveniuntur in lege taxæ legalis de mutuo : ergo, etc.

*Major patet*, et ab adversariis *generatim* admittitur. Præterea quotidiana confirmatur praxi in expropriatione bonorum subditorum ad ornamenta et facilitatem viarum, in tributorum impositione in suum commodum cum publico conjunctum. *Prob. min.* Etenim adest bonum publicum et quædam moralis necessitas, hoc patet ex legis motivis infra enumeratis; intervenit pariter subditorum consensus qui generatim fiunt indemnes, siquidem illa lex universaliter omnibus indiscriminatim favet, et acceptata est necnon a viris etiam probis in praxim deducta, nam perlibere mutuant et mutuantur, indeque sæpissime majus lucrum reportant : unde cives libenter consentiunt, ita ut, etsi dominium auctuarii translatum non esset per Principem, transferetur tamen per illam vicariam civium cessionem : ergo, etc.

Dixi *generatim indemnes*, quia non requiritur in omni casu compensatio individualis in translatione dominii, nisi cum privatus privatim gravatur ob bonum publicum, non vero quando onera et incommoda æqualiter inter cives omnes rependuntur, quod patet in lege de præscriptione et militiæ adscriptione.

PROB. SECUNDA PARS. *Veram Princeps habuit voluntatem*

*transferendi dominium auctarii.* Etenim 1° ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; atqui Principes nullam apposuerunt suæ voluntati restrictionem : ergo voluerunt ut ex mutuo taxa legalis percipi possit. Sic ab initio, inquit Bouvier. intellexerunt Jurisperiti ; sic apprehenderunt cives ; sic deducitur ex variis articulis Codicis, ex quibus *interesse* præcipitur solvendum, quamvis nulla adfuerit conventio, nec probetur ullum fuisse damnum. 2° Principes tum antiqui, tum recentiores, stricte prohibuerunt usuras, et in usurarios gravissimas pœnas sanxerunt : ergo certe voluerunt in *interesse* legali transferre dominium.

Prob. tertia pars. *Sufficientia sunt motiva.* Nam impedire lites circa aliorum titulorum existentiam, extensionem et valorem ; commercium fovere, industriam excitare, quæ mox interit nisi aliena pecunia sustineatur ; enormes usuras exstinguere probis viris legitimum lucrum præbendo, ut mutuum honeste exercere possint ; adjuvare cives qui nec commercium, nec industriam exercere valent, et tamen lucro suæ pecuniæ maxime indigent ; hæc et alia similia sunt gravia motiva quibus moventur Principes : ergo, etc.

*Ad rationes* adversariorum, unica respondetur observatione. *Usura*, inquiunt, *est prohibita jure divino, naturali et positivo humano*, hoc conceditur : *ergo non possunt permitti usuræ*, et hoc etiam conceditur : *ergo non potest statuto Principis permitti quodcumque auctuarium ultra sortem*, hoc demum *negatur ;* jura enim prohibent usuras quæ sunt contra charitatem et contra justitiam, id est, usuras enormes erga divites, et oppressivas erga pauperes, quæ solæ tantum usuræ stricte sumptæ dicuntur. Unde, posito titulo legis, neque tollitur materia usuræ, nec evanescit finis legis usuras prohibentis.

Solent adversarii *objicere* Div. August. in epist. ad Macedonium, Africæ vicarium, ubi, conquerens de negli-

gentia judicum civilium, dicit: *Quid dicam de usuris quas reddi jubent* (leges)? *Hæc utique male possidentur, et vellem ut restituerentur, sed non est a quo judice repetantur.* At nedum illis faveat, imo thesim nostram comprobat. Nam Div. Doctor loquitur, ut patet, de usuris a lege prohibitis, quales eo tempore vetabantur usuræ *centesima* majores, et qui plus exegisset, *quadruplici pœna et obligatione constrictus, sine cessatione, sine requie, ablata redhibere jubetur.* Illas usuras utique leges reddere jubent, non alias, *illæ* utique male, *istæ* vero juste possidentur; *illæ* denique Div. Doctor vellet ut restituerentur, *istæ* vero consequenter assentit ut retineantur.

At si datur fœcunditas pecuniæ, jam titulus non est necessarius, nisi ad moderandum lucrum ex locatione pecuniæ reportandum. Sit ergo

NUMERUS II. — *De fecunditate pecuniæ et ejus locatione.*

*Nota.* Major pars Theologorum, cum pecuniam inter res primo usu consumptibiles annumerent, et illam prorsus *de se* sterilem et infructiferam habeant, negant unquam licite aliquid ex mutuo pecuniæ percipi posse, quia lucrum, ut dicunt, quod accipitur, totum oritur ex industria mutuantis. Rationes hujus sententiæ patebunt ex objectionibus.

Plures autem et graves auctores[1] titulum universalem pecuniæ agnoscunt, scilicet *fecunditatem pecuniæ;* juxta ipsos, nec consumitur *physice*, nec *moraliter*, ut autumant adversarii, nec ex natura sua *sterilis* reputatur. Unde concludunt pecuniam habere *ex se* usum perpetuum, pretio æstimabilem, ac *de se* vere præbere titulum mutuo extrinsecum. *Hinc* inferunt, licitum esse ex mutuo, seu locatione pecuniæ, aliquid percipere ultra sortem, modo justitia vel charitas non lædatur, id est, modo lucrum non percipiatur ex pauperibus quibus tenemur gratis mutuum

[1] Card. de la Luzerne, Maffei, Mastrofini, Rossignol, Broedersen et alii.

dare, et modo sit moderatum, si mutuatarius sit dives, et pecuniam illam in augendis bonis suis impendat, quia tunc non est contractus mutui, sed locationis.

Hæc sententia nullo modo est contemnenda, *duplicique via* probari videtur : 1° per rationes *positivas ;* 2° per *negativas,* scilicet adversariorum rationes infirmando. Si ergo

## CONCLUSIO.

***Datur fœcunditas pecuniæ, et ideo pecunia locari potest.***

**Prob.** Pecunia primo usu non consumitur, neque *physice,* neque *moraliter,* sed *usum* habet *perpetuum ;* atqui usus ille est pretio æstimabilis, et præbet materiam contractus non mutui, sed locationis. *Subsumo :* atqui contractus locationis est titulus legitimus ad lucrum percipiendum : ergo, etc.

Hoc est hujus sententiæ palmare argumentum, quo semel probato, omnia alia facile deducuntur.

*Prob. prima pars majoris :* Pecunia non consumitur *physice,* ut patet ; at nec perit *moraliter :* etenim in traditione pecuniæ, solus valor transfertur, qui est contractus objectum ; atqui valor non perit, sed semper repræsentatur per bona cum quibus permutatur [1].

*Confirmatur.* Si pecunia per traditionem primo usu consumitur *moraliter,* sequitur quod donator nequit de ea

[1] Probe distinguendum est inter individuum *ontologicum* et individuum *inquisitionis* seu *valoris.* Nam individuum *ontologicum,* est individuum naturæ seu speciei, v. gr. Jacobus, Petrus, talis domus individualiter sumpta, etc. ; individuum *inquisitionis* seu *valoris,* est individuum artis, professionis, seu valoris quo indigemus, v. gr. medicus, sacerdos, liber talis editionis, pecunia, numismata ejusdem impressionis, etc., abstractis qualitatibus individui naturæ propriis, quæ vocantur *numericæ,* quia faciunt ut unus non sit alter, ut unus melior sit altero, etc. Unde, in traditione harum rerum, attenditur solum ad individuum *valoris.* Igitur individuum *valoris* non potest perire *moraliter,* sed semper repræsentatur per alia ejusdem *valoris.* Cum vero pecunia sit eminenter individuum *valoris,* ut fatentur omnes, sequitur pecuniam primo usu non esse consumptibilem, nec *physice,* nec *moraliter.*

disponere per donationem, testamentum, permutationem, etc., siquidem amittit dominium specierum et earumdem valorem; falsum consequens: ergo et antecedens.

*Nec dicas* jus *in re* tunc transferri *in personam;* nam

Resp. 1. Jus illud oritur ex dominio rei quod habet donator et illud præsupponit, non enim est jus *in personam* nisi propter dominium, et non est sine illo.

2. Tale jus *in personam* est ex lege civili et non naturali, de qua tantum hic est quæstio; quod probatur ex eo quod si quis legem civilem invocare non possit, recurrat ex jure naturali non ad personam debitoris, sed ad compensationem æquivalentem pro re tradita, quod fieri non posset, si dominium rei non existeret.

3. Jus *in personam*, quod in mutuo mutuator acquirit, supponit interitum rei mutuatæ: igitur, ad solvendum mutuatarius accipit de suo ut fiat meum; unde stricte loquendo, restitutio quæ fit in mutuo rerum fungibilium, dicenda est compensatio *damnificationis*, potiusquam vera restitutio. Re igitur destructa, jus transit *in personam;* at nihil tale accidit in præstatione pecuniæ. Etenim quando restituitur valor mutuatus, mutuatarius non accipit de suo, sed meum mihi restituit; nam si de suo acciperet, pauperior evaderet ac erat ante mutuum, sicut quando dat suum frumentum ad compensandum pro meo frumento consumpto; atqui pauperior non evadit: ergo de suo non accipit, sed meum mihi reddit: ergo meum apud se detinebat, cujus dominium egomet semper retinui, et usum tantum hujus boni alienavi pro certo tempore: ergo pecunia mutuo data primo usu non consumitur *moraliter;* sed

*Prob. secunda pars majoris:* Sed habet usum verum et perpetuum. Et quidem

1° Pecunia *habet usum verum,* secus non esset objectum dominii hominis, homines enim non habent dominium rerum sublunarium, nisi propter *usum.*

2° Pecunia *habet usum perpetuum;* nam res quæ usu

non consumuntur, præbent usum successivum et perpetuum; atqui pecunia, cum sit individuum valoris, computatur inter hujuscemodi res, ut patet: ergo præbet usum successivum et perpetuum et ab ipsa pecunia distinctum [1].

*Prob. minor proposit.*, nempe: *Usus ille est pretio æstimabilis.*

Illud est æstimabile, quod habet valorem intrinsecum et extrinsecum, id est, in æstimatione hominum; sed usus pecuniæ habet valorem, etc.

*Prob. min.* Valet enim sicut omnia instrumenta quibus utuntur homines ad artes exercendas, et in commercio humano, causa evadit multi emolumenti, multumque inservit ad commoditatem vitæ, et ideo plurimi æstimatur et quæritur ab hominibus; habet ergo valorem, etc.: ergo usus pecuniæ est pretio æstimabilis.

*Nec dicas* pecuniam esse *de se* sterilem, et ideo lucrum quod ex ea percipitur, non ex pecunia oriri, sed ex industria hominis; nam

Resp. Si hoc verum esset, lucrum nec percipi posset ex variis instrumentis, utensilibus et similibus, quia hæc et similia non magis habent de se fecunditatem quam pecunia, et quod perciperetur ultra id quod requiritur ad conservationem, esset illicitum, quod nemo dixit unquam.

Sciendum est igitur quod res usuales fructificent juxta conditionem naturæ suæ. *Aliæ* quidem sine concursu hominis, ut animalia ad generandum, miles ad pugnandum, arbores ad fructificandum, etc. *Aliæ* cum concursu hominis, ut ager, mediante labore et seminatione; equus, mediante equite, et similia. *Aliæ* tandem nullo modo *ex se*

[1] Inter res usuales, *aliæ* consumuntur *primo* usu, ut panis, vinum, etc., et ideo res ipsa separari non potest ab ipso usu. *Aliæ* præbent usus *successivos* et determinatos pro certo tempore, ut animalia, homines, vestimenta, etc., usque ad consummationem rei. *Aliæ* tandem præbent usus *successivos et perennes*, quia res usu non consumitur, ut sunt agri, vineæ, prata ad plantas producendas; maria, flumina, etc., ad piscationem; porro pecunia cum sit, fatentibus omnibus, individuum *valoris*, inter res ultimi generis est necessario computanda.

concurrunt cum homine, sed prorsus *passive* se habent et industriæ hominis submittuntur, vel concurrunt tantum per suam formam, ut sunt instrumenta, utensilia, libri, pecunia et alia id genus.

*Unde*, sicut instrumentum non fructificat sine opificis industria, sic nec opificis industria quidquam potest absque instrumento; pariter, sicut industria negotiatoris nihil prodest sine pecunia, ita pecunia non fructificat absque negotiatoris industria: ergo quemadmodum locatio instrumentorum est pretio æstimabilis, ita locatio pecuniæ.

*Confirmatur* 1. Plerumque tenetur homo *simplici* ac *nudo* mutuo alteri succurrere; hæc autem obligatio non oritur ex justitia, ut patet, sed ex præcepto charitatis, ut supra dictum est: mutuum igitur simplex ac nudum est eleemosyna, seu opus misericordiæ. Unde sic argumentatur: qui *nudo* ac *simplici* mutuo alteri succurrit, eleemosynam erogat; eleemosyna autem consistit in eo quod quis dat de suis bonis ei qui indiget; atqui bonum illud est pretio æstimabile, objectum enim eleemosynæ est aliquid appretiabile, secus non esset auxilium præstitum et acceptum; *subsumo:* atqui bonum quod datur, est usus pecuniæ, et non pecunia, cum ipsa integra restitui debeat. Ergo usus pecuniæ seu *applicabilitas* pecuniæ est objectum eleemosynæ, et consequenter pretio æstimabilis et mutuatori proprius, qui talem usum non tenetur gratis concedere non indigentibus.

2. Lucrum cessans est titulus legitimus ad lucrum percipiendum: ergo usus pecuniæ est pretio æstimabile et titulus legitimus.

*Prob. conseq.* Lucrum cessans adest, cum mutuans non acquirit aliquod lucrum temporale, quod certo aut probabiliter acquisiturus erat, si mutuum non dedisset: ergo lucrum cessans est effectus privationis pecuniæ; sed si privatio pecuniæ est causa lucri cessantis, usus pecuniæ

est causa lucri advenientis : ergo usus pecuniæ est pretio æstimabilis; et cum lucrum cessans sit titulus legitimus, consequenter usus vel *applicabilitas* pecuniæ est pariter titulus legitimus.

3. Contractus societatis qui consistit in eo quod unus conferat pecuniam, et alter suam industriam ut lucrum inter se dividatur, est licitus ; atqui licitus esse non potest ex parte pecuniæ collatoris, nisi posita pecuniæ fecunditate : ergo, etc.

*Prob. min.* Totum lucrum pertinet ad eum qui ipsum producit, sicut effectus pertinet ad suam causam ; atqui si pecunia est *de se* sterilis, totum lucrum ex contractu societatis receptum pertinet ad collatorem industriæ : ergo, posito quod pecunia sit *de se* sterilis, injustus est contractus ex parte collatoris pecuniæ, quia metit quod non seminavit.

Dices : Conferens pecuniam recipit lucrum in contractu societatis, non ratione pecuniæ fecunditatis, sed ratione periculi *sortis* cujus dominium retinet : ergo, etc.

Resp. *Neg. ant.* Nam, ex supra dictis [1], mutuans non potest plus exigere, quam postulat gravitas periculi; atqui quantumque sit lucrum ex societate ortum, et quamvis parvum aut fere nullum sit periculum, lucrum dividitur inter socios, non juxta æstimationem periculi, sed juxta æstimationem rei in societate collatæ : ergo, vel pecunia est *de se* fecunda, vel contractus societatis est illicitus ex parte pecuniæ collatoris ; non datur enim alia causa cur possit plus recipere quam postulat gravitas periculi.

4. Præstatio pecuniæ assimilatur triplici contractui societatis commercii, in quo socius assecurat alterius summam tum sortis, tum lucri; atqui *probabiliter* licitus est talis contractus, juxta communem Doctorum sententiam : ergo, a pari, etc.

[1] Conclus. *de Periculo sortis*, sexta conditione.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

*Nota. Triplici* ex fonte deducuntur objectiones : 1° ex jure *naturali ;* 2° ex jure *divino ;* 3° ex jure *canonico*. Unde

I. — *Ex jure naturali.*

Objicies 1. Est contra jus naturale, et specialiter contra justitiam, bis vendere idem, vel vendere quod non est, vel vendere quod non est suum ; atqui alterutrum facit usurarius : ergo, etc.

*Major patet, prob. min.* Etenim 1° *Bis idem vendit ;* nam accipens lucrum pro ipsa re mutuata, v. gr. pro pecunia, vendit idem bis, seu accipit duplex pretium pro eadem re, nempe summam æqualem et auctuarium. 2° *Vendit quod non est ;* nam ille vendit quod non est, qui vendit quod non est ætimabile ; sed mutuator vendit quod non est æstimabile, quod patet in rebus primo usu consumptibilibus, ut vinum, triticum, et similia, quia tunc usus non distinguitur a re mutuata, hoc est, non æstimatur, nec compensatur seorsim a re mutuata, quia est ipsa rei consumptio ; jam vero idem dicendum si agatur de pecunia quæ moraliter consumitur ; nam sive *physice,* sive *moraliter* res primo usu consumatur, usus non distinguitur a re mutuata : ergo accipiens lucrum pro usu rei, vendit quod non est. 3° *Vendit quod non est suum,* quia vendit rem cujus plenum ac absolutum dominium tam utile quam directum, quæ unum et idem tunc efficiunt, transtulit mutuator in mutuatarium : ergo, etc. Ita fere in terminis Billuart.

Resp. *Conc. major. Ad min.* plane pariter *conc.*, si agatur de rebus primo usu *physico* consumptibilibus, ut vinum, frumentum, etc.; quoad pecuniam, *dist.* : si auctuarium reciperetur directe pro pecunia mutuata, ut in prima hypothesi objectionis, *conc.* ; si auctuarium recipitur pro usu pecuniæ quæ nec *physice*, nec *moraliter* con-

sumitur, *nego;* tunc enim idem vendit semel, non bis, vendit quod est, vendit quod est suum: vendit enim quod iure optimo sibi vindicare potest. Etenim mutuator, conferendo pecuniam, confert illam cum omnibus suis commodis: ergo quando iterum recipit, debet illam recuperare cum iisdem commodis, alias non servaretur æqualitas.

Inst. 1. In rebus primo usu consumptibilibus, usus non æstimatur seorsim a re ipsa, quia est ipsa rei consumptio; atqui pecunia numerata primo usu consumitur, et consequenter usus non æstimatur seorsim ab ipsa pecunia: ergo qui reciperet pecuniam mutuatam cum commodis, reciperet duplex pro eodem, reciperet quod non est, et quod non est suum.

Resp. *Neg. min. et paritatem.* Disparitas est in eo quod, in rebus quæ primo usu consumuntur, usus ab ipsa re non distinguitur, quia est ipsa rei consumptio, v. gr. vinum, cum potatur, desinit esse vinum; panis qui manducatur, desinit esse panis, et ideo jam non remanet in potestate nec mutuatoris, nec mutuantis; at idem dici non potest de pecunia, quæ cum impenditur, non desinit esse pecunia, sed transit cum suis usibus successivis in potestatem recipientis, qui potest illam iterum commutare pro mercibus, et per novam illarum commutationem pecuniam suam, quando libuerit, recuperare. Chimerica igitur videtur pecuniæ *moralis* consumptio.

Inst. 2. Pecunia *ex natura sua* sterilis est: ergo qui lucrum ex ea percipit, bis idem vendit, etc.

Resp. 1. *Retorqueo argum.* Pecunia ex natura sua est sterilis: ergo nullius est *valoris*. Etenim res quæ cadunt sub dominium hominis, inserviunt vel ad nutritionem corporis, vel ad alias vitæ commoditates, non datur medium; atqui pecunia non inservit ad nutritionem: ergo vel inservit ad alias commoditates, vel nullius est valoris.

Resp. 2. *Dist. ant.* Pecunia est sterilis, si consideretur quoad species, *conc.;* si quoad valorem, *nego.* Imo, cum

pecunia sit summus omnium vice gerens, et per omnia repræsentetur, usum habet successivum, universalem et perennem, ut dictum est: ergo, etc.

Inst. 3. In mutuo, dominium pecuniæ tam utile quam directum transfertur in mutuatarium: ergo qui lucrum ex mutuo percipit, vendit bis idem, etc.

Resp. *Dist. ant.* Transfertur dominium specierum, seu individui *ontologici, conc.;* dominium *valoris* seu individui valoris, *nego*, ut dictum est supra. Præterea, quod in pecunia individuum ontoligicum pro nihilo reputetur, ita patet, ut communiter dicatur: talis retraxit suam pecuniam a commercio, talis habet tantam pecuniam in negotiatione, licet in primo casu easdem species ac contulerat, non recipiat, et in secundo casu, dominium specierum amiserit.

Inst. 4. Res perit domino suo; atqui pecunia mutuata perit mutuatario: ergo ipse est dominus pecuniæ; *subsumo:* atqui non est dominus pecuniæ nisi in ipsum transferatur dominium: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Res perit domino suo plerumque et nisi aliter conventum sit, *conc.;* secus, *nego*, et distincto antec., *nego conseq.* Etenim res usuales pereunt, *vel* vitio naturæ suæ, *vel* vitio usus, *vel* casu fortuito. *Si primum*, domino perit, nisi aliter conventum sit; sic v. gr. domus corruens ex vetustate, perit domino suo; si equus perit morbo naturali, perit domino. *Si secundum*, res perit usufructuario; sic, si equus pereat propter nimium laborem, perit locatario. *Si tertium*, res perit domino, nisi aliter conventum sit: ergo 1° res non perit semper domino; 2° etsi pereat conductori, non sequitur ipsum rei esse dominum. Præterea, in contractu locationis et commodati, conductor potest assumere in se casus fortuitos, quin vitietur contractus, cur etiam non posset mutuatarius? maxime eo quod pecunia nunquam pereat vitio naturæ, raro casu fortuito, sæpe autem vitio usus, seu ex imprudentia et mala gestione conductoris.

INST. 5. Mutuatarius potest de pecunia ad quemlibet usum disponere, etiam destruendo: ergo plenum illius habet dominium.

RESP. *Nego conseq.* Ratio est, quia cum pecunia sit pretium *eminens*, id est, per illam omnia possint comparari, sicut per omnia obtinetur pecunia, utpote quæ omnia *perfecte* repræsentat, et ipsa per omnia repræsentatur, nihil refert domino ad quem usum disponatur, modo mutuatarius in se sumat omnes casus etiam fortuitos.

OBJICIES 2. Semel admissa pecuniæ fecunditate, amplius non datur locus usuræ: ergo jus naturale, divinum et canonicum contra phantasma insurrexerunt; falsum consequens: ergo et antecedens.

RESP. 1. *Nego conseq.* Nam, posita fecunditate pecuniæ; adhuc ampla remanet materia usuræ. Remanent enim: 1° res omnes primo usu consumptibiles circa quas usura exerceri potest, et revera plerumque exercetur; 2° remanent usuræ tum *immoderatæ*, illæ, scilicet, quæ exercentur erga divites, cum lucrum excedit limites justi; tum *oppressivæ*, illæ nempe quæ exercentur erga pauperes, quibus *nudo* ac *simplici* mutuo tenemur succurrere: ergo, etc.

INST. 6. Admissa fecunditate pecuniæ, admittitur saltem usura *oppressiva;* sed non minus hæc ac *immoderata* prohibetur jure naturali, divino et canonico: ergo, etc.

RESP. *Nego majorem.*

*Prob. maj.* Ubi non est injustitia, ibi non est usura. Sed posita fecunditate pecuniæ, lucrum ex mutuo pauperibus facto perceptum non est injustum: ergo non est usura. RESP. *Nego minorem.*

*Prob. min.* Ex præcepto charitatis tantum, tenemur aliquando indigentibus *simplici* ac *nudo* mutuo succurrere; atqui ex obligatione charitatis non oritur obligatio justitiæ: ergo cum, posita fecunditate pecuniæ, quisquis habeat in promptu jus ex mutuo exigendi lucrum, qui per-

cipit, peccat contra charitatem, sed non contra justitiam : ergo, etc.

Resp. 1. *Nego min.* si verum sit quod aliquando injustitia oriatur ex violatione charitatis, ut quidam dicunt. Ratio ipsorum in casu est, quia mutuum *stricte* sumptum est *essentialiter* gratuitum, ut supra dictum est ; atqui non potest homo essentiam et naturam rerum mutare : ergo qui mutuum dat pauperi, efficere nequit ut illud non sit gratuitum : ergo quidquid tunc ultra sortem accipit, non est suum. Sed

Resp. 2. *Nego conseq.* Nam tunc pecunia est revera infecunda et sterilis. Ratio , quia tunc pecunia destinatur ad emendum res quæ primo usu sunt consumptibiles, et per illas repræsentatur ; sed usus rerum primo usu consumptibilium non æstimatur seorsim ab ipsa re, et est ipsa consumptio, ut supra diximus : ergo nec usus illius pecuniæ quam repræsentant æstimari potest seorsim ab ipsa pecunia, sed est ipsa consumptio : unde qui lucrum percipit ex illa, bis idem vendit, vel vendit quod non est, vel quod non est suum : ergo lucrum illud est injustum.

*Confirmatur.* Nam si usus pecuniæ tunc æstimaretur seorsim a pecunia, mutuatarius ex mutuo ditior necessario evaderet ; atqui non evadit ditior ; nam nec habet apud se commoditates pecuniæ mutuatæ, cum illas consumpserit, v. gr. in vino quod bibit ; nec habet in bonis suis, cum ex illis non perceperit nisi juxta sortem quam reddere debet ; nec habet in secunda permutatione, quæ non fuit facta sicut fit in negotiatione : ergo ditior non evasit : ergo, etc.

### II. — *Ex jure divino.*

Objicies 1. In Veteri Testam. legitur, Exod.[1] : *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, nec usuris opprimes ;* Levit.[2] : *Si attenuatus fuerit frater tuus et infirmus manu,*

[1] Cap. XXII, 25. — [2] Cap. XXV, 35.

*et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, nec accipies usuras ab eo, nec amplius quam dedisti... Pecuniam tuam non dabis ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.* In Deuter. [1]: *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno; fratri autem tuo, absque usura id quod indiget commodabis.* In Ezechiele [2]: *Si genuerit filium latronem effundentem sanguinem... ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet, cum hæc detestanda fecerit.* Unde sic :

Quodcumque auctuarium ex mutuo lege divina prohibetur, 1° si per usuram intelligitur quidquid est supra sortem; 2° si illud auctuarium etiam erga omnes prohibetur; 3° si hæc prohibitio non fuerit revocata ; atqui hæc tria constant : ergo, etc.

*Prob. min. per partes.* 1° Per usuram intelligitur quidquid excedit sortem ; dicitur enim : *Nec accipies... amplius quam dedisti... frugum superabundantiam non exiges,* etc. 2° Erga Judæos etiam divites prohibetur, quia prohibetur erga fratrem Judæum ; atqui ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. 3° Hæc prohibitio non fuit revocata, nam usura assimilatur furto, homicidio, adulterio, quæ legi naturali repugnant ; atqui quæ de lege naturali erant in antiqua lege, non fuerunt abrogata : ergo prohibitio non fuit revocata : ergo, etc.

Resp. *Nego min. argumenti.* Ad singulas probationes

Resp. ad primam. *Dist. Per usuram intelligitur quidquid excedit sortem* in mutuo consumptionis, *conc.;* in mutuo conservationis et negotiationis, *nego.* Porro, agitur hic de mutuo consumptionis erga pauperes et de usuris oppressivis, quod patet ex textu Exodi: *Nec usuris opprimes*, vel: *Non suffocabis*, ut explicat S. Ambrosius, nisi velis quod quantulacumque usura *opprimit* et *suffocat* etiam divites, quod vix admitti potest.

Resp. ad secundam. *Usura prohibetur erga omnes, nego;*

[1] Cap. xxiii, 19. — [2] Cap. xviii, 10.

prohibetur enim solum mutuum consumptionis erga pauperes, quod patet ex textibus allatis : *Si pecuniam mutuum dederis populo meo pauperi*, etc.. *Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu*, id est, laborare non valens, nec accipias usuram ab eo.... ut vivere possit frater tuus apud te. Hic evidenter Deus alloquitur Judæum divitem de fratre suo paupere, attenuato, infirmo, quem usura non sineret vivere : ergo, etc.

Resp. ad tertiam. *Hæc prohibitio non fuit revocata*, in sensu nostro, et ut est dispositio legis naturalis, *conc.;* si autem in prohibitione usuræ aliquid fuerit legaliter institutum pro Judæis, *nego;* hoc enim per legem Evangelicam abrogatum esse censeri debet. Hic est sensus legis Mosaicæ; omnes autem alii textus Veteris Testamenti ad hunc sensum revocari debent.

Inst. Atqui nomine *fratris*, intelligitur omnis Judæus, nam dicitur : *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno;* porro nomine *alieno* intelligitur omnis non Judæus : ergo per nomen *fratris* intelligitur omnis Judæus.

Resp. *Neg. min. et conseq.* Quia hic non est ratiocinandum *ab oppositis;* secus, concludendum esset Deum dedisse facultatem fœnerandi usuram alieno, id est, gentili pauperi, attenuato, infirmo manu, ut non possit vivere; hæc enim sequuntur ex regula oppositorum; atqui Deus id non potuit permittere, quia redolet crudelitatem. Præceptum enim charitatis est universale, et ex illo singuli tenemur, etiam Judæi, succurrere proximo, etiam Samaritano in gravi vel in extrema necessitate constituto; bina igitur pars propositionis est seorsim interpretanda sic : *Non fœnerabis fratri tuo pauperi*, nec consequenter alieno *pauperi*, sed *fœnerabis alieno*, utique diviti.

Objicies 2. Ex Nov. Testament., unicus, sed celebris est textus S. Lucæ dicens [1] : *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Unde sic : Christus præcipit ne lucrum ex mutuo

[1] Cap. VI, 35.

percipiatur ab ullo indiscriminatim; atqui per mutuum Christus intelligit verum mutuum pecuniæ: ergo prohibet omnem usuram vel auctuarium supra sortem.

*Nota.* Hic textus triplicem patitur sensum: 1° *mutuum date, nihil,* etiam sortem, *inde sperantes,* et sic non est mutuum, sed eleemosyna, sub specie mutui; 2° *mutuum date, nihil,* neque lucri tanquam debiti, *inde sperantes;* 3° *mutuum date, nihil,* nequidem par beneficium, *inde sperantes.* His notatis,

Resp. *Nego min.* Siquidem Christus agit de charitate, de misericordia, de beneficentia sine spe humanæ retributionis. Hoc patet 1° *ex toto contextu,* ut attente patet legenti; 2° *ex sequelis* contrariæ interpretationis. Nam si Christus loqueretur de usura, hæc verba: *nam peccatores peccatoribus fœnerantur ut recipiant æqualia,* hunc sensum præberent absurdum, nempe quod peccatores mutuum dant ad usuram, ut ipsi recipiant æqualia, id est mutuum ad usuram. *Item,* quia in phrasi: *benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes,* hæc propositio incidens: *nihil inde sperantes,* afficit et modificat utramque principalem propositionem phrasis; unde si hæc verba: *nihil inde sperantes,* sunt prohibitiva, sensus erit: *Benefacite, nihil inde sperantes;* atqui Deus non prohibet ne benefactor speret beneficium ab eo cui benefecit; sed tantum in consilio ponit, fatentibus omnibus, ut simus misericordes sicut Pater noster misericors est, *quia ipse benignus est super ingratos et malos:* ergo, etc.

3° Patet *ex Doctoribus;* nam fere nullus Doctorum illo textu condemnavit usuram; unde Sotus[1] dicit de Div. Thom.: *Quamobrem non modo non usus est illo loco*[2] *ad asserendam conclusionem, verum ex illo quartum argumentum contra eumdem objecit. Agnovit enim non esse prohibitionem usuræ, sed consilium mutuandi, sine spe humanæ compensationis.* Sed nec Benedict. XIV, in Bulla *Vix per-*

[1] *De Justitia et jure,* lib. VI, art. 1. — [2] S. Luc., loc. cit.

*venit*, illum in medium adduxit, quod non prætermisisset, si illam haberet energiam quæ vulgo supponitur : ergo, etc.

III. — *Ex jure canonico et traditione.*

Objicies. Innumeri propemodum exstant textus quibus Summi Pontifices, Concilia, SS. Patres et Theologi damnarunt usuram ; atqui Summi Pontifices, Concilia et SS. Patres generaliter loquuntur : ergo omnis usura seu lucrum ex mutuo est reprobatum.

Et hæc conclusio videtur de fide, decisa in Concilio Viennensi, his verbis : *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.*

Resp. 1. Si res ita esset, sententia quam hic propugnamus esset hæretica ; atqui tamen adhuc sub judice res est : ergo, etc. Unde

Resp. 2. *Dist.* Summi Pontifices, Concilia, etc., damnarunt usuram oppressivam et immoderatam, *conc.* ; usuram, seu lucrum moderatum ex mutuo conservationis et commercii, *nego*. Hoc patet ex infra positis S. Pœnitentiariæ et S. Officii C.C. a Summo Pontifice approbatis. Unde Summi Pontifices et Concilia solos intenderunt reprobare contractus usurarios de jure naturali et divino vetitos, additis tamen aliquando majoribus pœnis [1].

[1] Concil. Nicæn. I, anno 325, prohibet *centesimos*, id est, duodecim pro centum Clericis : Concil. Lateran. II, anno 1139, sub Innocentio II, *insatiabilem* fœneratorum *rapacitatem*, divinis et humanis legibus abdicatam, damnat. Concil. Later. IV, sub Innocentio III, anno 1215, reprobat perfidiam Judæorum, qui publice a Christianis immaniter *graves* et *immoderatas usuras exturquebant*. In Concil. Lugd. II, anno 1279, sub Gregorio X, duplex canon 26 et 27 fuit constitutus contra publicos hujus temporis usurarios. In Concil. Constan. quæstio de usuris fuit agitata, sed exclamante Gerson : *Deus æquissimus, quis nesciat et simoniam et usuras nobis exturpandas esse ? Sed primitus declarandum sub quibus casibus, et qualibus intentionibus proprie dicta simonia vel usura committatur, ne damnetur justus cum iniquo... ne similiter detur usuræ titulus justis et necessariis contractibus ;* quibus auditis, Patres a decreto condendo abstinuerunt. Concilia Florent. et Trident. quæstionem non tractarunt, licet tempore Trident. Calvinus doceret usuram moderatam esse licitam, exceptis pauperibus. *Hinc* Ca-

Inst. 1. Benedict. XIV, in Encyclica *Vix pervenit*, declarat illicitam et justitiæ commutativæ oppositam, usuram sive lucrum ex *mutuo vi mutui* perceptum, sive sit nimium, sive moderatum, sive mutuatarius sit dives, sive pauper, sive in coemendis prædiis et quæstuosis agitandis negotiis impendenda, sive relinquenda sit otiosa pecunia mutuata; atqui hæc declaratio est decretoria : ergo, etc.

Resp. 1. *Nego conseq.* Nam si S. Pontifex quidquam de re definivisset in sensu adversariorum, causa finita esset, et Ecclesia non posset in hac quæstione se gerere tanquam circa rem dubiam, postea forte definiendam; atqui tamen quæstio sub judice adhuc est : ergo, etc. Unde

Resp. 2. *Dist. min.* Hæc declaratio decretoria est, quatenus Pontifex id unum docet, scilicet injustum esse lucrum *ex mutuo vi*, seu *ratione mutui* perceptum, *conc.;* secus, *nego.* Etenim, cum mutuum ex natura sua sit *gratuitum*, ut dictum est, Pontifex id unum affirmat, eum, scilicet, qui gratuito concessit usum rei fungibilis vel pecuniæ, amplius non posse absque injustitia auctuarium percipere; at 1° non prohibet illud auctuarium percipere ex titulo, v. gr. locationis, commodati, etc.; 2° nec condemnat censum ex parte emptoris redimibilem, nec contractum duplicem; jam vero mutuum commercii, de quo specialiter agitur, his contractibus æquivalet, ut probatum est: ergo, etc.

Inst. 2. Summus Pontifex declarat falso sibi quemquam persuadere [1] *semper ac præsto ubique esse una cum mutuo titulos alios legitimos;* atqui, posita fecunditate pecuniæ, semper ac præsto ubique est una cum mutuo titulus legitimus : ergo, etc.

Jetanus et Soto apud P. Zech., *de Usuris*, § 117 : *Quis vero ab hoc crimine liber, non ex sacra Scriptura, sed ex nuda philosophia eliciendum esse : ad similes autem definitiones tanquam de fide definiendas, Papam et Concilium non curare falcem mittere.* Ex SS. Patribus, vid. S. Ambr., lib. *de Tob.*, cap. XVIII, Tertull., Basil., etc.

[1] § v.

Resp. *Nego min.* Nunquam enim adest in mutuo rerum fungibilium quæ primo usu consumuntur, nec semper adest in mutuo pecuniæ : *Neminem enim*, inquit Pontifex, *id saltem latere potest, quod multis in casibus teneatur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere :* ergo, licet pecunia sit frugifera, falso sibi quisquam persuaderet semper ac præsto ubique esse una cum mutuo titulum legitimum.

*Imo*, ex eadem Bulla clare concludi videtur pecuniam esse fecundam ; nam, in *quarto loco*, postquam Pontifex animadvertit naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et sejunctam esse, et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur, subjungit : *Revera discrimen apertissimum intercedit* fructum *inter qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri ; ac* fructum *qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur.* At vero auctuarium quod in mutuo percipitur ex variis quos adversarii admittunt titulis, non est *fructus* pecuniæ vel ex pecunia desumptus, sed compensatio vel lucri cessantis, vel damni emergentis : ergo, si *fructus* jure licito ex pecunia desumi potest, non est ob aliam causam, nisi quia pecunia est frugifera.

An hæc sententia sit satis probabilis, sufficientibusque rationibus roborata, sicut nobis esse videtur, judicent peritiores. Nos autem ad regulas in praxi sequendas devenimus ; unde

## PUNCTUM IV.

### De regulis in praxi circa mutuum et usuram sequendis.

*Nota.* Vix in universa Morali Theologia datur quæstio magis jactata, hinc et inde magis propugnata, quam ea quæ de lucro ex mutuo percipiendo tractat ; hæc enim inter Theologos eo magis sevit controversia, quo majoris est momenti, et hactenus supremum judicium finem dis-

putationibus imponens desideratur ; hinc est quod inter contrarias partes decertantes, tum Episcopi, tum Confessarii ad S. Sedem recurrerunt, huic varia dubia proponentes, et responsa obtinuerunt, ut infra referuntur, quibus, licet penitus hujusmodi quæstio non dirimatur, fidelium tamen conscientias, juxta rectos justitiæ tramites, dirigere debent, tutam ac certam Confessariis agendi normam præbendo.

*Porro,* ex variis his responsis sequentia resolvuntur :

1° Nullo modo est inquietandus Confessarius qui, licet Bened. XIV et aliorum SS. Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præterquam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum, *modo duæ sint conditiones infra relatæ.*

2° Nullo modo est inquietandus Confessarius, qui dimittit bonæ fidei pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis, aut periculi sortis titulo, *dummodo sint duæ conditiones requisitæ.*

3° Durius et severius ageret Confessarius, qui denegaret absolutionem fidelibus qui in prærequisitis dispositionibus versantur; imo, qui restitutionem lucri legalis ex mutuo percepti præscriberet, vel exigeret ut qui contractus mutui cum stipulatione lucri jam inierunt, eos irritent, vel ne contrahantur efficaciter impediret : ipse ad damnum indebitum pœnitenti resarciendum teneretur, quia hujus damni causa est injusta et efficax.

4° Nec etiam obligari debent ad restitutionem illi pœnitentes, qui lucrum acceperunt juxta legem cum mala fide, id est, putantes se tale lucrum percipere non posse. Nam, etsi peccaverint agendo contra conscientiam, non tamen fuerunt injusti lucrum istud percipiendo.

5° Pariter non sunt inquietandi Canonici beneficiati,

Ecclesiæ, monasteria, pia loca, pupilli aliæque personæ, quæ opus habentes fructibus ex pecunia provenientibus, ut honeste sustentari possint, capitalia, suas dotes constituentia, tribuunt personis ad solvendum idoneis, hypothecas præbentibus, et nihilominus *interesse* legale exigunt.

Dixi *modo sint conditiones requisitæ*, nam ex variis SS. Congregationum responsis, *duplex* requiritur conditio ut quis licite lucrum accipiat a lege taxatum: *prima*, bona fides, quæ est certa conscientia de licitate actionis; *secunda*, dispositio vera et interna judicio S. Sedis se submittendi, cum hac de re definitivam emiserit decisionem.

Notandum est autem quod pœnitentes non sunt necessario interrogandi a Confessario de tali dispositione, tum quia hoc non exigitur in præfatis responsis; tum quia hæc dispositio sat præsumitur in omni Catholico vere pœnitente, et alias rite disposito. Et cum sit probabile talem restitutionem nunquam fore præscribendam, prudens est pœnitentes qui sunt in bona fide, de hoc non interrogare, si prævideatur eos admonitos non futuros esse paratos parere mandatis S. Sedis; tunc enim monitio ad nihil prodesset, sed multum obesset.

6° Non est injustum lucrum quod percipitur ex pecunia mutuata etiam aliquando pauperi, si gravem necessitatem non patitur, et probabiliter sperat se ex mutuata pecunia adeo magnum proventum percepturum, ut sortem cum moderato lucro facile restituere possit, quia tunc præceptum de vero mutuo gratuito non urget, et pecuniam suam commoditatem et pretium retinet, id est, non est mutuum *consumptionis*, sed *conservationis* et *augmenti*.

7° Unde patet quod, si tunc nihil lucri debeat percipi ex pecunia pauperi ad sustentationem mutuata, hoc non accidit quia in pecunia nullus agnoscatur usus pretio æstimabilis, sed quia mutuator, vi præcepti charitatis impulsus, vult pecuniam suam applicare ad sustentationem

pauperis, quæ sustentatio nihil lucri mutuatori producit, sed tantum urgentem ipsius necessitatem sublevat, per mutuum consumptionis, in quo res et usus non distinguntur; unde prædictus mutuatarius non posset hanc pecuniam impendere in contractibus *conservationis* et *commercii*, unde lucrum reportaret; alias esset injustus, non minus ac dives qui, sub pallio paupertatis, pingues extorqueret eleemosynas.

8° Cum taxa legalis sit justa æstimatio valoris usus seu commoditatis pecuniæ, lucrum taxam legalem excedens est, *generaliter loquendo*, illicitum et injustum. Nam lucrum non est mensurandum juxta proventus quos mutuatarius facit ex pecunia mutuata, sed ex utilitate pecuniæ. Reliqui proventus ad industriam opificis pertinent.

Dixi *generaliter loquendo*, quia si ex mutuo sequatur damnum extraordinarium, tunc potest mutuator sibi compensare, lucrum damno proportionatum exigendo, modo prius de hoc moneatur mutuatarius, ut communius et probabilius tenent Doctores.

9° Quando quis ex præcepto charitatis tenetur nudo ac simplici mutuo alteri succurrere, nihil prorsus exigere potest, non obstante lege civili, quia lex civilis legem naturalem et divinam abrogare nequit.

# DECISIONES VARIÆ SANCTÆ SEDIS,

## CIRCA USURAM.

### POSTULATUM

***D.* Gousset,** *Theologiæ professoris in seminario Bisuntino.*

1° An Confessarius possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, *docet* ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium quam legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum?

2° An peccet Confessarius qui dimittit in bona fide pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo?

### RESPONSUM S. PŒNITENTIARIÆ

***Die* 16 *septembris* 1830.**

Sacra Pœnitentiaria, diligenter matureque perpensis propositis dubiis, respondendum censuit:

Ad primum: *Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere, ideoque nihil obstare ejus absolutioni in Sacramento Pœnitentiæ.* Ad secundum: *Provisum in præcedente, dummodo fideles parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis.*

## DECRETA

***S. Congr. S. Officii, die 31 Aug. 1831 a S. P. Gregorio XVI approbata super sequentibus dubiis.***

1° Utrum Confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis?

2° Utrum debeat?

*Resp.* ad utrumque: *Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere; adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Pœnitentiæ.*

3° Eadem S. Congreg. respondit eodem decreto, ad quæsita capituli collegiatæ Locarnensis, in Italia, non inquietandos esse, dummodo parati sint stare mandato S. Sedis, canonicos aliosque beneficiatos qui capitalia suas dotes constituentia tribuunt personis *solvabilibus*, hypothecas sufficientes præbentibus, et nihilominus interesse 4 aut 5 pro 100 exigunt; et eam decisionem extendi posse ad ecclesias, monasteria, pia loca, pupillos et alias personas quæ in similibus constituuntur circumstantiis, nempe opus habent fructibus ex pecunia provenientibus, ut honeste sustentari possint.

---

## CONSULTATIO

***D. Denavit, professoris Theologiæ in seminario majori Lugdunensi.***

Consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere seminariorum Galliæ, ac præsertim eorum quæ a Presbyteris Congregationis Sancti Sulpitii diriguntur, sententia quæ rejicit titulum legis civilis tanquam insufficientem, videtur longe probabilior, securior, et sola in praxi tenenda, donec S. Sedes definierit: quapropter fidelibus, qui a me consilium, utrum possint auctuarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a Theologis communiter admissum, præter titulum legis civilis, respondeo eos non posse præfatum auctuarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem, si exigant. Pariter denego absolutionem iis qui, perceptis hujusmodi usuris, id est, vi solius tituli legis, nolunt restituere.

Quæritur: 1° Utrum durius et severius me habeam erga hujusmodi fideles?

2° Quæ agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec S. Sedes definitivam sententiam emiserit?

## RESPONSUM S. PŒNITENTIARIÆ

*Die* 11 *Novemb.* 1831.

Sacra Pœnitentiaria, perpensis dubiis quæ ab oratore proponuntur, respondet:

Ad primum: *Affirmative, quandoquidem ex dato a S. Pœnitentiaria responso quod fideles hujusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos.*

Ad secundum: *Provisum in primo.*

—

## POSTULATUM

*Episcopi Nicæensis ad S. Officium circa mutuum,*
*9 Septemb.* 1837.

*Motivis expositis, sic quæstionem proponit:*

An pœnitentes qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide percoperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de parato ob dubiam vel malam fidem peccato, sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis.

*Subscriptus Dominicus, Episc. Nicæensis.*

Nicææ, 9 Septemb. 1837.

## RESPONSUM

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis, habita conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam, coram Em. et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem, generalibus Inquisitoribus proposito supradicto dubio, ita ab Em. et RR. DD. dixerunt: *Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.*

ANGELUS ARGENTI,
*S. Rom. et universalis Inquisitionis notarius.*

Die 16 Jan. 1838.

## ALIUD POSTULATUM CIRCA MUTUUM.

Antonius Mouillaud, Ecclesiæ Parochialis B. M. V. Rector, et Vicarius generalis diœcesis Claromontanæ, jam die 11 Januarii 1838, sequens dubium exposuerat; sed responsum, si datum fuerit, non pervenit: quare denuo illud idem dub um humillime prædictus Rector exponit, si non iisdem verbis, certe eadem mente, et animo Sanctæ Sedi devotissimo:

Fideles Religioni Catholicæ addictissimi, qui nec peccandi periculo sese exponere, nec privari vellent lucro quod esset licitum, dictum Rectorem adeunt, interrogantes utrum lucrum quinque pro centum, ut viget in Galliis juxta legem civilem, sit licitum. Rector, putans tantam litem quæ adhuc coram Sancta Sede pendet, a nullo privato etiam docto dirimi posse, et timens ne, consilio juxta rigidiorem sententiam dato, parochiani optimi privarentur lucro quod est forsan licitum, respondet interrogantibus:

1° Quæstionem hanc difficillimam esse sæpius agitatam, nondum fuisse a Sancta Sede definitam.

2° Illos posse interea lucrum quinque pro centum percipere, dummodo ipsi futuris Sanctæ Sedis mandatis parere sint paratissimi.

Humillime postulat orator: 1° utrum sapienter et in tuta conscientia agat; 2° ad quid teneatur si temere egerit.

## RESPONSUM

*Feria IV*, 27 *Novemb.* 1839.

In Congregatione Eminentissimorum et Reverendissimorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium contra hæreticam pravitatem, et generalium Inquisitorum, habita in conventu S.-Mariæ supra Minervam, iidem Eminentissimi DD. Cardinales, audita relatione suprascripti supplicis libelli uno cum Reverendissimorum DD. Consultorum voto, dixerunt: *Oratorem recte se gessisse stando decretis hucusque latis a S. Sede.*

ANGELUS ARGENTI,

*S. Rom. Ecclesiæ et Tribunalis Inquisitionis Notarius.*

NOTA: Præfatæ responsiones S. Sedis circa usuram nullatenus pugnant cum responsis antea ab eadem S. Sede datas, quibus oratores semper ad Bullam *Benedicti XIV* remittebantur: etenim cum S. Sedes sciret adesse inter Theologos maximam controversiam circa ipsam doctrinam in prædicta Bulla contentam, sic agendo simpliciter responsum quodlibet dare recusabat. Ita P. Gury.

# CAPUT II.

## DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

*Nota.* Dicemus : 1° de locatione et conductione ; 2° de emptione et venditione, et de suis appendicibus ; 3° de cambio ; 4° de censibus ; 5° de emphiteusi et feudo ; 6° de contractu societatis et suis appendicibus ; 7° de pignore, hypotheca et transactione.

## ARTICULUS I.

### DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE.

*Nota.* Locatio et conductio sunt unus idemque contractus, qui ex parte dantis *locatio*, ex parte accipientis *conductio* appellatur.

Quæres 1. *Quid sit locatio et conductio ?*

Resp. *Locatio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum vel fructum pro pretio *conceditur*.

*Conductio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum vel fructum pro pretio *comparatur*.

Dicitur 1° *ad usum*, ut eques, servus, etc. ; *ad fructum*, ut ager, etc.

Dicitur 2° *pro pretio*, id est, pro pecunia ; alioquin si fiat pro alia re vel obsequio, non erit locatio, conductio, sed contractus innominatus.

*Nota.* Triplex distinguitur locatio rerum : 1° locatio ædificiorum, vulgo *bail à loyer ;* 2° locatio agrorum, *bail à ferme ;* 3° locatio animalium, *bail à cheptel*, id est, locatio *capitum*.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes locatoris ?*

Resp. Locator tenetur : 1° rem non locare pretio justo pluris, alioquin tenebitur ad restitutionem ; justum au-

tem pretium desumi debet ex praxi in tali loco servata a timoratis.

2° Tenetur aperire conductori vitia rei locandæ occulta et noxia; alioquin tenebitur conductori *in id quod interest, nec ejus ignorantia* culpabilis *erit excusata*[1]. Ratio est, quia locator tenetur rem locandam probare utrum sit vitiata.

3° Tenetur impensas in rei reparationem (v. gr. in restaurationem domus) necessario factas solvere[2]; quod si ex urgentia fiant, conductor id pati tenetur, quin pretium conductionis minuatur, si non ultra 40 dies labor producatur[3]. Idem tenetur ad onera publica ad rem locatam pertinentia, nisi aliter conventum sit[4].

4° Tenetur non locare rem suam ei qui ea male usurus est: v. gr. domum meretricibus, usurariis publicis, quia hoc esset cooperari peccato alieno.

5° Tenetur remittere vel minuere pensionem quando ob casum fortuitum (v. gr. ob hostium incursionem, sterilitatem, etc.) conductor nullum omnino, vel modicum fructum ex re conducta percepit[5]... Excipe 1° *nisi ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari*[6]... Excipe 2° nisi conductor convenerit ab initio cum locatore, ut quovis eventu solvere teneatur integram pensionem, quæ ob hoc onus minor esse debet[7].

6° Rem ante tempus constitutum non potest repetere; excipiuntur tamen *quatuor* casus ab utroque jure[8].

*Primus*, si conductor statuto tempore pensionem non solverit in locato trium aut quatuor annorum; et per biennium, in locato quinque vel decem annorum.

*Secundus*, si casus improvisus accidat, v. gr. incendii, matrimonii, ob quem res locata domino sit necessaria ad suos usus.

[1] Lib. XIX, ff. *Locati.*

[2] Lib. LV, ff. *Locati.* — [3] Cod. civ., art. 1719 et seqq. — [4] Lib. I, cod. *de Annonis et tributis.* — [5] Lib. XXVII, ff. *Locati.* — [6] Cap. 3 *de Locato.*

[7] Lib. IX, ff. *Locati.* — [8] Cap. 3 *de Locato*, et lib. III, cod. *Locati.*

*Tertius*, si conductor re locata abutatur, vel ipsam destruat (v. gr. si intra cubicula sues alat, arbores incidat, etc.).

*Quartus*, si domus locata egeat refectione, qua non indigebat tempore locationis; sed tunc remitti debet pensio pro rata temporis residui; in *jure* autem *Gallico*, nihil debetur si refectio non perdurat ultra quadraginta dies, ut supra dictum est.

*Hinc*, famulus a servitio heri sui absque rationabili causa ante tempus definitum discedere non potest, et si discedat, nihil ei debetur; imo de damnis ex desertione secutis herum indemnem servare tenetur, nisi in periculo peccandi per malitiam heri sui constituatur.

QUÆRES 3. *Quænam sint obligationes conductoris?*

RESP. Conductor tenetur ex utroque jure civili, 1° rem vel operas artificis non conducere pretio justo minore, alias tenebitur ad restitutionem.

2° Tenetur non uti re locata nisi ad usum concessum; alias usurparet usum rei alienæ, invito domino.

3° Tenetur pensionem statuto tempore solvere; unde, si sit in mora culpabili, tenetur locatori de interesse [1].

4° Tenetur rem vel personam non dimittere ante terminum constitutum; alioqui tenetur solvere integram pensionem, perinde ac si ea usus esset, supposito quod res aut persona dimissa simili salario vel pensione non possit locari [2].

5° Tenetur rem locatam, completo locationis tempore, locatori remittere in bono statu, quia non diutius protrahitur ejus jus.

6° Tenetur ad modicas impensas necessarias ad conservationem rei conductæ, v. gr. ad equi alimenta.

QUÆRES 4. *Ex qua culpa teneatur conductor locatori?*

RESP. Conductor tenetur in foro *externo* de culpa levi, non sua tantum, sed et sublocatorum aut famulorum [3], quia contractus est in commodum utriusque; non autem

[1] Lib. XVII, cod. *de Locato*. — [2] Lib. LIII, et ff. *Locati*. — [3] Lib. XXV, ff. *Locati*.

tenetur de culpa levissima, nec de casu fortuito, nisi de his fuerit pactum, vel præcesserit mora culpabilis reddendi, aut culpa etiam levis. At in foro *interno*, probabilius requiritur gravis culpa theologica.

QUÆRES 5. *Quodnam tempus determinetur pro locatione rerum?*

RESP. 1. *Ex jure canonico* [1], bona Ecclesiæ ad triennium locari possunt cum licentia Episcopi. Ultra triennium requiritur S. Sedis auctoritas.

2° *Ex jure civili*, bona minorum ad triennium locari possunt [2]; quoad alia bona, si agatur de mobilibus, nullum tempus determinatur; quoad immobilia, si sint inculta et sylvestria, locatio fieri potest ad annos centum, non ultra; si in culturam data, non ultra triginta annos, si domos excipias, quæ possunt locari ad vitam, et etiam ad biennium post vitam, in favorem hæredum [3].

QUÆRES 6. *An qui succedit locatori in re locata, possit ante completum terminum conductorem expellere?*

RESP. *negat*. Sive succedat titulo emptionis, sive alio titulo, v. gr. hæreditatis. *In primo casu*, quia qui tempus habet, nihil debet; *in secundo casu*, quia successor iisdem tenetur pactis ac locator: ergo standum est conventionibus initis a locatore.

Excipitur successor titulo *emptionis*: 1° in casu quo locatio absque authentica aut certa scriptura facta fuit, sed tunc locatarius in locatorem recursum habet; 2° cum in authentica locationis aliter conventum fuit. Quo in casu locator tenetur (nisi aliter statutum fuerit) locatarium indemnizare pro natura temporis et rei locatæ, ut determinatur a lege [4].

[1] Innocentius X, Const. *Ambitiosa*, anno 1646.
[2] Cod. civ., art. 481. — [3] Cod. civ., art. 1728 et seqq.
[4] Cod. civ., art. 1745, 1746, 1747, 1748 et 1749.

*Nota.* Plura quæri possunt circa locationem domorum, fundorum rusticorum, operarum atque industriæ, animalium, etc., quæ facilius codice civili, in suis locis, videri possunt.

## ARTICULUS II.

### DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

*Nota* 1. Antiquitus, homines solis permutationibus sibi quæ deerant necessaria procurabant. Sic, qui habebat vinum ultra necessitatem, et indigebat oleo, permutabat vinum pro oleo, et vicissim; sed res commutandæ sæpe valoris erant inæqualis; præterea, cum permutationes non nisi cum magnis difficultatibus fierent, commercium longe lateque se extendere non valebat. Et ideo jure et consensu gentium electa est certa materia quæ res omnes repræsentaret et daretur in pretium pro iis. Hæc materia vocatur *numisma*, seu *nummus*, a voce græca νόμος, id est *lex*, quia lege quantitatem æstimationi consequitur. Item *pecunia*, quia primi nummi pecudis effigie signabantur; tandem *pretium*, quia rerum omnium commutandarum est publica, mensura æstimatio et vicem repræsentans.

*Nota* 2. Ut cum ordine in hac prolixa materia procedamus, dicemus: 1° de essentia venditionis et emptionis; 2° de pretio; 3° de merce, quibus addemus duas appendices: *primam*, de venditione cum pacto retrovenditionis, et retractu gentilitio; *secundam*, de negotiatione et monopolio.

### PUNCTUM I.

#### De essentia venditionis et emptionis.

Quæres 1. *Quid sit emptio et venditio?*

Resp. Emptio *est pactio pretii dandi pro mercede.* Venditio vero est *pactio mercis dandæ pro pretio* [1].

Pretium rerum vendibilium est *pecunia;* unde si daretur merx pro merce, esset permutatio, non venditio.

Merx est omnis res pretio æstimabilis, ut sunt res mo-

[1] Lib. I, ff. *de Contrah. empt. et vendit.*

biles et immobiles, actiones et jura, imo etiam omnia bona futura.

Dices: Ex dictis, invalida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum : ergo et venditio.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod donatio omnium bonorum sit contra bonos mores civiles, cum per ipsam impediatur facultas testandi, quæ non impeditur per venditionem ; venditor enim de pretio rei venditæ testari potest.

Quæres 2. *Quomodo perficiatur contractus venditionis et emptionis ?*

*Nota.* Contractus debet nitide exponere quod intendit, alias, *tout pacte obscur ou ambigu s'interprète contre le vendeur* [1].

Resp. Perficitur solo partium consensu exterius significato, quo se mutuo contrahentes obligant, venditor quidem ad mercem tradendam, emptor vero ad pretium solvendum [2] : unde scriptura nonnisi ad probationem requiritur. Tamen in jure *Romano* et in *Gallico*, si agatur de mobilibus, sine traditione non habet suum ultimum complementum, nec transfertur dominium ex dispositione legum : *Traditionibus* enim *dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, ait Justinianus [3] ; res autem constans numero, pondere, mensura, fictione juris censetur tradita vel empta, et non ante, quum est coram emptore determinata, numerata, ponderata, aut mensurata, et degustata. Ita utrumque jus [4].

Quæres 3. *Ad quem pertineat commodum et fructus rei venditæ ?*

*Nota.* Circa hanc quæstionem fatentur communiter Doctores :

1. Omnes fructus et emolumenta rei venditæ et traditæ, pertinere ad emptorem : 1° quando solvit pretium, vel de

[1] Cod. civ., art. 1602. — [2] Lib. I, ff *de Contrah. empt.* — [3] Lib. XX, cod. *de Pactis*, et Cod. civ., art. 1141. — [4] Cod. civ., art. 1583.

præsenti obtulit; 2° quando cautionem fidejussoriam vel pignoratitiam præstitit; 3° quando emptori ad solvendum concessa est dilatio. Ratio est, quia rei ita venditæ emptor plane est dominus; res autem domino suo fructificat, ublex non obstat.

2. Omnes rei venditæ, sed nondum traditæ, fructus pendentes, sive qui tempore contractus adhuc hærent rei, sive maturi sint, sive immaturi, pertinere ad emptorem, licet nondum solverit pretium. Ratio juris est, quia *fructus pendentes pars fundi videntur* [1]. Ergo uno indivisibili pretio simul cum ipsa re venduntur: ergo pertinent ad emptorem, qui venditori tenetur restituere expensas quas bona fide fecit in custodiendis, colligendis et conservandis iis fructibus: ita lex quæ sic habet [2]: *Post perfectam venditionem, fœtus quidem pecorum emptori, venditori vero sumptus, si quos bona fide fecerit, restitui debere notissimum est.*

Quæstio ergo controversa est: ad quem pertineant rei venditæ fructus, qui primum post contractum peractum nascuntur, casu quo res nondum tradita, vel, si tradita quidem, pretium tamen nondum est solutum, nec oblatum, nec cautio, aut pignus traditum, nec dilatio expresse concessa est; circa quam

## CONCLUSIO.

*Illi etiam fructus pertinent ad emptorem, nisi aliter expresse inter contrahentes fuerit conventum.*

Prob. 1. Ex leg. 13 [3], quæ sine distinctione inter fructus pendentes, vel postea natos, absolute dicit: *Fructus, post perfectum jure contractum, emptoris spectare personam convenit, ad quem et functionum gravamen pertinet;* quæ juris

[1] Lib. XLIV, ff. *de Rei vendit.* Idem habetur lib. XIII, § 10 *de Act. empt.*, leg. final., § *Fructus*, ff. *Qua in fraudem creditoris.* — [2] Lib. XVI, cod. *de Action. empti.* — [3] Cod. *de Action. empti.*

dispositio etiam ante solutum pretium procedit, ut ex immediate sequentibus verbis liquet : *Venditor quoque pretium tantum, ac si mora intercessisse probatur, usuras officio judicis exigere potest ;* ubi, ut patet, jus supponit pretium nondum esse solutum, et tamen emptori fructus adjudicat.

Hæc sententia, quam tenent *cum communi* Lessius, Croix, Salmant., S. Antoninus, S. Ligorius [1], congruit cum jure *Gallico* quod [2] dicit : *La chose doit être délivrée en l'état où elle se trouve au moment de la vente : Depuis ce jour tous les fruits appartiennent à l'acquéreur.* Difficultas igitur est de jure *communi*. Unde

Prob. 2. Ratione efficaci. Æquum esse ut illius sit commodum, cujus est periculum et incommodum. docet ipsum jus, § 3 Inst., *de Peric. et commodo rei venditæ*, ubi postquam dixit : *Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet*, hanc rationem reddit : *Nam et commodum ejus esse debet, cujus periculum est ;* atqui periculum totum etiam ante traditionem rei et pretii, ad emptorem pertinet, ut infra dicetur, et ipsi nobiscum docent adversarii : ergo, etc.

*Nec dicas* periculum quod sustinet emptor, compensari per pretium quod apud se retinet ; nam

Contra est : 1° quia venditor potest illud exigere, vel interesse pro compensatione petere, quod si neutrum facit cedit de suo jure ; 2° quia etiam post interitum rei, emptor debet pretium solvere, ac insuper, ob culpabiliter dilatam solutionem, damnum resarcire venditori, si quod inde passus est.

Objiciunt 1 contrariæ sententiæ Auctores. 1° Res fructificat domino suo ; atqui venditor manet dominus rei venditæ donec tradatur et simul pretium solvatur, vel cautio præstetur ex § 41 Inst., *de Rerum divis.*, ubi dicitur :

[1] Lib. IV, num. 788. — [2] Cod. civ., art. 1614.

*Venditæ vero res et traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit:* ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Res domino fructificat, quando non est obligatus dominium rei ad libitum alterius abdicare, *conc. maj.;* quando est obligatus, uti fit peracta venditione, *nego maj.* Ratio est, quia fictione juris emptor, peracta venditione, jam censetur esse dominus rei ad hoc ut res eidem pereat et fructificet; nam, ex reg. 16 juris: *Is qui actionem habet, rem ipsam habere censetur.* Ex quo sequitur quod cum dominus rei maneat obligatus rem reique dominium emptori, accepto ab eo pretio, tradere, non currat hoc juris axioma: *Res domino suo perit ac fructificat.*

Objiciunt 2. Leg. 25, ff. *de Action. empti,* vi cujus venditor emptorem, propter non solutum pretium, prohibere potest ne uvas ex eidem vendita vinea, colligat: ergo fructus non pertinent ad emptorem ante solutum pretium.

Resp. *Nego conseq.* Ex prædicta enim lege sequitur tantum quod venditor possit non tantum actionem contra emptorem intentare, ut pretium una cum usura ejusdem restituat, sed etiam litteras prohibitoriales impetrare, ne emptor fructus colligat, donec pretium solverit.

Objiciunt 3. Leg. 13, ff. *de Action. empti* [1], in qua statuitur *usuras,* id est, interesse, *pretii post diem traditionis* deberi ab emptore, *quia,* inquit, *cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere:* ergo emptor ante solutionem pretii debet fructus restituere: ergo non ad eum pertinent.

Resp. *Nego conseq.* Ex illis enim legibus sequitur tantum quod emptor rei frugiferæ debeat consuetas usuras pretii, v. gr. quinque pro centum restituere, ut, videlicet, dum emptor cum suo commodo ante solutionem percipit fructus rei, etiam venditor aliquo fruatur commodo, *compensatoria* nempe usura consueta pretii, qua compensetur

[1] Et leg. *Curabit,* eodem tit.

lucrum quod fecisset, si pretium eidem ab emptore solutum fuisset.

Porro, venditor nihil ultra illud interesse exigere potest pro quocumque lucro cessante aut damno emergente[1], quia illæ usuræ *compensatoriæ* tenent locum fructuum quos dominus percepturus fuisset, si rem suam non vendidisset credito. Ubi

*Nota.* Onus illud nihil ultra hoc interesse exigendi pro quocumque lucro cessante aut damno emergente, quod quandoque durissimum est, justificat leges Galliæ[2], secundum quas, qui rem frugiferam emit credito, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii *usuras* seu *interesse* solvere a die venditionis contractæ; quæ jurisprudentia congruit rationi, quia, si emptor fructus perciperet, et non solveret interesse, sequeretur inæqualitas inter contrahentes, dum venditor re sua careret, ejusque fructibus et pretio; emptor vero hæc omnia servaret sub prætextu quod subeat periculum rei, quod periculum, moraliter loquendo, nullum est; et, si quod sit, nonne emptor illud eodem subiret modo, si pretium solvisset?

Dixi *nisi expresse aliter inter contrahentes conventum sit*, quia, ex regula 85 juris, in 6°, *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Ex quo

Inferes 1. Venditor contrahendo potest, per specialem conventionem, tantum sibi reservare de fructibus rei venditæ, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet damni emergentis, vel lucri cessantis; de hujus veritate non exstare dubium ait Lugo[3]; tunc enim non exigitur fructus ratione dilatæ solutionis, sed ratione venditionis hoc pacto initæ. Ita etiam Bon., Filliucius, Sanch., Rebell., et alii cum S. Ligor.[4], contra Concin. et alios quosdam.

Inferes 2. Potest venditor non tantum fructus, sed et ipsum rei venditæ, etiam jam traditæ, dominium per spe

[1] Leg. ult., ff. *de Peric. et commodo rei venditæ.* — [2] Cod. civ., art. 1652.
[3] Disput. 25, num. 140. — [4] Lib. IV, num. 798.

cialem conventionem reservare loco hypothecæ, donec emptor solvat, dummodo simul etiam periculum ejusdem rei in se assumat, quia *cujus est commodum, ejus debet esse etiam periculum* [1].

QUÆRES 4. *Ad quem pertineat periculum, id est, interitus vel deterioratio rei venditæ?*

*Nota* 1. Quæstio procedit de re a venditore emptori nondum tradita; certum est enim apud omnes, periculum rei venditæ et traditæ pertinere ad emptorem. Ratio est, quia emptor per traditionem evadit dominus rei emptæ [2]: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur;* atqui *res perit domino,* in casu quo non est obligatus dominium ad libitum alterius abdicare.

*Nota* 2. Res in pondere, numero et mensura consistens, potest vendi *ad corpus*, vel *ad mensuram.*

Venditur *ad corpus,* quando plura individua per modum unius, absque expressione ponderis, numeri et mensuræ, emuntur, v. gr. quando venditur acervus tritici, grex animalium, dolium vini, etc.

Venditur *ad mensuram,* quando plura individua non venduntur per modum unius, sed per modum plurium, v. gr. qui emit totam multitudinem animalium, et pro quovis dat decem nummos; *item*, qui emit totum dolium vini et pro quavis mensura dat decem francos; *item*, qui ex hoc acervo tritici emit quinque modios, et pro singulis eorum dat quindecim francos [3]. Hoc diligenter notato,

RESP. 1. Cum venditur res determinata *in specie* seu *individuo*, v. gr. hæc domus, hic equus, etc., totum periculum, etiam ante traditionem, pertinet ad emptorem, exceptis quibusdam casibus.

PROB. Ex lib. III [4], ubi dicitur: *Cum venditio emptio contracta sit* (quod effici diximus simul atque de pretio con-

[1] § 3 Instit., *de Pericul. et commodo rei venditæ.* — [2] Lib. XX, cod. *de Pactis.* [3] Cod. civ., art. 1585 et seqq. — [4] Tit. 24, § 3 Instit., *de Peric. et commodo rei venditæ.*

venerit), *periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit*. Sic etiam Codex civ. [1]. Ratio est, quia *qui sentit commodum, sentire debet et onus;* atqui commoda et fructus rei venditæ non traditæ pertinent ad emptorem : ergo, etc.

Dixi *exceptis quibusdam casibus*, qui sunt quatuor in jure.

*Primus*, quando contrahentes specialiter conveniunt ut, donec res empta tradatur, periculum penes venditorem remaneat [2]. Ratio est, quia *contractus ex conventione legem accipere dignoscitur* [3].

*Secundus*, quando res vendita ante traditionem perit ex dolo vel culpa venditoris [4]. Ratio est, quia venditor debet esse custos rei donec tradatur, et consequenter in ea custodienda, præstare debet diligentiam quam in rebus suis adhiberet [5].

*Tertius*, quando venditor est in mora tradendi [6]. Ratio est, quia *mora sua cuilibet est nociva;* quod si tam emptor quam venditor fuerit in mora, tunc periculum rei pertinet ad emptorem pro ratione moræ, juxta dispositionem legis citatæ : *Si interpellavero venditorem, et non dederit id quod emeram, deinde, posteriore offerente illo, ego non acceperim, sane hoc casu mihi nocere deberet.*

*Quartus*, quando emptio venditio conditionata est, si res pereat aut deterior fiat, perit venditori [7]. Ratio est, quia contractus nondum est perfectus.

Resp. 2. Cum res aliqua in numero, pondere aut mensura consistens, emitur *ad corpus*, totum periculum est penes emptorem ; cum vero emitur ad mensuram, totum periculum pertinet ad venditorem.

Prob. prima pars. Ex leg. 2 [8], ubi dicitur : *Cum universum*

[1] Art. 1614. — [2] Lib. x, ff. *de Peric. et commodo rei venditæ*. — [3] Reg. 85 jur., in 6. — [4] Lib. III, ff. *de Peric. et comm. rei venditæ*. — [5] S. Ligor., lib. IV, num. 828. — [6] Lib. XVII, ff. eodem, et Cod. civ., art. 1604 et seqq.

[7] Lib. XVIII, tit. eodem. — [8] Cod. *de Peric.*, etc.

*quod in horreis erat positum, veniisse sine mensura, et claves emptoribus traditas alleges, post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet.* Ratio est, quia emptio *ad corpus* æquiparatur emptioni rei determinatæ *in individuo.*

PROB. SECUNDA PARS. Ex leg. 36 [1], ubi etiam ratio additur, nempe quod quando res emitur *ad mensuram*, censeatur semper tacita hac conditione empta: *Si res sit ponderata, numerata, aut mensurata coram emptore;* et ideo contractus non est perfectus; tamen

*Nota* 1. Quod si per contractum constitutus sit aliquis terminus, inter quem terminum res empta ponderata vel numeranda esset, et per emptorem steterit quominus numeratio, ponderatio et mensuratio fieret, ipse periculum subire debet; sicut, etiamsi nullo constituto termino, venditor præsentibus testibus emptorem moneat ut intra certum tempus ad mensurandum vel ponderandum rem emptam, compareat; ita disponitur lege 6 [2].

*Nota* 2. Impensæ rei traditionis, partim venditori, nempe quæ vocantur *remissionis*, (gallice *de délivrance*); partim emptori, quæ scilicet vocantur *asportationis*, (de l'*enlèvement*), incumbere, nisi aliter conventum sit.

## PUNCTUM II.

### De pretio rei venalis.

QUÆRES 1. *In quo sita sit venditionis et emptionis justitia?*

RESP. In eo quod inter mercem et pretium servetur æqualitas.

QUÆRES 2. *Quodnam sit justum pretium rerum venalium?*

RESP. Est illud quod exæquat valorem rei venalis, non

[1] § *In his*, ff. *de Contrah. emptione.* — [2] ff. *de Periculo et comm. rei venditæ.*

quidem valorem in genere entis, alias musca pluris valeret quam gemma; sed in genere moris, scilicet in ordine ad usum et utilitatem quam omnibus adferunt.

QUÆRES 3. *Quotuplex sit pretium rerum venalium?*

RESP. Duplex, *legale* seu legitimum, et *vulgare* seu naturale.

*Legale* est illud quod lege Principis vel magistratus decreto taxatum est.

*Vulgare* est illud quod communi hominum intelligentium æstimatione constituitur[1], spectatis omnibus circumstantiis, nimirum copia, vel inopia, venditorum impensis, labore, damnis in comparandis et conservandis mercibus, etc.

QUÆRES 4. *In quo differant pretium legale et vulgare?*

RESP. Differunt in hoc, quod pretium *legale* consistat in indivisibili mathematico, ita ut qui vendit supra taxam, et qui emit infra, *nisi sint circumstantiæ id honestantes*, graviter peccent, et ad restitutionem excessus teneantur, etiamsi lex aliam imponat pœnam, ut docent omnes cum Div. Thom.[2]. Ratio est, quia non servant æqualitatem a lege præfixam. Pretium vero *vulgare* habet quamdam latitudinem, intra quam licet pluris vendere et minoris emere.

*Ratio* hujus differentiæ est, quia pretium legale constituitur ab uno vel pluribus in idem consentientibus; vulgare vero pendet a multis non idem omnino judicantibus; quod enim aliqui æstimant 19, hoc alii 20, alii 21 æstimant; quare

*Triplex* est pretium vulgare, *summum* nempe, *medium* et *infimum*.

*Summum*, seu rigorosum, est illud quod vendens non potest excedere absque injustitia.

*Medium*, seu moderatum, est illud quod vendens potest

[1] Leg. *Pretia*, ff. *Ad legem Falcidiam*. — [2] 2 2, quæst. 57, art. 2, *in corp.*

augere usque ad rigorosum, et minuere usque ad infimum.

*Infimum*, seu pium, est quod emens minuere non potest absque injustitia.

Dixi *nisi sint circumstantiæ hone tantes*, nempe: 1° si a majori parte communitatis non servetur, Principe sciente et tacente; 2° si propter circumstantias taxa evaserit injusta; 3° si res solito pretiosiores vel deteriores sint; 4° si venditor ex venditione patiatur damnum emergens, vel lucrum cessans, modo moneatur emptor.

Quæres 5. *Quomodo possit definiri latitudo justi pretii?*

Resp. Definiri per hanc regulam quam tradit Lessius [1], nempe ut latitudo sit minor, si res sit minus pretiosa, et major si res sit pretiosior; v. gr. si pretium medium sit 20, infimum erit 19, summum erit 21; item si pretium medium sit 100, infimum erit 95, summum 105. In primo exemplo, latitudo est trium aureorum; in secundo est decem.

Inferes 1. Ex hac pretii naturalis latitudine provenit quod unus absque peccato emat 10 aureis numerata pecunia, et statim vendat 12, pecunia credita, quia emit infimo, et supremo vendit; tamen cavendum est ne carius vendens excedat latitudinem justi pretii.

Inferes 2. Si quis, etiam *seclusa fraude et dolo*, carius vendiderit quam ferat summum pretium, aut vilius emerit quam ferat infimum juxta prudentem hominum æstimationem, peccat, et ad restitutionem tenetur; licet in foro externo non detur actio nisi cum est injustitia aut læsio ultra medietatem justi pretii, quod ideo statutum est a jure [2], ut occurreretur innumeris litibus quæ quotidie emergerent, si ex quavis inæqualitate daretur actio.

Dixi *seclusa fraude et dolo*, quia qui fraude vel mendacio inducit alium ad emendum majori pretio quam alias emisset, quamvis non ultra summum pretium, nihilomi-

[1] Lib. II, cap. 21, dub. 2. — [2] Lib. II, cod. *de Rescind. vend.*

nus ad restitutionem tenetur; violat enim jus quod emptor habet, ne fraude et dolo adducatur ad rem rigoroso pretio emendam : ergo est causa injusta cur emptori lucrum cesset : ergo, etc.

*Nota.* Licet quis vendere aut emere possit juxta supremum aut infimum pretium, *illæsa justitia*, posset tamen peccare contra charitatem, qui pauperi indigenti venderet supremo, vel a paupere propter inopiam vendente emeret infimo.

Infertes 3. Si constet aliquem mendaciis atque perjuriis emptores induxisse ad emendum carius quam alibi emissent, licet summum pretium non excedant, eum peccare contra justitiam fatendum est. Ratio, quia fraus est causa efficax damni quod emptor patitur; quilibet enim strictum jus habet ne dolo et fraude inducatur ad carius emendum.

Dixi *si constet,* quia *communiter* fides non præstatur venditorum mendaciis et perjuriis, sed hæc habentur ut quædam stratagemata ad emptores facilius alliciendos; unde non peccant tunc nisi venialiter ratione mendacii; sicut qui, interrogati de pretio mercium, illud exagerant, ut saltem justum obtinere possint, juxta adagium: *Iniquum petas, ut justum feras.* Ita S. Ligor. cum *communi.*

Quærres 6. *An liceat ei qui pretio infimo mercem vendidit, reducere pretium ad medium vel summum, occulte aliquid de re substrahendo?*

Resp. *negat.* Quia non licet agere contra conventionem et contra jus alterius ex ea acquisitum; atqui in casu præsenti venditor ageret contra conventionem et contra jus ex conventione perfecta ab emptore acquisitum: ergo, etc. Unde tenetur ad restitutionem.

Dices : Leg. 15[1] expresse dicitur, *in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire,* id est, mutuo se decipere : ergo, etc.

[1] *D. de Minoribus,* § 4.

Resp. *Dist. legem.* Licitum est se circumvenire ultra latitudinem justi pretii, *nego;* intra latitudinem justi pretii, *subdist.:* ante conventionem, *conc.;* conventione facta, *nego.*

*Itaque* significat citata lex, contrahentes ante conventionem ita posse inter se agere, ut venditor emptorem ad supremum trahat pretium, emptor vero venditorem trahat ad infimum; sed non negat standum esse conventionibus semel factis, aut, si id neget, iniqua est ac nulla, cum repugnet juri naturali, ut ait Div. Paulus [1]: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

Quæres 7. *Undenam vulgare rerum pretium peti debeat?*

Resp. Illud peti ex variis circumstantiis quæ sunt causæ pluris vendendi, vel minoris emendi, eo quod ob illas pluris vel minoris merces æstimentur ac valeant quam si abessent.

Quæres 8. *Quot sint causæ pluris vendendi?*

Resp. Sunt quinque. *Prima* est *lucrum ex alienatione rei certo aut probabiliter cessans, aut damnum emergens, aut etiam rationabilis affectus erga rem quæ venditur in gratiam alterius, deductis deducendis;* dummodo venditor de iis moneat emptorem, quia forte nollet venditoris incommodum redimere; v. gr. si in gratiam emptoris vendas merces quas constitueras servare in aliud tempus quo plus certo aut probabiliter sunt valituræ [2]; vel si vendas merces quas teneris postea carius emere, vel quas peculiari affectu prosequeris, v. gr. quia est valde rara, valde antiqua; a Principe vel majoribus accepta, etc. *Excipe* si sis mercator, tunc enim sub prætextu peculiaris affectus, mercem tuam carius vendere non debes, utpote qui ratione officii tui paratus esse debeas ad res tuas justo pretio alienandas.

Ratio horum est, quia talis non tantum vendit rem suam

[1] I Thess. IV, 6. — [2] Cap. ult. *de Usuris.*

nudam, sed etiam suum commodum, affectum vel *damnum quod patitur*, ait Div. Thomas [1]: ergo, etiam horum æstimationem exigere potest, etiamsi res habeat pretium legitimum, ait Lessius [2].

Dixi *deductis deducendis*, nimirum deductis diminutione, deterioratione quas sustinere debuerat, et impensis quas facturus erat ad servandas merces usque ad tempus statutum.

*Secunda* est *ratio officii mercandi*, quia pretio est æstimabile quod curas et cogitationes suas impendat mercator in rebus conquirendis, conservandis, aliasque multas lucrandi rationes in le omittere cogatur.

*Tertia* est *ratio laborum, periculorum et expensarum* in rebus conquirendis, advehendis et conservandis *communiter occurrentium*, nam hæc sunt pretio æstimabilia. Hoc tamem intellige si res istæ non habeant pretium statutum; nam tunc in pretio taxando jam habita est ratio laborum et expensarum quæ ordinarie fieri solent.

Dixi *communiter occurrentium*, quia si mercator plures impensas fecerit, et plus laboris, periculi aut damni subierit, quam alii communiter, non potest ideo pretium augere; est enim ejus infortunium quod emptor non tenetur compensare, sicut nec ipse potest minuere pretium commune, si venditor ordinarias impensas non fecerit.

*Quarta* est *copia emptorum, vel pecuniæ, et penuria mercium;* quia ex his crescit æstimatio communis mercium, ut fit in adventu subitaneo exercitus.

*Quinta* est *modus vendendi;* nam carius venduntur res in parva quantitate et minutatim, quam in magna quantitate, propter majores curas ac impensas quas requirit hic modus vendendi.

QUÆRES 9. *Quot sint causæ minoris emendi?*

RESP. Sunt quatuor. *Prima*, si res emptori sit parum utilis, nec eam nisi in gratiam venditoris emat; tunc enim

[1] 2 2, quæst. 77, art. 1. — [2] Lib. II, cap. 21, dub. 4.

res vilescit propter paucitatem emptorum; nisi tamen charitas aliud suadeat; nam utrum *possit aliquis emere rem vilius ab illo qui vendit, necessitate compulsus,* sunt multi qui affirmant, cum Busemb., quia, inquiunt, inopia venditoris non efficit ut pretium mutetur. Contraria tamen sententia, inquit S. Ligorius [1], est æquior et omnino suadenda, maxime si agatur de rebus quæ communiter et facilius emuntur et offeruntur, ut frumentum, oleum, vinum, etc.

*Secunda* est *emptorum paucitas,* quia id minus æstimatur, quod minus quæritur.

*Tertia* est *copia mercium superveniens,* quia id minoris æstimatur, cujus major est copia.

*Quarta* est *modus vendendi,* propter quem minoris em possunt merces :

1° Si emantur in magna quantitate ; quia hoc vendendi modo mercator liberatur multis curis ac impensis, quas circa illas habuisset; et fit expeditior ad novas merces comparandas, quod magis cedit ei in lucrum, quam si eas pretio ordinario sensim vendidisset.

2° Si res ultro offerantur, juxta illud effatum : *Merces ultroneæ vilescunt pro tertia parte.*

3° Si vendantur actione publica, seu sub hasta (gallice *à l'encan*); tunc vilius emuntur quam apud mercatores, modo absit fraus et dolus, qualis reperitur cum vendens fictos licitatores immittit, qui se emptores simulent, ut pretium augeatur.

Quæres 10. *An liceat pluris vendere rem, eo quod sit emptori valde grata, vel utilis, vel necessaria?*

Resp. *negat.* Quia hæc affectio, utilitas, necessitas non est quid vendentis ; deinde pretium rei, ex communi hominum æstimatione, non ex particulari ementis affectu aut utilitate repeti debet. Ita *communiter* Theologi cum

[1] Lib. IV, num. 802.

S. Thoma [1], qui dicit : *Si aliquis multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit non damnificetur carendo illa re, non debet eam supervendere, quia utilitas quæ alteri accrescit non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere quod suum non est.*

Plures *tamen* moderni id licere *affirmant ;* quia cum venditio inquiunt, hanc commoditatem afferat emptori, æquum est ut eamdem cum ipso dividat, pretium rei augendo. At hæc ratio videtur infirma propter rationem allatam a Div. Thoma. *Præterea*, ex hoc sequeretur quod mutuator eo majus lucrum ex *pecunia mutuata* percipere posset, quod majorem ex ea mutuatarius perciperet ; quod nemo dixit unquam. Potior igitur ratio est, quia nunc sic fert usus, teste OD. Gousset [2] ; et ideo emptor consentit in hoc pretii augmento.

QUÆRES 11. *An privatim sciens pretium mercis brevi aucturum vel imminuturum, possit eam pretio currente vendere aut emere, non monito altero contrahente ?*

RESP. Cum Div. Thoma [3], posse *absque injustitia, modo absit omnis fraus ;* nam licet emere et vendere pretio justo ; atqui pretium currens, sive sit lege, sive communi hominum æstimatione constitutum, est justum ; pretium enim sumi debet ex præsenti rerum statu, non autem ex futuro : ergo, etc.

*Hinc* 1° mercator qui triticum detulit ad locum ubi adest frumenti inopia, potest allatum vendere juxta præsens commune pretium, licet certo sciat multos alios mercatores brevi ingentem copiam allaturos esse.

*Hinc* 2° licitum est alicui dominum suam vendere pretio currenti, tametsi cognoscere eam intra paucos dies ab hoste diruendam.

Dixi 1° *absque injustitia*, quia potest interdum in hoc peccari contra charitatem, ut si pauperi magnam copiam rerum brevi minuendarum vendas ; vel si vendas uni cum

[1] 2 2, quæst. 77, art. 1. — [2] Num. 840. — [3] 2 2, quæst. 77, art. 3, ad 4.

vendere posses pluribus, ut minus quisque pateretur detrimentum; vel si vendas uni rem conservandam, cum posses vendere alteri mox consumpturo; quia charitas vetat ne proximum in gravem necessitatem conjicias ut lucreris. Merito tamen dubitatur an peccatum sit his in casibus semper grave, quia charitas non prohibet ne quis sibi provideat utendo jure suo, licet proximo inde detrimentum *per accidens* obveniat.

Dixi 2° *modo absit omnis fraus*, qualis esset si subornaret aliquem, qui emptoribus persuaderet pretium brevi augendum; si interrogatus an non expectentur naves, absolute negaret; tunc enim peccaret contra justitiam, et teneretur ad restitutionem, quia mendacio et fraude induceret proximum ad contrahendum cum suo damno.

Dices 1. In dicto casu, merces re ipsa et vere non tanti valent, licet hoc alii ignorent: ergo tanti vendi non possunt.

Resp. *Nego ant.* Verum quidem est quod hujusmodi mercium valor decrescet, sed falsum est quod jam decreverit; merces quidem decrescunt ob communem, non ob privatam unius æstimationem.

Inst. *probando ant.* Si occulte sciret venditor mercem brevi corrumpendam (v. gr. equum brevi moriturum, vinum in acetum conversum iri, debitorem non esse soluturum), merx et creditum non tanti valeret, nec posset pretio ordinario vendi: ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod copia vel inopia rerum citius vel ocius futura, sit extrinseca rebus, adeoque earum valorem intrinsecus non mutat; e contra, corruptio rerum, aut ad corruptionem dispositio; *item* crediti vitium ipsis rebus sunt intrinseca, ideoque rerum valorem intrinsecus mutant: ergo jam minus valent.

Dices 2. Inde sequeretur, magistratibus licitum esse edicti justi promulgationem differre, eo solum fine ut prius merces vendant aut emant, aut pecunias distra-

hant cum detrimento aliorum; absurdum consequens: ergo, etc.

Resp. *Nego sequelam.* Ratio est, quod magistratus ex officio suo teneantur impedire damna aliorum: ergo non possunt absque injustitia et obligatione restitutionis, suorum decretorum notitia uti in damnum aliquorum, sive ob propriam, sive ob privatam alterius utilitatem, licet ea notitia possint uti cives particulares, quibus ex officio non incumbit conservare aliorum civium bona.

Quæres 12. *An liceat credito vendere* supra latitudinem *justi pretii, vel emere* infra, *ob anticipatam solutionem?*

Dixi *supra latitudinem*, etc., quia intra latitudinem justi pretii, licet carius vendere credito, et minoris emere ob anticipatam solutionem.

*Prima sententia resp. neutrum licere*, nisi adsit alius titulus justus, v. gr. lucrum cessans, aut damnum emergens; nam cum creditor concedit dilationem solutionis, perinde facit ac si acceptam a debitore pecuniam, eidem usque ad tempus mutuet; similiter, qui solutionem pretii anticipat, idem præstat ac si nunc mutuam daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ; atqui pro mutuo nihil licet accipere supra sortem: ergo nec pro dilatione aut anticipatione solutionis ultra justum pretium. Præterea, hoc esset pluris facere pecuniam numeratam numeranda, quod damnavit Innocent. XI, sub n° 41: ergo, etc.

*Secunda sententia*, quam tenent Lessius, Lugo, Salmanticenses, Sanchez et alii, utrumque licere *affirmat*, etsi nullus alius sit titulus. *Ratio* est, quia communis hominum æstimatio auget vel minuit pretium rerum quæ ad creditum venduntur, cum in *primo* casu, pauci sint venditores et multi emptores; in *secundo* autem pauci sint emptores et multi venditores; atqui communis æstimatio justum reddit pretium: ergo, etc.

Hæc *ultima* sententia est vere *probabilis*, et in praxi

nunc sequenda, modo non excedatur taxa legalis pro mutuo aut ratio justi tituli. Hinc D. Bouvier : *Mercatores sic agentes inquietandos non esse arbitror, propter rationes superius expositas, et quia in dubio prudentia non sinit conscientias sic turbari.* Item P. Gury [1].

QUÆRES 13. *A quo tempore sumendum sit pretium rei, quæ anticipata solutione emitur ;* v. gr. tempore hiemis emuntur lanæ, quæ non tradentur nisi mense junio, quo carius venduntur ?

RESP. *Ordinarie loquendo*, sumendum esse a tempore quo res traditur, quia debet esse æqualitas inter pretium et rem venditam, quando venditio recipit suum ultimum complementum ; atqui in ipsa traditione solum venditio recipit suum ultimum complementum : ergo, etc. Ita tenet Div. Thom. [2].

Dixi *ordinarie loquendo*, quia plerumque pretium sumendum est a tempore quo pretium tradendum est. Hinc, si quis hodie vendit triticum, et pretium tradendum sit tempore quo triticum pluris est valiturum, potest tanti supra commune pretium vendere, quanti tunc valeret, secus damnum emergeret venditori. Triplex tamen conditio requiritur : 1° ut illud in id tempus esset servaturus ; 2° ut deducantur impensæ quas ipse fecisset in tritico servando ; 3° ut moneatur emptor de tali damno emergente.

Similiter, in dubio utrum merces tempore traditionis pluris vel minoris sint valituræ, potest earum pretium sumi a tempore solutionis anticipatæ, ut colligitur ex cap. *Negotianti, de Usuris.* Ratio est, quia in hac hypothesi sors ementis et vendentis est æqualis.

QUÆRES 14. *An liceat chirographa seu credita et census minoris emere qua continent ?*

RESP. Secluso lucro cessante et damno ex emptione emergente, non licet chirographa *certa et liquida*, nec

1 Num. 844. — 2 2 2, quæst. 78, art. 2, ad 7.

censum annuum ex contractu consignativo nulli periculo exposito, minoris emere quam contineant.

Prob. 1. Quia harum rerum pretium, cum sit legitimum et a lege taxatum, in indivisibili consistit : v. gr. mille libræ mutuo datæ, vel per contractum consignativum (gallice *contrat de Constit.*) alienatæ, nec pluris nec minoris valent : ergo non possunt minoris emi.

Prob. 2. Quia si fas esset creditum certum et liquidum minoris emere quam continet, hoc ideo esset, *in se et secluso quocumque damno*, quia præsens pecunia quam nunc emptor solvit, pluris æstimaretur quam pecunia absens; atqui hoc lucrum est usurarium, ut definivit Innocentius XI [1] : ergo, etc.

Dixi *certa et liquida*, quia si creditum vel jura non sint liquida, sed litigiosa, vel si difficilis sit eorum solutio, vel cum molestiis et expensis obtinenda, tunc habentur tanquam merces vitiatæ quæ minoris valent et emuntur quam integræ. Non licet tamen ipsis debitoribus ea credita minoris emere, tum quia tenentur ad integram solutionem, tum quia sunt causa minoris æstimabilitatis, quam ideo tenentur tollere.

Dices : Lege *Minus*, *de Regulis juris*, dicitur : *Minus est habere actionem quam rem;* sed cum emitur chirographum vel census, non emitur pecunia, sed jus ad illam : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Si res ad quam datur actio non nisi cum periculo, labore et expensis possit obtineri, *conc.;* si sine illis possit obtineri, nec emergat aliquod damnum, aut lucrum cessans, aut desit alius titulus, *nego.* Alias excusandi omnes essent usurarii; nam occasione pecuniæ quam mutuo dant, non accipiunt, inquiunt, nisi actionem ad eamdem pecuniam recuperandam. Ita cum S. Thom. [2], Lessius, Lugo, Laym., Croix, Sporer, etc.

Sed sententia affirmans *in se* probabilis, quam tenent

[1] Prop. 41, ab Innoc. XI damnata. — [2] Opusc. 67.

Bellarmin., S. Bernardin., Cajet., Navarr., Tournely, etc., fit nunc in praxi tuta, quia hæc solutio anticipata æquivalet pecuniæ mutuatæ, ac proinde ex eadem ratione, licet percipere lucrum legale et moderatum, demendo de pretio [1].

*Nota.* Ex jure Gallico [2], instituitur reservatio in favorem debitoris, contra quem venditur jus *litigiosum* (non vero contra debitorem cujus debitum est certum), his verbis : *Celui contre lequel on a cédé un droit litigieux, peut s'en faire tenir quitte par le concessionnaire, en lui remboursant le prix de la cession avec les frais et loyaux coûts, et avec les intérêts à compter du jour où le concessionnaire a payé le prix de la cession à lui faite.* — Excipitur :

1° Si jus litigiosum cohæredi vel coproprietario cessum fuerit ; 2° si cessio facta fuerit creditori in solutionem sui debiti ; 3° si jus cessum fuerit possessori prædii litigiosi [3].

Quæres 15. *Sed quid dicendum, si debitum in se arduum possit facile et absque expensis recuperari ab emptore, cui liceat emere pretio viliori ?*

Resp. Cum Pontas [4], secluso lucro cessante et damno emergente, non licet ; quia titulus rei alicujus valorem non absolute minuens, sed relative tantum, non potest hunc valorem minuere relative ad eos in quibus locum non habet, ut patet in titulo lucri cessantis, qui pro eis solum valorem immutat, quibus lucrum cessat.

Sed *verius contra;* nam creditum *in se* arduum minoris æstimatur, et ex altera parte, facilitas emptoris ipsi propria non mutat æstimationem communem, sed est *per accidens*, et habetur quasi industria vel bona fortuna emptoris quam venditori cedere non tenetur, saltem ex justitia.

Quæres 16. *An res quæ non habent pretium legale, nec vulgare determinatum* (ut sunt quædam gemmæ, insignes

[1] Gury, num. 844. — [2] Cod. civ., art. 1699. — [3] Art. 1701. — [4] V. *Achat*, cas. 6.

canes, veteres picturæ), *possint vendi quanti dominus ve luer t?*

Resp. Res il'æ debent vendi secundum æstimationem i hisce materiis intelligentium, spectatis omnibus circum stantiis; ratio est, quia non ideo tanti res valet, quia ven ditori placet tanti vendere, sed quia intelligentium judi cio tanti æstimatur[1].

Dices 1. *Tantum res valet, quantum vendi potest*, ait Jus tinianus[2]: ergo, etc.

Resp. *Dist. legem. Quantum vendi potest*, intra latitudi nem justi pretii, *conc.*; extra hanc latitudinem, *nego*; alia lex esset injusta: fatendum tamen majorem esse harumce rerum latitudinem, quam earum de quarum latitudine nemo disputat.

Dices 2. Cum res hujusmodi humanæ vitæ sint inutiles qui eas vult emere, sponte censetur dare quod alter exi git: ergo talis contractus est justus.

Resp. *Nego ant. Quia*, ut ait Cajetanus[3], *justum quæri tur, non donum in emptionibus et venditionibus.*

In praxi tamen, recte inquiunt Salmanticenses, Gousset Gury, etc., non sunt inquietandi qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt, ets postea detegatur error. Idem dic de rebus omnibus quæ venduntur apud veteramentarios (gallice, *marchands de bric-à-brac* et *bouquinistes*).

Quæres 17. *An si famulus aut proxeneta* (id est, qui rem pro altero vendendam suscipit) *vendat ultra pretium de signatum, aut emat infra, possit excessum sibi retinere?*

Resp. *Non posse, generatim loquendo, absque consensu domini*, cum nullum habeat legitimum titulum aliquid sib vindicandi; nam, si quod haberet, esset labor et industria atqui labor et industria non sunt sufficiens titulus exces sum retinendi; nam vel industriam gratis præstat, et tun

[1] S. Liger., lib. IV, num. 808. — [2] Lib. I, ff. *ad Senatusc. Trebellianum.*
[3] In 2 2 Div. Thom., quæst. 77, art. 1.

non potest eam sibi compensare, cum eam donet; vel pretio locat, et tunc nihil ei debetur ultra pensionem pactam; vel eam ex officio debet, ut famulus, et tunc non potest eam vendere, cum non sit sua, sed domini : ergo, etc. Ita *communiter* [1].

*Nec obstat* quod mandans rei vendendæ vel mercis emendæ pretium determinaverit, quia per hanc determinationem non intendit excessum donare, sed solum vult ut res non minoris vendatur, vel ut merx non pluris ematur.

*Hinc*, sartores peccant retinendo excessum pretii dati ad emendum pannum, neque possunt impensam operam occulte compensare, nam sufficienter compensatur per hoc quod eis præ aliis vestis conficienda committatur, ut communi pretio persolvatur.

Dices : Mercator alicui sartori rem vilius vendit quam alteri, quia est sibi notus, et ab eo comparare pannos solitus : ergo tunc excessum potest sibi retinere.

Resp. *Nego conseq.*, *generatim sumptum*, tum quia non præsumitur mercatorem pannum vilius quam par est, voluisse vendere; tum quia talis sartor fallit dominum, qui non intendit nisi pretium datum refundere, ait Pontas [2].

*Excipitur* : 1° Si tua industria speciali vel labore extraordinario res sit meliorata, propter quod pluris valeat; 2° si dominus expresse mentem suam declaraverit se non exigere ultra pretium a se determinatum; 3° si dominus agendi rationem proxenetæ vel famuli cognoverit, et approbaverit; 4° si, adhibita diligentia, et pretio majori non invento, rem tibi emeris pretio determinato, et postea carius vendideris, modo bona fides adsit, et rem facias tuam, et omne periculum in te suscipias, quia tunc venderes rem propriam.

Dixi *generatim sumptum*, quia interdum proxenetæ et famuli possunt munera sibi a mercatoribus oblata reti-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 825. — [2] V° *Achat*, cas. 18.

nere, duplici interveniente conditione : *prima*, ut constet de vera donatione, id est, quod mercator re ipsa sit dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori ; 2° ut eædem merces in aliis officinis æquali vel minori pretio comparari possint. Potest enim quis de lucro suo offerre, ut alliciat ad suam officinam frequentandam. Sed cautus esse debet Confessarius, nec facile fidem adhibere proxenetis vel famulis tales donationes sibi factas fuisse aperientibus. Ita S. Lgor. [1], Gury, Scavini, etc.

## PUNCTUM III.

### De Merce.

Quæres 1. *Cuinam debeatur res quæ fuit duobus venditа ?*

Resp. Si res neutri tradita sit, debetur priori emptori, nam *qui prior est tempore, potior est jure* [2].

Si vero tradita sit secundo emptori, ipsius est, quia per venditionem, superveniente traditione rei, acquiritur jus in re et plenum dominium, *exceptis quibusdam casibus ;* at vero per nudam venditionem acquiritur solum jus ad rem [3].

Dixi *exceptis quibusdam casibus*. Excipiuntur siquidem a jure : 1° res venditæ Ecclesiis et aliis piis causis, quia absque traditione transfertur dominium [4] ; 2° res priori emptori in securitatem contractus hypothecata [5], quia qui pignus habet, simplici creditori saltem in pignore debet præferri.

Sed in jure *Gallico*, hæc non currunt, quia venditio quælibet solo partium consensu perficitur, et dominium transfertur in emptorem quam primum conventum est de re et pretio, licet res nondum tradita, nec pretium solutum sit [6].

[1] Lib. IV, num. 826. — [2] Regula juris, in 6. — [3] Leg. *Traditionibus*, cod. *de Pactis*, — [4] Leg. fin. *de Sacrosanct. Eccles.* — [5] Leg. *Si creditor*, § fin. *de Distractione pignorum.* — [6] Cod. civ., art. 583.

Excipiuntur mobilia, quæ si ante traditionem secundo emptori venduntur et traduntur, illi cedunt, modo sit in bona fide [1].

QUÆRES 2. *Quodnam jus competat priori emptori?*

RESP. Ipsi competit actio in venditorem, vel ut, rescisso secundo contractu, rem sibi tradat, vel compenset interesse; non potest tamen rem a secundo emptore evincere, nisi mala fide emerit, conscius nimirum prioris venditionis. Ita Glossa [2]. Non tenetur tamen secundus emptor sponte et ante sententiam judicis rem priori tradere, nisi forte venditorem ad eam secundo loco vendendam induxerit, quo casu fuisset causa damni, ut docet Lessius [3].

QUÆRES 3. *An liceat vendere res mixtas aliis vilioribus*, v. gr. vinum aqua mixtum?

RESP. Vel mixtio est noxia, redditque rem inutilem aut deteriorem, vel non.

*Si primum*, venditor peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, quia injuste infert damnum contra bonam fidem contractus.

*Si secundum*, non peccat quidem contra justitiam commutativam, si minuat de pretio pro ratione mixtionis, ut ait S. Antoninus [4], dicens : *Cum aliqui sophisticant ea quæ vendunt, ut se servent indemnes, et cum aliquo lucro congruo, qui si venderent puras res, emptores non vellent dare justum pretium, quia alii vendunt alia sic mixta minori pretio, videntur posse excusari, dummodo non fiant mixturæ quæ noceant.* In praxi tamen hoc passim non est permittendum, ob hallucinationis periculum.

QUÆRES 4. *An venditor teneatur ex justitia rei vitium emptori occultum detegere?* — Dico *emptori occultum*, quia nemo tenetur manifestare quod omnibus manifestum est; emptor ergo sibi suum errorem imputare debet [5].

*Nota.* Ex dictis, vitium in merce potest esse : 1° vel circa

[1] Cod. civ., art. 1141. — [2] In cap. *Si tibi absenti*, in 6. — [3] Lib. II, cap. 21, dubit. 20. — [4] Part. II, tit. I, cap. 17, § 4. — [5] Cod. civ., art. 1642.

*substantiam*, ut si vendatur stamnum pro argento; vel circa *qualitatem*, ut si vendatur vinum aqua mixtum; 2° potest esse *occultum*, ut si equus sit lunaticus; vel *manifestum*, ut si equus sit claudus, vel cæcus; 3° potest facere rem quasi aliam et ementi noxiam, vel notabiliter inutilem, ut si vendatur colono bos inutilis ad arandum, vel cornuferiens, vel non facit, ut si iste bos lanio vendatur ad occidendum. His notatis,

Resp. Vel vitium rei est periculosum, redditque rem noxiam aut inutilem ad usum ad quem petitur, vel non.

*Si primum*, venditor tenetur ex justitia illud emptori indicare, etiam non rogatus, et hoc sub obligatione non solum compensandi rei defectum quanti minoris valet, sed etiam damna ex hac venditione provenientia; quia *venditor ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem*, ait Div. Thomas [1]; sed *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur* [2]: ergo, etc.

Dices: Non tenetur puella, quæ occulto amissæ virginitatis vitio laborat, illud aperire amasio volenti eam ducere: ergo nec venditor mercis suæ vitium.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod puella se diffamaret, ad quod, regulariter loquendo, nemo tenetur extra judicam interrogationem; venditor vero mercis suæ vitium detegens, seipsum non infamat, imo potius probitatem suam exerit.

*Si secundum*, venditor non tenetur *non interrogatus* illud emptori manifestare, modo minuat pretium pro ratione vitii; quia tunc nulla fit emptori injuria, et alias non possent conservari commercia sine quibus Respublica subsistere nequit [3].

Dixi *non tenetur non interrogatus;* tenetur enim vitium manifestare, si de eo interrogetur, nisi coram emptore protestetur se nolle rationem reddere de quocumque rei

[1] 2 2, quæst. 77, art. 3.— [2] Cap. ult. *de Jurejur.*— [3] S. Thom., 2 2, quæst. 77, art. 2.

suæ defectu; alioquin dolus daret causam contractui, et venditor teneretur ad ejus rescissionem, si emptor velit. Aliunde mendacium semper est illicitum. Huic consonat Cod. civ. [1].

Quæres 5. *An emptor ex justitia teneatur rei virtutem sibi notam, venditori vero ignotam, manifestare*, v. gr. si rusticus offerat gemmam pro vitro ?

Resp. Si per talem virtutem mercis pretium communi æstimatione augeatur, tenetur emptor manifestare si a venditore rogetur, alias injuste deciperet; si vero non rogetur, non tenetur monere venditorem, modo pretium æquivalens solvat, quia mercem inter et pretium debet esse æqualitas.

Dixi *si pretium communi æstimatione augeatur;* quia ex ea sumitur rei pretium, non ex utilitate soli emptori nota quæ est intrinseca rei. Hinc

*Resolves:* Fascis herbarum qui venditur ad esum animalium, emi potest pretio quo talia vulgo vendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri, quia tota illa res non pluris æstimatur relative ad eum usum ad quem vendi solet.

Quæres 6. *An venditor teneatur de evictione?*

*Nota.* Evictio est rei quam quis emit, ab eodem abductio per sententiam judicis.

Resp. Non tenetur nisi quando rem quam vendidit, cognovit esse alienam; quia quod sine culpa factum est, in damnum vocari non debet; unde tunc tenetur tantummodo pretium restituere.

Si vero sciverit rem quam vendidit esse alienam, tenetur de evictione, id est, tenetur emptori non solum pretium, sed insuper totum interesse, refundere.

Hæc patent ex dictis in tractatu *de Justitia*, ubi *de possessore bonæ vel malæ fidei et de damno reparando* [2].

[1] Art. 1643.

[2] Interdum hæc statuuntur in jure Gallico: *La vente de la chose d'autrui est*

Quæres 7. *Quænam vendere et emere non liceat?*

Resp. Per se loquendo, non licet vendere nec emere quidquid in corporale vel spirituale proximi detrimentum vergit, quia esset cooperari peccato alieno, imo materiam et instrumentum peccandi præbere, juxta quod diximus, ubi *de cooperatione* [1].

*Hinc* graviter contra charitatem peccant bibliopolæ libros vendentes contra religionem, aut bonos mores, aut famam proximi; pictores vendentes obscœnas tabellas; caupones vendentes vinum his quos sese inebriaturos vident, etc. *Item*, non licet vendere spiritualia vel spiritualibus annexa, ut diximus ubi *de Simonia;* neque ea quarum venditio irritatur a lege, v. gr. jura successionis personæ adhuc viventis, etiamsi ista consentiat; neque ea quæ a lege prohibentur ad moderandum commercium, ut est tabacum, pulvis bellicus, etc.

## APPENDIX I.

### *De contractu cum pacto retroventionis, et retractu gentilitio.*

Quæres 1. *An liceat vendere cum pacto retrovendendi aut redimendi, gallice*, avec la faculté de réméré ou de rachat?

Resp. Venditio cum pacto retrovendendi, facta in favorem solius venditoris, est licita, modo nihil fiat in fraudem usurariam, et adsit vera intentio emendi et vendendi, et

*nulle. — Elle peut donner lieu à des dommages et intérêts lorsque l'acheteur a ignoré que la chose fût à autrui* (Art. 1599.) — *Si celui qui a reçu de bonne foi a vendu la chose, il ne doit restituer que le prix de la vente* (Art. 1380.) — *Quand même la garantie a été promise, ou quand il n'a rien été stipulé à cet effet, si l'acquéreur est évincé, il a le droit de demander contre le vendeur: 1° la restitution du prix; 2° celle des fruits, lorsqu'il est obligé de les restituer au propriétaire qui l'évince; 3° celle des frais qu'entraine l'éviction; 4° les dommages et intérêts et les frais du contrat* (Art. 1629, 1630). Ita in foro externo.

[1] Tract. *de Virt. Theol.*, de virt. Charit.

quædam sint conditiones; facta in favorem solius emptoris, est etiam licita, *cum certis conditionibus*, juxta communissimam sententiam.

PROB. PRIMA PARS. Venditio cum pacto retrovendendi in favorem venditoris, est contractus quo res aliqua venditur eo pacto ut, cum venditori placuerit, debeat emptor hanc illi revendere eodem quo emit pretio; atqui hic contractus est licitus, ut definitur in jure [1], et colligitur expresse ex *Levit.* XXV, ubi omnis terra Israelitici populi sub redemptionis conditione vendebatur: ergo, etc.

Dixi *cum certis conditionibus;* requiritur enim

1° Ut pretium minuatur juxta æstimationem gravaminis quod emptori imponitur, et sic servetur æqualitas inter pretium et rem venditam; 2° ut non apponatur pactum retrovendendi pretio minori vel majori; licitum est tamen pactum ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur; 3° ut venditor compenset omnes impensas factas tum pro ipsa venditione, tum pro instaurationibus necessariis, tum pro ameliorationibus quibus res pretiosior evasit; 4° ut non imponatur quod periculum rei venditæ cedat in damnum venditoris, nisi pretium pro ratione periculi augeatur; 5° ut retrovendatur res sicut traditur, vacua vel cum fructibus, et a quovis onere ab emptore imposito libera: a jure autem positivo excipitur locatio, quam venditor sustinere debet si ab emptore in bona fide inita fuit; 6° adde, ex *jure Gallico*, ne diu incerta maneant dominio, ut facultas redimendi non extendatur ultra quinquennium; quo elapso, emptor fit irrevocabiliter proprietarius rei [2].

PROB. SECUNDA PARS. Venditio cum pacto retrovendendi in favorem solius emptoris, est contractus quo res aliqua, v. gr. vinea emitur eo pacto ut, cum emptori placuerit, retentis sibi fructibus, teneatur venditor rem suam redimere refundendo pretium acceptum; atqui hic contrahendi mo-

[1] Cap. *Ad nostrum, de Empt. et vendit.* — [2] Cod. civ., art. 1660.

dus usuram non sapit, nec usurariis nullo modo favet, modo quædam apponantur conditiones : ergo, etc.

*Prob. min.* Ex una parte, solo consensu pacta firmantur, et ex altera parte, positis quibusdam conditionibus, servatur æquitas : ergo hujusmodi venditio non sapit usuram, nec usurariis quidquam favet.

*Conditiones* autem sunt : 1° ut adsit vera intentio emendi et vendendi ; 2° ut emptor augeat pretium pro ratione oneris quod imponit venditori, redimendi quando placuerit emptori ; 3° ut res crescat vel decrescat emptori, et venditor tantum obligetur ad redimendum juxta præsentem rei valorem [1].

Quæres 2. *Quid sit contractus mohatra, et an sit licitus ?*

Resp. ad primum. Contractus mohatra est contractus quo homo pecunia indigens emit credito a mercatore merces pretio supremo cum pacto retrovenditionis, numerata pecunia pretio infimo.

Resp. ad secundum. Contractus mohatra est illicitus ; nam contractus qui continet mutuum usurarium est illicitus ; atqui talis est contractus mohatra : ergo, etc.

*Prob. min.* Contractus mohatra fit simul et de industria inter easdem personas cum intentione lucri : ergo nihil est aliud quam mutuum, v. gr. 95 librarum cum obligatione posthac restituendi centum : ergo, etc. Unde merito fuit reprobatus ab Innocentio XI, qui damnavit hanc propositionem 40 : *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.*

Quæres 3. *An contractus ille, seclusо omni pacto, onere, atque etiam scandalo, licitus sit ?*

Resp. Controvertitur inter Doctores : plures negant cum S. Antonino, affirmant alii communiter, modo non sit animus usurarius ; si enim rem quam summo pretio emi, pos-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 813.

sim statim alii vendere pretio infimo, cur non possim eamdem eodem pretio vendere ei a quo ipsam emi; cum hanc ipse bona fide vendidit, et nec explicite nec virtualiter exegit a me ut eam ipsi retrovenderem, maxime cum *secundum communem æstimationem merces non tanti valeant in manu privati hominis quam in manibus mercatoris*, ut Habert totidem verbis ait de aurificibus [1]. Lucrum tamen inde perceptum non debet excedere taxam legalem in mutuo, et tunc reincidere potest in legitimi mutui contractum. Ita etiam S. Ligor. [2].

QUÆRES 4. *Quid sit retractus gentilitius* (*gallice* retrait lignager)?

RESP. Est *jus concessum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi et ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo res illa ab extraneo vel remotiore consanguineo fuit empta.*

Dicitur 1° *jus*, ut ostendatur peccare contra justitiam, qui fraudibus vel minis impedit consanguineum ne rem sibi retrahat.

Dicitur 2° *proximo venditoris consanguineo*, ut excludatur extraneus, qui si retrahat nomine consanguinei, tenetur ad restitutionem.

Dicitur 3° *intra certum tempus*, elapso enim anno et die tollitur facultas retractus.

Dicitur 4° *ad se revocandi*, quia lex non dat consanguineo jus retrahendi nisi ut sibi retineat; unde si retrahat ut alii majori pretio vendat, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, quia vendit jus quod alienare non potest.

Dicitur 5° *rei immobilis*, quia retractus non extenditur ad res mobiles.

Dicitur 6° *eodem oblato pretio*, unde emptor qui a retrahente majus pretium exigit quam dederit, tenetur ad restitutionem, quia jus alterius violat.

Contractus *gentilitius* non amplius obtinet in Gallia.

[1] Habert, 3 part., cap. 12, § 2, quæst. 6. — [2] Lib. IV, num. 817.

## APPENDIX II.

### *De negotiatione et monopolio.*

Quæres 1. *Quid sit negotiatio?*

Resp. Est emptio rei cum intentione rem integram et immutatam vendendi lucri gratia. Unde qui emit ferrum ad clavos conficiendos, non mercaturam exercet, sed artificium.

Quæres 2. *An negotiatio sit licita?*

Resp. Est licita *per se*, quia intendere lucrum ad honestum finem, v. gr. ad sustentandam familiam, per se licitum est ac honestum. Unde cap. *Fornicari*[1] dicitur: *Fornicari non licet, negotiari aliquando licet, aliquando non licet.*

Dixi *per se*, quia per accidens fieri potest illicita.

1° *Ratione finis*, si in lucro mercator constituat finem suum ultimum; tunc enim est mortifera.

2° *Ratione materiæ*, si vendatur res invendibilis, v. gr. res sacra, etc.

3° *Ratione loci*, si venditio fiat in templo, cœmeterio, etc.

4° *Ratione personæ*, sic Clericis negotiari inhibitum est, ut diximus alibi.

Dices ex cap. *Ejiciens*, eadem dist.: *Mercator vix aut nunquam potest placere Deo:* ergo, etc.

Resp. *Dist. Vix aut nunquam*, absolute loquendo, *nego;* moraliter loquendo, *conc.* Ratio est, quia, ut ait cit. cap., *Negotiatio nimis communiter exercetur cum mendacio et perjurio.*

Quæres 3. *Quid sit monopolium?*

Resp. Est conventio unius vel plurium mercatorum simul conspirantium ut ipsi soli vendant, vel emant merces, eo qui voluerint pretio.

[1] Dist. 88.

QUÆRES 4. *An monopolium* privata auctoritate *constitutum sit licitum?*

Dixi *privata auctoritate*, quia monopolium factum *auctoritate publica*, cum, scilicet, unus vel pauci facultatem a Principe obtinent, ut ipsi soli certas merces vendant, est licitum, modo vendant pretio justo. Ratio est, quia hoc interdum postulat bonum commune, ne, scilicet, deseratur rerum aliquarum negotiatio, quarum comparationem nemo ob damni periculum vellet in se suscipere citra privilegium ut solus venderet; patet in librorum impressione.

RESP. Quælibet monopolia auctoritate propria facta sunt injusta, et ad restitutionem obligant, si pretium de quo convenerunt sit injustum; evidens est enim eos contra justitiam peccare, cum æqualitatem inter mercem et pretium non servent. Si pretium non sit injustum, quidam adhuc tenent eos contra justitiam peccare, cum absque gravi injuria cogere non possint emptores ad emendum summo pretio et venditores ad vendendum infimo: sed hoc verum est in sequentibus tantum casibus. Unde

QUÆRES 5. *Quomodo mercatores hanc Reipublicæ violentiam inferant?*

RESP. Sex modis: 1° cum conveniunt de non vendendo nisi supra summum pretium, et emendo nisi infra; quia injuste auferunt civibus libertatem emendi juxta pretium vulgare; non enim privatorum est mutare communem ac legitimam pretii æstimationem.

2° Dum vi, metu aut fraude impediunt ne aliunde merces adveniant, unde oritur caritas; hinc tenentur ad restituendum tum civibus qui habent jus ne via injusta impediatur eorum commodum, tum mercatoribus, quos ab introducendis mercibus suis prohibuerunt.

3° Dum unus vel pauci emendo omnes fere merces, v. gr. frumentum, inducunt caritatem insolitam, id est, supra pretium summum quod, secluso monopolio, curreret: tunc enim causa sunt cur injuste pretium augeatur, nam

vendunt quasi carum, quod est abundans : secus, si non inducerent caritatem insolitam, ut *probabilius* tenent Lessius, Lugo, et alii contra plures, quia nullius jus violant, cum expetant justum pretium, licet summum; imo *probaliter* neque contra charitatem peccant, cum liceat unicuique sic honestum per opera sua lucrum facere, nec quisquam tenetur negligere commodum suum, ut damnum alienum avertat, quando non tenetur cavere.

4° Cum mercatores supprimunt merces suas conspirando vi vel mendaciis, ut inde earum pretium crescat; injustus tamen non esset qui res suas nondum venditioni expositas servaret usque ad tempus quo carius venduntur, modo ex hac suppressione non oriretur caritas insolita, tunc enim nulla daretur occasio damni.

5° Cum apponitur fictus licitator, qui plus offerat, ut alter ascendat in pretio.

6° Cum artifices inter se conveniunt ut opus ab uno inchoactum alter non perficiat, vel artem suam non doceant nisi injusto pretio; quæ conventio, utpote civibus noxia, merito prohibetur a legibus [1]. *Item*, cum officinarum magistri inter se conveniunt de minuendo ipsorum opificum salario [2]. Horum ratio est, quia tunc violatur justitia, cum suis machinationibus alios cogant injusto pretio aut merces emere, aut suas operas locare.

Quæres 6. *An peccent contra justitiam et charitatem, mercatores qui sine vi et mendacio conspirant ne merces suas vendant, nisi summo, licet justo, pretio?*

Resp. 1. Quoad *charitatem affirmative*. Ratio, quia, licet charitas non obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen obligare ad non impediendum alios ut non vendant pretio inferiori; sicut, licet charitas non te obliget ad dandum eleemosynam, videtur tamen te obligare ad non impediendum alios qui eam largiri volunt [3].

[1] Leg. *Jubemus*, cod. *de Monopolio*. — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 815
[3] S. Ligor., lib. IV, num. 817.

Resp. 2. Quoad *justitiam*, duplex est sententia.

*Prima* sententia *affirmat*, quia per medium iniquum alios pretio supremo emere cogunt. Ita Tournely, Lessius, Roncaglia, etc.

*Secunda* sententia *probabilior negat*. Ratio est, quia ille non peccat contra justitiam, qui sine vi vel fraude impedit aliquem a consecutione alicujus boni ad quod jus non habet; atqui tales sunt mercatores de quibus est quæstio : ergo, etc.

*Prob. min.* Etenim si emptores coguntur emere summo pretio, non coguntur a venditoribus, sed a sua necessitate, quæ vera coactio ex parte venditorum dici nequit; impediuntur vero per conventionem emptorum a consecutione minoris pretii, sed ipsi nullum jus habet ad illud bonum, et consequenter conventio emptorum absque vi et fraude non est illis injuriosa : ergo, etc. Ita Billuart, Lessius, Lugo, S. Ligor. [1], P. Gury.

Quæres 7. *An liceat mercatori monopolii non participi vendere pretio per monopolium constituto?*

Resp. Si sit nuntium, non licet, quia pretium illud a monopolis impositum est injustum. Ita S. Ligor. [2], contra Salmant.

## ARTICULUS III.

### DE CAMBIO (*gallice* CHANGE.)

Quæres 1. *Quid sit cambium et quotuplex?*

Resp. ad primum. Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro campsoris (gallice *changeur*, *banquier*). Si cambium fit per litteras, illæ vocantur *cambiales* (lettres de change); qui litteras, obtinuit et eas præsentat, dicitur *lator* (le porteur); qui in alium transfert, vocatur *endosseur*, et eas subscribit inscribendo : *Payez à N. ou à l'ordre de N.* Ille ad quem mittuntur ut solvat, dicitur *le correspondant*.

[1] Lib. IV, num. 817. — [2] Ibid.

Resp. ad secundum. Cambium dividitur in *siccum*, e *reale* seu *verum*.

Cambium *siccum* (sic dictum quod instar fundi sicci ca ret humore, justoque titulo quo lucrum parere possit) *es cambium fictum, verumque mutuum nomine cambii velatum*, ut cum dantur recipienda non eo loco quo fingitur, sed eo loco quo datur, licet alio tempore cum pretio cambii solito dari pro similibus distantibus locis.

Hoc cambium est *per se* verum mutuum, ex quo lucrum sine alio titulo percipitur ; unde tanquam usurarium est reprobatum a S. Pio V, Bulla *In eam pro nostro*, quam refert Lessius [1].

Dixi *per se*, quia licet recipere ex illo taxam legalem.

*Cambium reale* est illud in quo revera pecunia præsens cum præsente, vel præsens cum distante permutatur. Unde

Quæres 2. *Quotuplex sit cambium reale?*

Resp. *Triplex*, scilicet *manuale* seu minutum, *locale* seu per litteras ; et *temporale*, seu ad terminum solutionis.

*Manuale* est de manu ad manum permutatio pecuniarum diversæ rationis, v. gr. aureæ cum argentea, minoris cum majore, etc.

*Cambium locale* est permutatio pecuniæ præsentis cum distanti ; v. gr. si campsarius campsori pecuniam numeret Nanceii, ut recipiat a campsore litteras cambii, quarum ope eamdem summam recipiat Parisiis.

*Cambium temporale* est illud quo campsor sive mercator dat hic pecuniam, ea lege ut illam cum lucro recipiat alibi post certum tempus. Illud est cambium quod vocabant *Lugdunense;* alii *Nannetense*, alii *Franco furtense*, quia in iis locis exercebatur.

Quæres 3. *An cambium reale, manuale et locale sit licitum?*

Resp. *affirm.* Modo lucrum sit moderatum et secundum

[1] Lib. II, cap. 23, dub. undecima.

leges aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum æstimationem. Ratio est, quia lucrum in cambio accipitur ratione impensarum, et laboris in conquirendis, coacervandis et custodiendis variis speciebus monetarum. *Item*, in cambio locali ratione oneris quod suscipit proprio periculo monetas transferendi in eum locum ubi campsarius his indiget pro assecuratione, etc.; atqui hæc omnia sunt pretio æstimabilia: ergo, etc. Hinc campsoribus permittitur percipere taxam commercii, quia quamdam exercent negotiationem. At jure Ecclesiastico, ars campsoria prohibetur Ecclesiasticis sub pœnis statutis in Clericos negotiatores, ex Bulla Clement. XII, *Cum primum*, teste Bened. XIV [1].

DICES: Aliquando campsor non transfert pecunias, sed per correspondentes solvit: ergo tunc non potest lucrum recipere.

RESP. *Nego conseq.* Quia potest lucrum recipere propter industriam, quæ in mercatore est pretio æstimabilis.

QUÆRES 4. *An cambium temporale sit licitum?*

RESP. Secluso alio titulo consueto, controvertitur inter Theologos, sed *probabilius* licet in hoc sequi leges civiles, juxta taxam legalem pro mercatoribus, ut recte dicit P. Gury [2], quia non minora sunt onera quam in cambio manuali vel locali.

## ARTICULUS IV.

### DE CENSIBUS SEU REDDITIBUS ANNUIS.

QUÆRES 1. *Quid sit census annuus et quotuplex?*

RESP. AD PRIMUM. Census est contractus quo emitur et venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, personave aliena frugifera.

RESP. AD SECUNDUM. Census dividitur in *reservativum* et *consignativum*.

Census *reservativus* est contractus quo quis alteri trans-

[1] De Synod., lib. x, cap. 6. — [2] Num. 872.

fert rei suæ dominium plenum, retento sibi jure pensionem aliquam percipiendi (vocatur gallice *droit seigneurial*, et *rente foncière*).

Census *consignativus* est contractus quo quis super bonis personave sua consignat alteri pensionem annuam, vel in fructibus, et dicitur census *fructuarius;* vel in pecunia, et dictiur census *pecuniarius*, gallice *contrat de constitution.*

*Nota.* In hoc censu, qui debet pensionem (gallice *le canon*) vocatur *censuarius* et *venditor;* is cui pensio debetur, dicitur *censualista*, *censuista*, *creditor* et *emptor.*

QUÆRES 2. *Quomodo dividatur census consignativus?*

RESP. Dividitur in *realem*, *personalem* et *mixtum.*

*Realis* est ille qui fundatur super aliqua re fructifera, ex qua pensio solvi debet; quo fit ut si res pereat, pereat et census; aut si subsistat, subsistat et census, ad quemlibet res illa pervenerit.

*Personalis* est ille qui fundatur in persona quæ sese obligat ad pensionem solvendam ex omnibus operibus suis, labore, industria, aut officio suo.

*Mixtus* est ille qui fundatur super re et persona simul, ita ut, licet res pereat, persona semper obligata maneat.

*Iterum* census consignativus tum realis, tum personalis, tum mixtus, dividitur in *temporalem* et *perpetuum.*

*Census temporalis* est ille qui expirat certo tempore, v. gr. viginti annorum; vel incerto, v. gr. ad vitam hominis, dicitur *vitalitius* (gallice *pension viagère*); et in illo constituendo, habenda est ratio ætatis vel sanitatis censualistæ, majorque debet esse pensio ex capitale vendito, quo majus est periculum mortis. Ordinarie tamen excedere non debet 15 pro centum.

*Census perpetuus* est ille qui per se semper durat; estque vel *redimibilis*, qui extingui potest refusione summæ capitalis; vel *irredimibilis*, qui sic extingui non potest. At, ex jure Gallico, omnis census est essentialiter redimi-

bilis, adeo ut pactum huic juri adversum, sit nullum. Sed pacisci licet ne redimi queat ante triginta annos, si census sit reservativus; et ante decem annos, si census sit consignativus [1].

QUÆRES 3. *An contractus census sit licitus?*

*Nota.* Certum est apud omnes censum reservativum licitum esse, nam sicut qui potest rem suam tradere, vel non tradere, ita et tradere reservato sibi jure pensionis; sic Ecclesiastici licite sua Beneficia resignant cum retentione pensionis annuæ. Quæstio igitur tota est de censu consignativo; ad quam dirimendam, sit

## CONCLUSIO I.

### *Census realis, sive sit fructuarius, sive pecuniarius, est licitus.*

PROB. Emptio rei pretio æstimabilis est licita; atqui census realis est emptio rei pretio æstimabilis : ergo, etc.

*Prob. min.* Jus ad pensionem sive pecuniariam, sive fructuariam ex re aliena annuatim percipiendam, est pretio æstimabile; atqui census realis est emptio juris ad pensionem, etc. : ergo, etc.

Unde SS. PP. Martin. V [2] et Calixt. III hunc contractum legitime factum approbarunt.

OBJICIES CUM HENRICO GANDAV. Emptio census realis non est vere emptio, sed mutuum. *Prob. ant.* Extrema hujus contractus sunt pecunia, et pecunia per quotas accipienda; atqui pecunia vendi non potest, sed mutuo dari : ergo, etc.

RESP. *Nego primum ant. et majorem probationis*, non enim in censu emitur pecunia, sed jus ad ipsam, quod est vendibile; neque pensio recipitur immediate ex pecunia data, sed mediante jure empto; unde sicut qui emit agrum, fructus ejus juste percipit, licet ex sua pecunia eos me-

[1] Cod. civ., art. 530, 1911 et seqq. — [2] In suis *Extravag.*

diate percipiat; ita qui emit censum, pensionem juste percipit, licet ex pecunia sua eam mediate percipiat.

INST 1. Illud jus non exstat: ergo non potest vendi.

RESP. *Dist. ant.* Non exstat formaliter, *conc.*; virtualiter, *nego*; exstat enim in jure quod habet venditor pensionem ex re sua percipiendi, atque in alium sive venditione, sive donatione transferendi.

INST. 2. Venditor census illum non potest extinguere, nisi reddat summam capitalem, quam accepit, licet per multos annos, quibus duravit census, solverit annuas pensiones summam illam capitalem longe excedentes; atqui hoc videtur injustum : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Hoc enim tam justum videri debet, quam quod homo, qui agrum suum a centum annis vendidit Titio eum redimere non possit, nisi reddita Titio summa sua capitali, etsi toto illo tempore Titius perceperit fructus agri, summam capitalem simul longe excedentes. *Ratio* est, quia illud plus, successive per partes et longa temporum intervalla receptum, secundum communem sapientium æstimationem, non pluris valet, quam valeat omnium partium illarum summa simul et semel soluta, quæ, sic spectata, utilior et opportunior est ad quamlibet negotiationem, nec per se exposita est tot tantisque incommodis, quibus exposita est successive recipienda per partes et longa temporum intervalla, ob rei emptæ, et consequenter pensionum recipiendarum pericula communiter per se occurrentia.

## CONCLUSIO II.

*Census personalis est licitus in locis in quibus non est recepta Pii V Constitutio* Cum onus.

PROB. Quia persona non minus per artem et industriam suam potest esse fructifera, quam ager aut domus; atqui pretio justo emi potest jus percipiendi annuam pensionem

ex fructibus agri vel domus : ergo similiter potest justo pretio emi jus percipiendi annuam pensionem ex fructibus operum et industriæ personæ.

*Confirmatur.* Licitum est operas et industriam alterius conducere : ergo licitum est emere jus ad fructus inde speratos.

Dixi *in locis in quibus non est recepta Pii V Constitutio;* quia per eam statuit *censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, ex sui natura fructifera;* huic autem legi eos obtemperare oportet, apud quos est promulgata et recepta, non autem alios apud quos non est recepta; quia S. Pontifex in sua Constitutione non explicat jus naturale aut divinum, sed sancit jus humanum; non est autem recepta in Gallia, Hispania, Belgio, Lotharingia, etc.

Ex jure autem Gallico, *on ne peut engager ses services qu'à temps, ou pour une entreprise déterminée.*

Objicies 1. Census personalis est mutuum virtuale, vi cujus recipitur aliquid supra sortem : ergo est illicitus.

Resp. *Nego ant.* Nam ille census est emptio, non pensionis, sed juris ad pensionem, pro pretio ab emptore irrevocabiliter dato; at in mutuo datur pecunia præsens pro pecunia futura æquali tota simul solvenda, quæ post certum tempus a mutuante repeti potest.

Inst. Jus ad pensionem nihil aliud est quam ipsa pensio successive et per partes solvenda; atqui hæc pensio est pecunia ipsa : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Tam enim jus percipiendi pensionem ab ipsa pensione distinguitur, quam jus transeundi per agrum alterius, ab ipso distinguitur transitu; atqui, etc.

Objicies 2. Pensiones annuæ post aliquot annos excedunt sortem pro censu datam : ergo injusta est census emptio.

Resp. 1. *Retorq. argumentum.* Fructus agri post aliquot annos excedunt pretium pro agro datum : ergo emptio agri est injusta.

Resp. 2. *Nego conseq.* Quia non emuntur pensiones, sed jus ad illas percipiendas per partes et plura intervalla annorum cum incertitudine et variis incommodis, quod communi hominum æstimatione minoris valet quam istarum partium collectio, quæ opportunior est ad quodlibet lucrum, et nullis incommodis obnoxia.

Objicies 3. Persona non potest adstringi solutioni pensionis censualis, sicut potest ager : ergo census super persona constitui nequit.

*Prob. ant.* Si persona posset adstringi pensionis censualis solutioni, posset vendi, dum in solutione deficit, prout ager censui adstrictus; absurdum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Quia census eodem modo non constituitur super persona, sicut super agro. Equidem si constituatur super agro, et dominus agri non solvat pensiones, potest ager evinci, et vendi a creditore, ut capitales et pensiones non solutas recuperet censuista. E contra, si constituatur super persona, ea obligatur tantum ad pensionem solvendam, ita ut actione personali coram judice conveniri possit et ad solutionem compelli.

Quæres 4. *An contractus census redimibilis sit licitus ?*

Resp. 1. Certum est censum ad nutum venditoris redimibilem esse licitum, cum, ex dictis, venditio fieri possit cum pacto retrovendendi. Jure autem Ecclesiastico (ex Bulla Piana superius citata), census redimi non potest, nisi facta denunciatione per bimestre.

Resp. 2. Spectato jure naturali, census redimibilis ad nutum emptoris seu censualistæ nec est illicitus, nec usurarius, quia census veram venditionis emptionis induit naturam; emptor autem non debet esse deterioris conditionis ac venditor, modo sit bonæ fidei, et aliunde servetur æqualitas. Ita Lessius, Laym., S. Ligor. [1], contra plures.

[1] Num. 843.

Dixi *spectato jure naturali,* nam ex Bulla Piana prohibetur censitori redemptio.

Quoad vero *jus Gallicum*, omnis census est natura sua redimibilis, ut diximus.

Quæres 5. *An census temporalis sit licitus?*

Resp. Census temporalis certus est usurarius; incertus autem seu vitalitius est licitus.

Prob. prima pars. Quia qui dat 180 Petro, ea lege ut per 20 annos Petrus solvat quotannis 10, apertam committit usuram, cum non vendat, sed mutuet cum immoderato lucro; atqui taliter agit, qui celebrat contractum census temporalis certi : ergo, etc.

Prob. secunda pars. Ille contractus in quo est æqualis sors vendentis et ementis, est justus; atqui in contractu vitalitio est æqualis sors vendentis et ementis; cum dubium sit quot annos sit victurus ille super quem census est constitutus : ergo, etc.

Quæres 6. *Quænam requirantur conditiones ad justitiam census?*

Resp. Quinque requiruntur.

*Prima*, ut sit justum pretium juxta taxam Principis, vel, si desit taxa, juxta communem prudentum æstimationem.

*Secunda*, ut res super qua constituitur census realis vere sit in libera dispositione vendentis : quia, ex leg. *Nemo*, ff. *Reg. juris : Nemo plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habeat.* Alias contractus est injustus, et venditor tenetur ad restitutionem capitalis et damnorum.

*Tertia*, ut res super qua constituitur census realis sit ita fructifera, ut jus ad fructus, quod emitur, adæquet pretium datum ; alias venditur jus quod non est, vel majus eo quod est.

*Quarta*, ut cesset census obligatio vel in toto vel in parte, dum res, supra quam census constitutus est, in toto vel in parte periit, aut sterilis evasit; ex qua conditione census immunis est ab usura, cujus iniquitas in eo sita est, quod

ex re non frugifera mutuans ultra sortem aliquid accipiat: dummodo census sit pure realis; nam si sit mixtus, quomodo fere nunc omnes census creantur in Gallia, pereunte re, quæ locum tenet hypothecæ, nihilominus debitor solvere tenetur. Ratio est, quia census est vere emptio; ergo debet sequi leges emptionis, juxta quas res empta perit emptori.

*Quinta*, ut in censu non apponatur pœna commissi, id est, quod res censui subjecta in dominium censuistæ transeat, si censuarius sit in mora solvendi; quia pœna est exorbitans, unde prohibetur jure [1].

*Sexta* conditio additur in Gallia, nempe, ut venditor possit perpetuo censum redimere, refundendo emptori pecuniam suam. His adde pro locis in quibus Bulla Pii V, *Cum onus* [2], quod ille Pontifex ad hoc, ut contractus census sit justus, requirat sequentes conditiones:

*Prima*, ut census constituatur in re aliqua certa, immobili, et frugifera ex natura sua.

*Secunda*, ut, re pereunte, vel sterili facta, census pereat, ut supra ad conditionem quartam addidimus.

*Tertia*, ut pretium in pecunia numeretur in ipso actu celebrationis contractus coram notario et testibus; ita ut solutio fieri non possit anticipata, nec credita pecunia.

*Quarta*, ut non fiant pacta directe et indirecte ad casus fortuitos obligantia eum qui alias ex natura contractus non obligatur.

*Quinta*, ut nulla fiant pacta quibus auferatur vel restringatur facultas alienandi rem censui subjectam.

*Sexta*, ut nulla fiant pacta quibus morosus debitor obligetur ad interesse lucri cessantis, vel aliam pœnam.

*Septima*, nec census augeatur ex non solutis canonibus jam decursis.

*Octava*, nec apponatur pactum, ut capitale a debitore

[1] Cap. 7 *de Pignor.*, et cap. ult., eod. *de Partic.* — [2] Data anno 1569.

invito repetatur in pœnam non solutorum canonum, vel ob aliam causam.

QUÆRES 7. *Utrum debitor pensionis adstringi possit ad censum redimendum, et in quibus casibus ?*

RESP. *affirm.* Ex jure naturali et Gallico in quinque casibus :

*Primus*, si debitor pensionis per duos annos successivos pensionem non solverit.

*Secundus*, si omittat offerre creditori cautelas in contractu stipulatas.

*Tertius*, si cautelæ datæ deficiant, et alias sufficientes non substituat.

*Quartus*, si in fortunæ decoctionem incidat, modo census sit perpetuus.

*Quintus*, si fundus pro censu datur, vel hypothecæ subjectus, plus quam inter tres personas dividatur

## ARTICULUS V.

### DE EMPHYTEUSI ET FEUDO.

*Nota* 1. *Emphyteusis* dicitur ab inserendo et meliorando, quia ad meliorationem fundi, ut plurimum, conceditur.

*Nota* 2. Qui rem emphyteuticam accipit, vocatur *emphyteuta;* pensio quæ datur, vocatur *canon.*

QUÆRES 1. *Quid sit emphyteusis ?*

RESP. Est *contractus quo, sub onere pensionis annuæ, transfertur rei immobilis dominium utile, directo retento.*

Dicitur 1° *sub onere pensionis*, quæ debet esse longe minoris pretii quam fructus.

Dicitur 2° *transfertur*, in perpetuum, vel ad unius aut plurium vitam; vel ad certum tempus quod decennio non sit minus, per quod differt a locatione.

Dicitur 3° *rei immobilis*, quia res mobilis usu deterio-

ratur, non melioratur; per hoc differt ab usufructu, qui constitui potest in re mobili.

Dicitur 4° *transfertur dominium utile;* unde emphyteuta potest rem emphyteuticam secundum dominium utile, in alium transferre, modo fiat absque domini directi incommodo et ut jura præscribunt.

QUÆRES 2. *Ad quid teneatur emphyteuta?*

RESP. Tenetur: 1° rem emphyteuticam fructuosiorem facere, aut saltem non deteriorem; 2° certam pensionem vel in pecunia, vel in fructibus domino directo solvere statutis temporibus, alioqui amittit rem emphyteuticam cum omnibus impensis in ejus meliorationem factis, si non solverit per biennium pro Ecclesiastica emphyteusi, et per triennium pro sæculari [1].

QUÆRES 3. *Quid sit feudum?*

RESP. Est contractus quo sub onere fidelitatis et obsequii personalis transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo. Qui tradit, dicitur *infeudator;* qui accipit, dicitur *vassallus,* aut *feudatarius.*

QUÆRES 4. *Quomodo feudum differat ab emphyteusi?*

RESP. Differt: 1° quod in feudo imponatur onus personale, in emphyteusi vero realis pensio; 2° quod in emphyteusi non requiratur investitura, e contra in feudo requiratur investitura, sive sit *realis,* quando nempe feudatarius immittitur in possessionem feudi; sive *abusiva,* quæ fit traditione ensis, annuli, etc.

QUÆRES 5. *Ad quid teneatur vassallus?*

RESP. Tenetur: 1° præstare juramentum fidelitatis (*foi et hommage*).

2° Tenetur suo tempore requisitus præstare obsequia promissa in investitura.

3° Tenetur non disponere de feudo sine consensu infeudatoris.

4° Amittit feudum ob neglecta obsequia, et crimen fel-

[1] Leg. *Secunda,* cod. *de Jure emphyt.*

loniæ, id est, crimen belli contra dominum directum gesti.

5° In multis consuetudinibus, vassallus debet directo domino *relevium* et *quintam* partem pretii quo feudum venditur (gallice, *droit de relief et de quint*). At hæc obsoleta sunt in Gallia.

## ARTICULUS VI.

### DE CONTRACTU SOCIETATIS.

QUÆRES 1. *Quid sit contractus societatis?*

RESP. Est *duorum vel plurium conventio, contribuendi aliquid ad commune lucrum secundum proportionem rerum contributurum* (gallice, *à proportion du fonds qu'on y a mis* [1]).

Dicitur 1° *conventio duorum vel plurium*, quia essentialiter postulat celebrari inter duos saltem, perficiturque solo convenientium consensu signis exterioribus manifestato, etiam citra scripturam, traditionem, vel aliam solemnitatem [2].

Dicitur 2° *contribuendi aliquid*, puta pecuniam, operam, industriam, instrumenta negotiationis, v. gr. navim, equos, etc., sive singuli idem, sive diversum contribuant, v. gr. unus pecuniam, alter operam, etc.

Dicitur 3° *ad commune lucrum*, ut designetur finis proximus societatis negotiatoriæ, de qua hic.

Dicitur 4° *et damnum*, quia æquum est ut cui commune est lucrum, ei commune sit damnum. Nam *dum societas*

[1] Nota. *La loi reconnaît trois espèces de sociétés commerciales : 1° la société en* nom collectif, *qui a pour objet de faire le commerce sous une* raison sociale, *c'est-à-dire sous le nom d'un être qui n'existe plus ou qui n'a jamais existé ; 2° la société en* commandite, *qui comprend un ou plusieurs associés responsables et un ou plusieurs bailleurs de fonds, que l'on nomme* commanditaires *ou associés en* commandite ; 3° *la société* anonyme, *qui n'existe point sous un nom social, mais elle est qualifiée par la désignation de l'objet et de son entreprise.* (Cod. commer., art. 19 et seqq.)

[2] Lib. IV, ff. *Pro socio.*

*contrahitur, tam lucri quam damni communio initur*[1]. Alias foret societas leonina per leges reprobata[2]. Dicitur enim *societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiat; et hanc societatem Leoninam solitum Cassium appellare.*

Dicitur 5° *secundum proportionem rerum contributarum;* quod ut recte dijudicetur, a principio societatis res contributæ debent æstimari, et ex illis debet fieri quasi una summa pecuniæ sociis omnibus communis, v. gr. sint duo socii, quorum unus confert mille aureos, alter operas et industriam, quæ æstimantur quingentis aureis; tunc stabilienda est societas, quasi hi duo socii contulissent in numerata pecunia 1500 aureos; qua finita, si lucrum sit sex aureorum, ex hac summa, qui pecuniam contulit, statim reportare debet *quatuor*, alter vero qui operam et industriam contulit, reportabit duo. Idem dicendum est de damnis et impensis ex societate provenientibus.

Notandum tamen quod accidere possit ut industria pluris valeat quam usus pecuniæ, et e contra valor industriæ aliquando decressit ob multitudinem petentium societatem, tunc lucrum dividendum est, habita ratione cujusque rei contributæ, ut ait S. Ligor.[3].

Quæres 2. *Quot modis vulgo contrahatur societas?*

Resp. Tribus :

*Primus*, quando omnes et singuli socii conferunt laborem, industriam et pecuniam.

*Secundus*, quando unus confert pecuniam, alter industriam, tertius laborem.

*Tertius*, quando unus pecuniam confert, alter industriam et laborem. Porro tres illi modi contrahendi sunt liciti, modo debitis vestiantur conditionibus.

Quæres 3. *Quænam ad justitiam societatis requirantur conditiones?*

Leg *Si unus est*, ff. *Pro socio.* — [2] Leg. *Si non fuerint*, ff. *Pro socio.* — Lib. IV, num. 907, quæst. 2.

Resp. *Qualuor* vulgo requiri. *Prima,* ut negotiatio in qua contracta est societas, sit licita, alioquin esset nulla [1].

*Secunda,* ut pecunia vere et realiter ponatur ad aliquam negotiationem quæ nata est ferre lucrum, alias esset usura palliata.

Hinc usurarius est, qui pecunias suas amico, qui peritia negotiandi caret, ea lege tradit, ut post aliquod tempus easdem restituat cum eo lucro quod probabiliter tulissent, si fuissent negotiationibus expositæ.

*Tertia,* ut lucrum, damnum, impensæ ex societate provenientia sociis sint communia pro rata parte quam quilibet contulit; unde quo plus in societatem quis contulit, tanto plus de lucro recipere debet [2].

*Quarta,* ut pecunia subjaceat periculo eam conferentis, *nisi aliter pactum sit,* hoc est, ut si pereat citra culpam latam vel levem socii (nam quisque diligentiam eamdem in societate ac in negotiatione privata debet), pereat ei qui contulit, quia hic retinet illius dominium, res autem domino perit; sicut vice versa, si salva unius pecunia labores alterius fructu careat, labores suos perdit qui laboravit.

Dixi *nisi aliter pactum sit,* nam si pactum fuerit de communione sortis, ut sicut damnum, ita ut sors ipsa communis sit, sors utrique perit.

Quæres 4. *An si, finita societate, nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, ea dividi debeat ipsum inter et alium qui operas pecuniæ æquivalentes contulit?*

Resp. *negative,* cum Div. Thom., Cabass., Navarr., Pontas [3], qui sic probant: *Si pecunia pereat, perire debet ei qui eam contulit: ergo, si supersit, eidem restituenda est, ut qui sentit onus, sentiat et commodum* [4]. Ita insuper de-

[1] Lib. *Si tibi arcæ meæ,* ff. *de Præscript. verb.* — [2] Vide supra, *dicitur* 5°. — [3] Div. Thom., 2 2, quæst. 78, art. 2, ad 5; Cabass., *Juris can. theor. et pract,* cap. 7, num. 3; Navar., cap. 17, num. 252; Pontas, V° *Société,* cas. 2. — [4] Cap. *Qui sentit, de Reg. jur.,* in 6.

claravit Pius V, Constit. *Detestabilis*, ubi decernitur sortem, finita societate, si restat, reddendam ei qui contulit, nisi fuerit communicata socio, ut sæpissime fit in societate de animalibus inita; tunc enim dividi debet sors et lucrum; sed tunc si sors pereat, quilibet debet perdere partem suam, ut servetur æqualitas.

Objicies 1. Si non dividatur sors inter conferentem et socium in casu proposito, non servatur æqualitas contractus societatis: ergo, ut servetur æqualitas, debet sic dividi.... Resp. *Nego ant.*

*Prob. ant.* Æqualitas societatis exigit ut omnia commoda et incommoda sint communia; atqui in casu proposito, si tota sors reddenda sit ei qui contulit, omnia commoda non erunt communia: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Æqualitas exigit ut omnia commoda et incommoda sint communia in iis quæ communicantur in societate, *conc.*; in iis quæ non communicantur, *nego maj.*; dum igitur sors, v. gr. pecunia, non communicatur quoad se, sed solum quoad usum et lucrum, æqualitas hujus contractus non postulat ut communis sit utrique socio, sicut nec postulat, ut commune sit illius periculum quoad se, sed solum quoad usum et lucrum.

Objicies 2. In nostra sententia, qui laborem et industriam posuit, deterioris esset conditionis: ergo iniquus est hic contractus. Resp. *Nego ant.*

*Prob. ant.* Qui posuit pecuniam, perderet quidem lucrum, sed reciperet suum capitale; socius vero perderet tum lucrum, tum capitale, laborem scilicet et industriam: ergo esset deterioris conditionis.

Resp. *Nego conseq.* Quia tantum perdit qui pecuniam suam negotiationi vulgo proficuæ expositam recipit sterilem, quam qui ex industria sua nihil percipit emolumenti; unus perdit operas, alter perdit usum suæ pecuniæ factæ lucrosæ per negotiationem; pretium autem operæ et industriæ socii, intelligitur correspondere usui pecuniæ, et

non proprietati. Adde quod ille qui pecuniam confert, duplici subjaceat periculo, amittendi scilicet pecuniam et lucrum illius; cum e contra, ille qui confert industriam, solum subjaceat uni periculo, scilicet lucrum amittendi; semper enim retinet facultatem ad similes industrias, ubi amittens pecuniam non retinet facultatem ad similes usus illius.

QUÆRES 5. *Quomodo finiatur societas?*

RESP. Finitur: 1° lapsu temporis ad societatem præfixi; 2° interitu rei, morte naturali alterius socii, nec transit ad hæredem de cujus industria non fuit stipulatum; 3° morte civili vel spirituali, hoc est, solemni professione Religionis; 4° interdictione alterius socii; 5° inculpabili impossibilitate rem promissam præstandi, vel si res contributa non amplius possit esse idonea, de quo in dubio judicis auctoritas decernit; 6° mutuo sociorum consensu, etiam tacito. Si quis autem invito socio intempestive recedat a societate, tenetur omnia damna compensare [1].

## APPENDIX I.

### *De societate animalium* (gallice *cheptel*) [2].

QUÆRES 1. *Quid sit societas animalium?*

RESP. Est conventio duorum vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in societatem con-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 907, quæst. 6, et Cod. civ., art. 1865 et seqq.

[2] Nota. *Il y a plusieurs sortes de cheptel: le cheptel simple ou ordinaire; le cheptel donné au fermier ou au colon; le cheptel à moitié; il y a encore une quatrième espèce de contrat impropre appelé cheptel.* Cod. civ. art. 1801.

*Si le cheptel périt en entier sans la faute du preneur, la perte en est pour le bailleur; s'il n'en périt qu'une partie, la perte en est supportée en commun d'après le prix de l'estimation originaire et celui de l'estimation à la fin du cheptel.* Cod. civ., art. 1810. — *On ne peut stipuler que le preneur supportera la perte totale du cheptel, quoique arrivée par cas fortuit et sans sa faute; — ou qu'il supportera, dans la perte, une part plus grande que dans le profit; — ou que le bailleur prélèvera, à la fin du bail, quelque chose de plus que le cheptel qu'il a fourni. — Toute convention semblable est nulle.* Art. 1811.

*Le cheptel à moitié est une société dans laquelle chacun des contractants*

ferunt, alii vero hæc animalia servant et pascunt, ut ex fructibus lucrum percipiant.

Quæres 2. *An sit licita societas animalium?*

Resp. Est licita sub tribus conditionibus :

*Prima*, ut animalia, quæ sine villici dolo vel culpa levi pereunt, non ipsi pereant, sed tradenti; quia tradens remanet eorum dominus [1].

*Resolves :* Defectu hujus conditionis, illicitum et usurarium esse contractum, qui latine *bestiæ redditio*, gallice *redbestie* dicitur, quo animalia traduntur in societatem hoc pacto : 1° ut in omnem eventum sors semper salva sit, tradentique ex integro restituenda, tametsi casu fortuito, absque accipientis dolo et negligentia pereat; 2° ut tradens partem lucri percipiat. Ita Div. Antonin. [2] dicens : *Cum quis dat rustico viginti capita, v. gr. boum, vaccarum, ovium, cum pacto ut sint firma in numero, vel in pretio ipsorum in omnem eventum; si totum lucrum sit rustici, sicut et damnum, licitum est; quia idem est ac si mutuasset ei pecuniam, de qua emisset tot capita. Si autem vult partem lucri, salvo suo capitali, usura est; quia illud lucrum vult ratione mutui. Et si quis vellet hunc contractum coccidam* (id est, societatem) *vocare, erit injusta, et obligatur talis ad restitutionem.*

*Secunda*, ut villicus animalia curet, pascat, conservet,

*fournit la moitié des bestiaux qui demeurent communs pour le profit ou la perte — Le preneur profite seul, comme dans le cheptel simple, des laitages, du fumier et des travaux des bêtes. Le preneur n'a droit qu'à la moitié des laines et du croît.* Art. 1818, 1819.

*Le cheptel donné au fermier* (*aussi appelé* cheptel de fer) *est celui par lequel le propriétaire d'une métairie la donne à ferme, à la charge qu'à l'expiration du bail le fermier laissera des bestiaux d'une valeur égale au prix de l'estimation de ceux qu'il aura reçus.* Art. 1821. — *Si le cheptel donné au colon périt en entier sans la faute du colon, la perte est pour le bailleur.* Art. 1827.

*Le cheptel improprement dit est celui où une ou plusieurs vaches sont données pour les loger et les nourrir, et que le bailleur en conserve la propriété. Il n'a alors que le profit des veaux qui en naissent.* Art. 1831.

[1] Ita Div. Thomas, quæst. 78, art. 2, ad 5 : Pius V, Bulla *Detestabilis*, Convent. Melodun., constit. *de Usuris*. — [2] Part. 2, tit. 1, cap. 7, § 39.

et accuratam lucri rationem reddat, ut bonus paterfamilias.

*Resolves:* Defectu hujus conditionis rusticos injustitiam committere multipliciter:

1° Si animalia in societatem tradita minore studio et diligentia curent, quam propria.

2° Si pinguiora sibi subtrahant, et alia macilentiora viliorisque pretii substituant.

3° Si pecora sibi tradita a lupis devorata falso affirment, ut ea in suam utilitatem convertant.

4° Si animalium a lupis occisorum pelles abscondant, sibique retineant, etc.

*Tertia*, ut in lucri divisione servetur æqualitas, ita ut tradens commensuratam capitali suo, accipiens vero adæquatam labori et industriæ partem recipiat, juxta peritorum in hac arte æstimationem, ut definivit de Sainte-Beuve [1].

QUÆRES 3. *Dum unus sociorum operam, alter pecuniam contulit, quomodo in fine societatis facienda sit divisio, ut servetur æqualitas?*

RESP. 1. Triplex potest esse eventus societatis, in qua non fuit facta communicatio sortis, seu pecuniæ ab uno socio collatæ. Vel enim : 1° invenitur sola sors sine lucro ; vel 2° invenitur damnum, seu jactura sortis in toto, vel in parte ; vel 3° invenitur lucrum.

Si 1°, sors absque lucro salva sit, debet integra reddi collatori, cui soli periisset, si periisset, nec ullo modo debet dividi ; divisio enim solum facienda est de eo quod in societate fuit communicatum, hocque solum postulat æqualitas societatis : ergo cum sors communicata non fuerit, de ea non est facienda divisio, ut supra probavimus.

Si 2° sors seu pecunia perierit, sive in toto, sive in

[1] Tom. II, cas. 120, 127, 141, 142, 144.

parte, soli istius collatori periit; nam si salva sit, soli collatori salva est: ergo æquitas postulat ut si pereat, pereat ponenti.

Si 3° lucrum inveniatur in fine societatis, ante omnia sors integra collatori restituenda est; deinde lucrum restans est dividendum inter socios æqualiter vel inæqualiter, pro rata æstimationis operæ, id est, prout opera æqualis vel inæqualis fuerit æstimationis cum pecunia ab altero socio collata; sicque justitia salvabitur, dum ei sors erit, cui periret. Sic servabitur æqualitas, dum pro rata dividitur, quod in commune collatum est, et uni pecuniæ, alteri operæ et industriæ fructus reddetur.

Resp. 2. Si in contractu societatis dominium sortis fuerit communicatum, ea in fine societatis dividenda est æqualiter, si operæ æstimatio sit æqualis cum æstimatione pecuniæ; inæqualiter, et pro rata, si sit inæqualis, in quo casu communicati pecuniæ dominii, ea utrique socio perit, si pereat, et utrique salva est, si salva maneat.

Quæres 4. *An contractus societatis, qui gallice vocatur* gazaille, *sit licitus?*

*Nota ante resp.* Sic celebrari hunc contractum: Petrus dat Paulo vaccas vel boves sub his conditionibus: 1° ut Paulus eas pascat, et Petro singulis annis det pro unaquaque vacca mensuram frumenti, quæ æstimatur quatuor libris; 2° ut Paulus unoquoque anno duodecimam capitalis partem acquirat; 3° ut, exacto sex annorum circulo, Petrum inter et Paulum ex æquo dividantur capitale et fructus (gallice *le fonds et le croît.*)

Resp. In hoc contractu (qui præter societatem continet et venditionem, cum Paulus emat singulis annis duodecimam partem capitalis), nihil esse mali, *modo* 1° id quod perit et nondum acquisitum est a Paulo *accipiente*, pereat *Petro danti*, id est, modo Paulus *accipiens* primo anno nullum subeat periculum; secundo anno subeat tantum periculum duodecimæ partis capitalis; tertio anno subeat pe-

riculum alterius duodecimæ partis, etc., pro ratione acquisitionis ab eo factæ.

*Modo* 2° id quod Paulus *accipiens* singulis annis recipit, aut in fine societatis recipiet, sit ejus industriæ aut labori commensuratum.

*Ratio* hujus decisionis est, quia in tali contractu plena reperitur æqualitas.

QUÆRES 5. *An sit justa societas, qua quis dat rustico certa capita ovium æstimata certo pretio, hoc pacto, ut rusticus non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens prius receperit totum suum capitale;* vel hoc pacto, *ut, antequam rusticus accipiat aliqua, restauret de fœtibus omnia capita mortua?*

RESP. Cum D. Antonino, hoc utrumque pactum esse valde iniquum, quia jura societatis violantur, ubi melior est conditio unius quam alterius; atqui in societate cum hoc utroque pacto inita, melior est conditio dantis quam accipientis, cum dans nullum, vel saltem minimum subeat periculum, quod totum vel fere totum rejicitur in accipientem: ergo, etc.

## APPENDIX II.

### *De tribus contractibus* (gallice *les trois contrats.*)

QUÆRES 1. *Quid sit contractus triplex?*

RESP. Est conventio qua pecuniam in societatem conferens paciscitur cum altero socio ut, quidquid contigerit, sibi sua sors integra reddatur, cum certo lucro, sed minore eo quo probabiliter sperare potuisset.

Dicitur *contractus triplex*, quia continet tres contractus: 1° societatis; 2° assecurationis sortis; 3° venditionis lucri majoris sperati et incerti, pro certo, sed minori.

QUÆRES 2. *Quomodo initur contractus triplex?*

RESP. Initur sub hac formula: *Ego, infra scriptus, attestor me recepisse a N. summa n tot nummorum in societatem legitimæ negotiationis, quam summam ipsi assecuro, et loco*

*lucri incerti majoris, quod eidem ratione societatis posset obvenire, promitto ipsi solvere cum summa capitali tot florenos, intra tale tempus, ita ut lucrum majus inde obventurum mihi cedat ; in quorum fidem,* etc.

QUÆRES 3. *An hic contractuum circulus ab usura sit immunis ?*

Ante responsionem

*Nota :* Tres contractus fieri posse : 1° inter eos qui societatem inierunt, sive simul et semel, sive successive et distinctis temporibus ; 2° posse fieri cum aliis extra societatem constitutis. Circa quod

*Certum videtur* tres contractus licite posse iniri cum personis extra societatem constitutis ; quia sic facti non se destruunt invicem aut interimunt. *Est communis* contra Moral. Gratianop.

Quæstio ergo est utrum fieri possint inter eos qui societatem inierunt.

RESP. *Duplex* est sententia. *Prima* sententia *negat* et

PROB. 1° *auctoritate* Sixti V, qui in Bulla *Detestabilis*, damnavit tres contractus tanquam illicitos et usurarios ; 2° *ratione :* aliquid accipere supra sortem sine titulo, est illicitum et usurarium ; atqui per triplicem contractum aliquid supra sortem accipitur sine titulo : ergo, etc.

*Prob. min.* Si quis est titulus, maxime societas ; atqui in triplici contractu societas non est titulus aliquid supra sortem recipiendi : ergo, etc... *Prob. min.* Societas destruitur per triplicem contractum : ergo, etc... *Prob. ant.* Ad essentiam societatis requiritur essentialiter damni lucrique communio et æqualitas ; atqui hæc communio et æqualitas plane tollitur per novam trium contractuum subtilitatem, cum unus socius certus sit de lucro et sorte : ergo societas destruitur per triplicem contractum.

*Confirmatur.* Quia contractus societatis cui accedit assecuratio sortis, degenerat in mutuum, cum pecunia sic

assecurata transeat in dominium assecurantis, qui de ea pro libitu disponere potest, ita ut, si perierit, ipsi pereat; certum est autem nullum lucrum reportari posse ex mutuo : ergo, etc. Ita Sotus, Habert, Concina, Contin. Tourn., et alii, apud S. Ligor., Billuart, Bouvier.

*Secunda* sententia, *multo communior* et satis probabilis, *affirmat*, modo accipiens teneatur pecuniam ad negotium applicare. Et

Prob. 1. Licite et juste cum diversis personis fiunt tres contractus, modo servetur æqualitas : ergo licite et juste cum eadem persona fieri possunt ; justitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non vero in relatione ad diversas personas ; atqui hæc æqualitas servatur in triplici contractu. Ergo, etc.

*Prob. min.* Æqualitas sistit in hoc quod æqualia sint commoda et incommoda alterutrius socii; atqui in hoc contractu æqualia sunt commoda et incommoda pro utroque socio : nam recipiens, assecurando tum de sorte, tum de lucro, licet majus sentiat incommodum, illud tamen compensat commodo majoris lucri; et e contra, conferens pecuniam, quamvis nullum sentiat incommodum ratione periculi, sentit tamen ratione minoris lucri : ergo servatur æqualitas : ergo, etc.

Prob. 2. Ille contractus licite et juste fit, qui, servata æqualitate, ut supra, non degenerat in mutuum, sed servatur societas ; atqui triplex contractus cum eadem persona non degenerat in mutuum ; ibi enim non est mutuum, ubi assecurans non fit dominus rei ; atqui hic assecurans non fit dominus rei : ergo, etc.

*Prob. min.* Assecurans non potest de re pro libitu disponere : 1° quia, vi contractus societatis, assecurans tenetur pecuniam socii in talem aut talem negotiationem ita impendere, ut nisi faciat, conferens pecuniam possit retrahere ; 2° quia pecunia in dominium non transfertur, nisi conferens velit ; atqui in casu trium contractuum,

conferens pecuniam non vult illius dominium transferre sed illius usum concedere: ergo, etc.; 3° quia si contingat socium assecurantem esse gravatum debitis, etiam hypothecariis, non possunt creditores ejus habere actionem super hanc pecuniam, et e contra posset eam dominus sibi vendicare tanquam suam; 4° quia in contractu commodati, locati, commodatarius, locatarius, non fiunt domini rei commodatæ vel locatæ per illius assecurationem: ergo nec socius assumens pecuniam ab altero socio in societate collatam.

Prob. 3. Ex lege *Si non fuerint* [1], ubi dicitur: *Ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, Cassius putat:* ergo societas non destruitur per assecurationem sortis, ac proinde non transit in mutuum. Ita Lessius, Navar., Lugo, Layman, Bonac., Mazzota, Salmant., etc., et fere omnes Academiæ apud S. Ligor. [2].

Ad Bullam Sixti V multipliciter *respondetur;* et quidem 1° quod ipse S. Pontifex viva voce declaraverit ibi nulla alia pacta reprobare voluisse, nisi usuraria, quod Cardinales quibus commissa fuerat cura hanc Bullam sanciendi, idem affirmaverunt; 2° quod Rota Romana [3], teste D. Lugo, decreverit præfatam Bullam solos comprehendere contractus usurarios de jure naturali vetitos, additis tamen maioribus pœnis; 3° quod tandem, ut dicunt Salmanticenses, Bulla vel recepta non fuit, vel usu in hac parte abrogata, siquidem adest consuetudo immemorabilis tali modo contrahendi, in Hispania, Gallia, Italia, et fere per totam Ecclesiam. De triplici contractu nihil speciatim habet Codex Civil., nequidem art. 1855.

Quæres *obiter. An similiter possit assecurari a socio capitale, omisso contractu emptionis lucri incerti pro certo?*

Resp. *negat.* Ratio Div. Thom. [4] et aliorum est, quod sit

[1] § *Ita.*, ff. *pro socio.* — [2] Lib. IV, num. 909. — [3] Sub die 3 jun., 1602. — [4] 2 2, quæst. 78, art. 3, ad 3.

de essentia societatis, ut conferens pecunias vel alias res in societatem, rei a se collatæ subeat periculum; secus non servaretur æqualitas.

## CAPUT III.

### DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

*Nota.* Contractus aleatorius definitur : ***Mutua conventio cujus effectus, tum quoad lucrum, tum quoad jacturam pendet ab incerto eventu.*** Quadruplex distingui potest: *fideiussio* et *assecuratio*, *ludus*, *sponsio* et *loteria*, quibus addi potest *census vitalitius*, de quo jam dictum est ubi de *censu*.

### ARTICULUS I.

#### DE FIDEJUSSIONE ET ASSECURATIONE.

QUÆRES 1. *Quid sit fidejussio* [1] ?

RESP. Est *contractus quo quis suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor principalis non solverit ;* et ob hanc conditionem aleatorius dici potest.

QUÆRES 2. *Quænam sint fidejussionis conditiones ?*

RESP. Sex recensentur : *Prima*, quod non plus obligetur fidejussor quam principalis debitor, adeo ut si obligatio principalis sit invalida, etiam fidejussio erit invalida ; quia accesorius debitor sequitur conditionem principalis [2].

*Secunda*, quod cesset fidejussio, si inter debitorem et creditorem novatio fiat in principali obligatione absque fidejussoris consensu [3].

*Tertia*, quod si adsint pro uno debito plures fidejussores, unusquisque pro rata sua parte illud solvere teneatur, nisi huic divisioni expresse renuntiaverit, in quo casu ad solutionem integram in solidum tenerentur [4].

[1] Vid. Cod. civ., art. 2011 et seqq. — [2] § 1 Instit., *de Fidejussoribus.*
[3] Leg. *Novatione facta*, eod. *de Fidejussorib.* — [4] § 4 Instit., *de Fidejussorib.*

*Quarta*, quod fidejussoris obligatio transeat ad hæredes[1].

*Quinta*, quod fidejussor non possit conveniri ad solvendum, nisi prius a principali debitore repetitum fuerit debitum, et constiterit eum non esse soluturum [2]; excipitur, si principalis debitor sit absens, nec habeat bona liquida quibus possit satisfieri creditori [3].

*Sexta*, principalis debitor tenetur erga fidejussorem de impensis pro ipso factis et damnis perpessis [4].

QUÆRES 3. *Quinam fidejubere possint ?*

RESP. Illi omnes qui possunt principaliter obligari, nisi a jure repellantur.

Repelluntur autem : 1° *filiifamilias*, nisi habeant bona castrensia aut quasi-castrensia.

2° *Minores et pupilli*, nisi pro patre incarcerato [5]. Si vero per alios fidejubeant, obligabuntur quidem naturaliter, sed beneficio restitutionis in integrum possunt fidejussionem revocare, quia semper præsumuntur læsi [6].

3° *Religiosus* fidejubere non potest sine licentia Superioris et majoris partis Capituli [7].

4° Quoad *mulieres*, fidejubere non possunt pro marito suo [8]; si tamen sit incarceratus, pro eo possunt fidejubere per instrumentum publicum tribus testibus suffultum, imo et pro aliis, de mariti sui consensu; qui si non adfuerit, possunt revocare suam fidejussionem beneficio senatusconsulti Velleiani [9].

QUÆRES 4. *An liceat pro fidejussione exigere pretium a debitore ?*

RESP. Id licitum esse pro ratione quantitatis debiti et periculi, quia fidejussio est onus pretio æstimabile : ergo fidejussor non tenetur illud gratis suscipere [10].

[1] § 2 Instit., *de Fidejussorib.* — [2] Novella 4, cap. 1. — [3] Ibid. — [4] Lucius III, cap. *Pervenit*, *de Fidejussor.* — [5] Authent. *Si captivi*, cod., *de ejusd.* — [6] Leg. *Ait prætor*, § *Non solum*, *ff. De min.* — [7] Cap. *Quod quibusdam*, *de Fidejussorib.* — [8] Authent. *Si qua mulier*, *ff. Ad senatusc. Vellcianum.* — [9] Leg. *Antiquæ*, § fin. eod. *Ad senatusc. Vellcianum.* — [10] Ita Fagnan., Sylvius, Navarr., Habert, Tournely, Antoine, contra S. Anton., Vantoy., Paulum a Lugd.

DICES CUM PAULO A LUGDUNO: Fidejussio est mutuum virtuale: ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Tum quia in mutuo etiam virtuali requiritur vera traditio quæ non reperitur in fidejussione, quæ est præcise susceptio obligationis alienæ; tum quia fidejussor nihil exigit pro solvenda creditori in locum debitoris pecunia, quod usurarium esse posse non negamus, sed pro subeunda obligatione, quæ est onus pretio æstimabile.

QUÆRES 5. *An creditor ex fidejussionis remissione lucrum reportare possit?*

RESP. Illud reportare posse a fidejussore ut eum liberet ab obligatione suscepta, quia talis remissio est pretio æstimabilis; verum non potest a debitore, si nempe cum ipso creditor pacisceretur de quadam summa a se reportanda, ut eum liberet ab obligatione fidejussorem constituendi, quia sic lucrum reportaret ex mutuo, cum creditor, ut dictum est alibi, fidejussor non possit esse pro suo debito.

QUÆRES 6. *Quid sit assecuratio, et quid ad ejus justitiam requiratur?*

RESP. 1. Est *contractus quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel certo pretio ad eam, si perierit, compensandam.* Si hæc obligatio gratis suscipiatur, est promissio gratuita; si pretio, est contractus similis venditioni, nam venditur obligatio præstandi domino rem indemnem, quæ obligatio est pretio æstimabilis.

RESP. 2. Ad justitiam hujus contractus tres requiruntur conditiones:

*Prima,* ut periculum subsit probabiliter, ita ut rei eventus sit utrique incertus; *secunda,* ut pretium sit proportionatum periculo, judicio viri prudentis, alioquin non servaretur æqualitas; *tertia,* ut assecuratus servet omnes contractus conditiones; unde turpiter errant qui putant se curis liberari sub prætextu assecurationis.

## ARTICULUS II

### DE LUDO, SPONSIONIBUS ET LOTERIA.

QUÆRES 1. *Quid sit ludus ?*

RESP. Est *contractus oblectantium animum, et deponentium aliquid cessurum victori.*

QUÆRES 2. *Quotuplex sit ludus ?*

RESP. *Triplex :* nimirum *ludus* qui sola fortuna regitur, ut ludus aleæ (*jeu de hasard*); *alius* qui sola industria regitur, ut ludus pilæ; *alius* mixtus, qui partim industria, partim fortuna regitur, ut plures chartarum ludi.

QUÆRES 3. *An ludus sit licitus ?*

RESP. Nullus ludus *per se* et spectato solo jure naturæ est illicitus; quia, sicut unusquisque potest rem suam alteri simpliciter et absolute dare, sic et eam potest in alium transferre sub conditione licita, puta, si ludendo victo exiterit. Imo necessarium est aliquando uti jocis et ludis, ita ut possit esse peccatum in defectu ludi, ut ait Angelicus [1].

Dixi *per se*, quia per accidens ludus etiam qui sola industria regitur, potest esse malus vel mortaliter vel venialiter, juxta gravitatem materiæ :

1° Dum qui ludit, rincipaliter lucrum intendit, nam finis proximus ludi est recreatio animi; unde sic ludens non caret culpa veniali.

2° Dum nimiam pecuniæ quantitatem exponit in detrimentum familiæ et creditorum.

3° Dum in eo nimium tempus consumit.

4° Dum propter eum a debitis officiis notabiliter se retrahit.

5° Dum propter eum peccandi periculo se committit, vel proximo præbet scandalum.

[1] 2 2, quæst. 168, art. 4.

6° Dum conditiones ex justitia in ludo requisitas non servat.

QUÆRES 4. *Quænam conditiones sint requisitæ in ludo?*

RESP. Quatuor recensentur: *Prima*, ut ludentes habeant liberam dispositionem eorum quæ exponunt; hinc qui lucratur a filiofamilias non habente castrensia, tenetur ad restitutionem.

*Secunda*, ut absit omnis fraus et dolus, exceptis illis quæ partes communi consensu censentur sibi condonare; hinc qui decipiunt in numero calculorum, speciali signo notando chartas; item qui in ludo inexpertum se simulans, alium ad ludum fraudulenter attrahit, peccat mortaliter, juxta Salmanticenses, et tenetur ad restitutionem, non solum lucri fraude acquisiti, sed et lucri quod alter certo aut probabiliter acquisiturus erat.

*Tertia*, ut absit coactio, ita ut qui minis, precibus importunis, alium ad ludum vel incipiendum vel continuandum impellit, perdere quidem possit, quia contractus est ex sua parte voluntarius, sed non lucrari; unde tenetur ad restitutionem.

*Quarta*, quod utrinque sit æquale periculum perdendi; quia contractus est utrinque onerosus; hinc qui de victoria certus est, si vicerit, tenetur ad restitutionem; item, qui æquale ei quod alter exposuit, non potest perdere, nec potest lucrari; unde si lucretur, tenetur restituere.

QUÆRES 5. *Quinam ludi sint jure positivo vetiti?*

RESP. Jure tum *canonico*, tum *civili* prohibitus est omnibus, etiam laicis, ludus saltem frequens aleæ.

PROB. PRIMA PARS. *De jure canonico;* ex Concilio Quinisexto, can. 50: *Nullus omnino, sive Clericus, sive laicus, ab hoc deinceps tempore alea ludere præsumat; qui secus fecerit, excommunicetur.* Idem statuitur aliis Canonibus [1].

[1] *Episcopus*, dist. 35, cap. *Clerici*, *de Vita et honest. Clericorum.*, Conc. Eliberit., can. 79.

PROB. SECUNDA PARS. *De jure civili* tum Cæsareo, ex toto titulo *de Aleatoribus;* tum antiquo Gallico, ex edictis Caroli Magni, S. Ludovici, Ludovici XIII.

*Hinc* patet ex pœna gravi apposita, eum peccare mortaliter, qui aleæ inservit, hoc est, qui tali ludo crebro lucri causa ludit; *nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem et moderate, non videtur mortale*, ait S. Antoninus [1]. Hinc tum aleatoribus ex professione, ut dicitur, tum domum suam aleatoribus ad ludendum locantibus deneganda est absolutio, nisi resipuerint, ut monet S. Carolus [2].

Certum est tamen inter Doctores laicis id non esse sub gravi prohibitum : imo probabilius est eos ne venialiter quidem peccare, quia juri *canonico* per consuetudinem fuit derogatum, et jus *civile* respicit tantum pœnas. Jus autem *Gallicum* duntaxat denegat actionem in foro externo, sive ad exigendum, sive ad repetendum quod voluntarie fuit solutum [3].

QUÆRES 6. *An qui alea lusit, teneatur in conscientia solvere?*

*Nota.* Quæstio procedit de magna summa, cum communiter doceant Theologi modicam summam debere solvi a victo, faveantque leges supra citatæ.

RESP. *negat.* Quia potest quis retinere, quod solutum statim coram judice repetere potest, juxta illud effatum jurisperitorum : *Exceptio et retentio ei competit, cui datur actio;* atqui, secundum leges civiles [4], qui in ludo aleæ notabilem summam perdidit, eam coram judice repetere potest : ergo si pro ea fidem dedit, non tenetur solvere. Sed

QUÆRES 7. *An qui rem alea lucratam recipit, teneatur restituere?*

[1] 2 p., t. I, cap. 23, § 8. — [2] In *Instruct. pro Confessariis.* — [3] Vide Cod. civ., art. 1965. — [4] Leg. *ff.* tit. *de Aleatoribus.*

Resp. 1. *Jure Cæsareo* et *Gallico* novo, non tenetur eam restituere ante sententiam judicis; quia, licet illæ leges statuerint talem contractum irritandum, non tamen ipso facto irritant: ergo vere transfertur dominium, licet caducum. In aliis autem ludis non prohibitis, victus solvere tenetur, quia conventiones sunt servandæ quando sine peccato servari possunt.

Quæres 8. *Quid sit sponsio* (gallice *gageure*)?

Resp. Est *contractus quo duo vel plures, de veritate vel eventu rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus qui veritatem fuerit assecutus.*

Ut hic contractus sit justus, necesse est: 1° ut eodem modo ab utroque accipiatur res de qua fit sponsio; 2° ut res sit utrique incerta, nisi alter certitudinem alterius, quam obtendit, condonet, quia tunc nec decipit alium quem monet, nec ei infert injuriam, et ipse sibi suam temeritatem imputare debet [1]; 3° ut sit circa licita, neque tenet obligatio contra mores. Post eventum tamen, non jubetur restitutio, quia non pro peccato, sed pro successu eventus recipitur pretium; generatim tamen loquendo, non caret culpa veniali, ut docet S. Ligor. [2], quia deest, ut plurimum, motivum cohonestans licitæ recreationis, et ab illo fideles avertendi sunt, in rebus præsertim majoris momenti, ob levitatem, imprudentiam, superfluas expensas, et alia mala quæ ex talibus sequi solent.

At prohibentur et irritantur omnes sponsiones circa S. Pontificis electionem, aut super ejusdem vitam vel mortem, ex Bulla Pii V *In eligendis*.

*Nota.* Cum liceat occasione profani spiritualia permutare, licet ponere preces pro ludi pretio, ut probat piorum usus. Secus, si unus luderet pecunia, alter vero precibus, id enim esset simonia. Ita S. Ligor. [3].

[1] Ita Navarr., Sanchez, Salmantic.. — [2] 1 Lib. IV, num. 869. — [3] Lib. IV, num. 882.

QUÆRES 9. *Quid sit loteria, et an sit licita?*

RESP. 1. Loteria definiri potest: *Contractus quo plures quamdum pecuniæ summam in commune ponunt, ac dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.*

RESP. 2. Loteria est licita, *modo adsint conditiones requisitæ.* Ratio, quia est emptio rei incertæ; quisquis autem potest emere rem incertam, sicut pro alicujus rei periculo pacisci: ergo, etc.

Dixi *modo adsint conditiones requisitæ,* nempe: *prima,* ut nulla sit fraus in schedulis vel numeris eligendis, nec in tradenda re quæ sorte obtigit; *secunda,* ut dominus loteriæ in lucro non excedat, sed pretium rei non sit majus, moraliter loquendo, ac si modo ordinario res venderetur. Multo majus tamen esse potest cum loteria fit in causas pias, idque concurrentibus innotescit; tunc enim ipsi libere consentiunt.

*Nota.* In Gallia prohibentur loteriæ publicæ, non vero privatæ, seu familiares, quæ vulgo ad causas pias vel ad jocum instituuntur.

## APPENDIX.

### DE PIGNORE, HYPOTHECA ET TRANSACTIONE.

QUÆRES 1. *Quid sit pignus?*

RESP. Est *contractus quo debitor rem aliquam* mobilem *creditori tradit ad securitatem debiti, ut ex ea possit peti solutio, si debitor non solverit.*

QUÆRES 2. *Quid sit hypotheca?*

RESP. Est *contractus quo debitor rem aliquam* immobilem *creditori obligat ad securitatem debiti.*

QUÆRES 3. *Quænam sint obligationes dantis pignus et hypothecam?*

RESP. 1° Tenetur rem non dare pluribus in pignus vel

hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis, alias deciperet creditores.

2° Tenetur creditori restituere impensas factas in pignoris conservationem [1].

3° Tenetur non vendere rem hypothecatam, nisi emptore prius monito de hypotheca, alias deciperet emptorem, qui rem oneratam pro libera emeret.

QUÆRES 4. *Quænam sint obligationes accipientis pignus et hypothecam?*

RESP. 1° Tenetur ad diligentem custodiam pignoris, quod tenetur restituere, si pereat ex ejus culpa gravi.

2° Tenetur non uti pignore, quia non ad usum, sed ad securitatem debiti datur.

3° Tenetur non vendere pignus, nisi debitor sit in mora solvendi, et eo prius monito.

4° Tenetur soluto integro debito statim restituere pignus, nam tunc cessat jus illud retinendi [2]; simul et fructus perceptos in debiti diminutione computare, nisi *interesse* debeantur.

5° Tenetur non apponere pœnam commissi, nimirum ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit, nam talis conventio ut exorbitans utroque jure prohibetur [3].

QUÆRES 5. *Quid sit transactio?*

RESP. Est *conventio onerosa qua res* dubia et lite incerta *componitur inter partes.*

Dicitur 1° *res dubia*, quia si jus unius partis esset certum, altera pars non posset sine injuria cum ipsa transigere [4].

Dicitur 2° *lite incerta*, quia finis transactionum est diremptio litis; unde si ignorantibus partibus lis in supremo

[1] Leg. 25 *de Pignor. act.* — [2] Leg. 6, *ff. Quibus modis pignus.*
[3] Cap. 7 *de Pignor*, leg. ult. *de Pignor.* — [4] Leg. *Qui transigit*, *ff. de Transact.*

judicio fuerit judicata ante factam transactionem, transactio est nulla.

Dixi *in supremo judicio*, quia si in subalterno fuerit judicata, valet transactio, cum tunc lis non censeatur finita [1].

[1] Leg. *Et post rem., ff. de Transact.*

VIRIS INDICIS BREVIS.

# INDEX ANALYTICUS

## TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.


PRÆLUDIUM DE NATURA VIRTUTIS RELIGIONIS. . . . . 1

Quæres 1. Quid sit religio? — Religio (a *relegendo* vel *religando*) sumitur : 1° pro societate christiana ; 2° pro cœtu quorumdam qui, votis solemnibus adstricti, sub regula ab Ecclesia approbata, Deo inserviunt ; 3° pro virtute morali (de qua tractatus instituitur), et definitur : Virtus moralis per quam Deo, tanquam rerum omnium principio, cultus exhibetur. . 1

Quæres 2. Quomodo Deus coli debeat ? — Actibus internis et externis. Unde . . . . . 3

DISSERTATIO I. De actibus internis religionis. . . . . 3

*Nota :* (Actus interni religionis sunt duo, nempe : *devotio* et *oratio*. Hinc)

CAPUT I. De devotione. . . . . 3

Quæres 1. Quid sit devotio? — Est volitio efficax tradendi se prompte ad ea quæ pertinent ad cultum Dei. . . . . 3

Quæres 2. Quot sunt genuini devotionis effectus? — Duo, nempe : *ætitia spiritualis* et *tristitia*.. . . . . 4

Quæres 3. Quisnam sit finis devotionis? . . . . . 5

Quæres 4. Quid sit christiana perfectio, et an omnes ad illam obligentur? — Perfectio christiana est consecutio plena et absoluta nostri finis ultimi, et quodam sensu omnes obligat. 5

CAPUT II. De oratione. . . . . 6

Quæres 1. Quid sit oratio ? — Est actus religionis quo res decentes a Deo postulamus cum ascensu mentis ad Deum. . . 6

ARTICULUS 1. De divisione orationis. . . . . 8

Quæres 1. Quotuplex sit oratio ? — Duplex : *mentalis* et *vocalis*. 8

Quæres 2. An meditatio necessaria sit omnibus fidelibus adultis? — Sic, si accipiatur ut mera et simplex rerum divinarum consideratio, abstrahendo a peculiari forma ac methodo. 8

Quæres 3. Quotuplex sit oratio vocalis ? — Duplex, nempe : *privata* et *publica*. . . . . 10

Articulus 2. De iis quæ necessaria sunt ut oratio pie fiat. . 11
Quæres 1. Quot necessaria sint ut oratio pie fiat?— Tria, nempe: præparatio, attentio et perseverantia. . . . . 11
Quæres 2. Qualis præparatio requiratur ante orationem?—Duplex, scilicet: *remota* et *proxima*. . . . . 11
Quæres 3. Qualis attentio requiratur ad orationem ut sit meritoria? . . . . . 11
Quæres 4. An necessaria sit perseverantia in oratione?—Sic. 12
Articulus 3. De necessitate orationis, et de iis pro quibus est orandum. . . . . 12
Quæres 1. An oratio sit necessaria ad salutem? — Sic. . 12
Quæres 2. Quandonam obliget orationis præceptum?—Aliquando per se, aliquando per accidens. . . . . 13
Quæres 3. Pro quibus sit orandum? . . . . . 13
Dissertatio II. De actibus externis religionis. . . . . 14
Quæres 1. Quot sint actus externi religionis? — Quatuor: 1° *adoratio*; 2° *sacrificium*, *oblationes* et *decimæ*; 3° *votum*; 4° *juramentum* et *adjuratio*. . . . . 14
Caput I. De decimis. . . . . 15
Quæres 1. Quid sint decimæ?— Decima pars fructuum, quæ quotannis Ecclesiæ ministris solvitur. Sunt *majores* vel *minores*. . . . . 15
Quæres 2. Quo jure debeantur decimæ? . . . . . 15
Quæres 3. An solutio decimarum sit actus religionis? . . 15
Quæres 4. Quibus debeantur decimæ?—Ecclesiæ ministris. 16
Caput II. De voto. . . . . 16
Articulus 1. De natura voti. . . . . 16
Quæres: Quid sit votum? — Est promissio deliberata et spontanea,— Deo facta,— de bono meliori et possibili. . . 16
Articulus 2. De materia voti. . . . . 20
*Nota:* (1° Votum strictissime et propriissime dictum debet esse de materia supererogationis et consilii; 2° tamen votum proprie dictum potest recte et valide fieri de operibus aliunde præceptis).
Quæres 1. Quid requiratur ad votum ex parte rei promissæ? — Tria, ut ex definitione patet, scilicet: 1° ut sit *de bono*, quia ad malum nemo obligari potest; 2° *de bono meliori*, id est, tale ut sit Deo gratius quam ejus oppositum; 3° *de bono possibili*, quia ad impossibile nemo tenetur . . . . . 20
Quæres 2. Si una pars materiæ voti sit possibilis, altera impossibilis, an vovens teneatur ad partem possibilem?—Dist. 21
Articulus 3. De divisione voti. . . . . 23
Quæres: Quotuplex sit votum?— Multiplex, nempe: 1° *reale*,

*personale* et *mixtum*; 2° *absolutum* et *conditionatum*, 3° *solemne* et *simplex*. . . . . 23
Articulus 4. De obligatione voti. . . . . 23
Quæres 1. An votum sit obligatorium? — Sic, ut constat Scriptura, SS. Patribus et ratione. . . . . 23
Quæres 2. Qualis sit obligatio voti? — Gravis ex genere suo. 24
Quæres 3. Quænam materia voti censeatur gravis? . . . 24
Quæres 4. An materiæ leves in votis possint secum coalescere, et gravem materiam efficere? — Sic, si promittantur per modum unius. . . . . 24
Quæres 5. Quandonam impleri debeat votum? . . . . 25
Quæres 6. An qui ex impotentia vel negligentia votum tempore præfinito non implevit, teneatur postea implere? . . 26
Quæres 7. An qui prævidet impedimentum in adimpletione voti ad aliquod tempus determinati, tempus illud teneatur prævenire? — Distinguendum. . . . . 27
Quæres 8. An aliquis voto alieno ligari possit? — Non. . 27
Quæres 9. Quandonam obliget votum conditionatum? . . 28
Quæres 10. An obligetur et peccet qui ponit causam ut conditio non impleatur? — Distinguendum. . . . . 28
*Nota:* (Vota semper interpretanda sunt juxta benigniorem partem; unde plures resolutiones).
Articulus 5. De modis quibus cessat obligatio voti. . . . . 30
Quæres: Quot modis cesset obligatio voti? — Quatuor, nempe: per seipsam, per irritationem, per dispensationem et commutationem. Unde . . . . . 30
§ 1. De cessatione obligationis per seipsam. . . . . 30
Quæres: Quomodo cesset obligatio voti per seipsam? — Cessat quatuor modis. . . . . 30
§ 2. De voti irritatione. . . . . 32
Quæres 1. Quid sit irritatio voti? — Est ejus annullatio ab eo cujus potestati dominativæ subjecta est persona vovens, vel materia voti. . . . . 32
Quæres 2. Quotuplex sit irritatio? — Duplex: *directa* et *indirecta*. . . . . 32
Quæres 3. Quænam vota irritari possint? . . . . . 32
Quæres 4. Quinam possint irritare vota directe? . . . . 33
Quæres 5 Quinam possint irritare vota indirecte? . . . 33
Quæres 6. An valida sit irritatio voti facta absque causa? — Sic, quamvis illicita. . . . . 35
§ 3. De dispensatione voti et ejus commutatione. . . . 35
*Nota:* (Dispensatio voti est ejusdem relaxatio, vice ac nomine Dei facta, ab eo qui legitimam potestatem habet).

Quæres 1. Quinam possint dispensare a votis? — Jure ordinario, ii soli qui jurisdictionem spiritualem habent in foro externo. . . . . 35
Quæres 2. Quænam sint vota Papæ reservata? . . . . . 36
Quæres 3. Potestne aliquando Episcopus dispensare in votis Papæ reservatis? — Sic, positis ponendis. . . . . 37
Quæres 4. An ad valorem dispensationis requiratur justa causa? —Sic. . . . . 38
Quæres 5. Quænam sint justæ causæ dispensandi a votis? — Tres. . . . . 38
Quæres 6. Quinam possint commutare vota? — Dist. . . 38
*Nota:* (Commutatio voti est substitutio operis honesti, loco alterius Deo promissi, sub eodem vinculo).
Quæres 7. An si commutatio fiat in minus sine justa causa, non solum sit illicita, sed etiam invalida? Disputant. . . 39
Articulus 3. De juramento et adjuratione. . . . . 40
Quæres 1. Quid sit juramentum? — Est attestatio divini numinis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam. . 40
Quæres 2. Quid sit adjuratio? — Est actus religionis, quo quis alterum rogat, vel ei præcipit per Deum. . . . . 40
Quæres 3. Quotuplex sit juramentum? — Dividitur in *assertorium*, *promissorium* et *execratorium*, *solemne* et *simplex*. 40
Quæres 4. Quænam formulæ sint juratoriæ? . . . . . 41
Quæres 5. An juramentum sit licitum? — Sic, positis ponendis. . . . . 42
Quæres 6. Quot requirantur conditiones ut juramentum sit licitum? — Tres: veritas, judicium et justitia. . . . . 43
Quæres 7. Quandonam non obliget juramentum promissorium? . . . . . 44
Quæres 8. An quis ex juramento ficto et doloso obligetur? 45
Quæres 9. An obliget juramentum fictum contra prius juramentum? — Distinguendum. . . . . 46
Quæres 10. Quomodo tollatur juramenti promissorii obligatio? . . . . . 47
Quæres 11. An liceat exigere juramentum ab eo qui prævidetur pejeraturus? . . . . . 47
Dissertatio III. De vitiis religioni oppositis. . . . . 48
*Nota:* (Peccata religionis opposita, alia sunt per *excessum*, et tunc *superstitio;* alia per defectum, et tunc *irreligiositas* vocantur. Unde)
Caput I. De superstitione et ejus speciebus. . . . . 49
*Nota:* (Superstitio est cultus vitiosus veri vel falsi numinis; unde duplex genus superstitionis).

Articulus 1. De speciebus superstitionis falsi numinis. . . 49
§ 1. De idololatria. . . . . 59
Quæres 1. Quid sit idololatria? — Est cultus divinus creaturæ exhibitus; duplex est: *interna* seu *formalis*, et *externa* seu *materialis*. . . . . 49
Quæres 2. Quomodo cultus divinus transferatur per homines ad creaturas? . . . . . 50
Quæres 3. Quænam sint idololatriæ causæ? — Duplex est: alia *consummativa*, quæ est vel inordinatio affectus erga aliquem hominem, vel naturalis delectatio de repræsentatione, vel ignorantia Dei veri; et alia *dispositiva*. . . . . 51
§ 2. De divinatione. . . . . 52
Quæres 1. Quid sit divinatio? — Est occultorum inquisitio ope dæmonis ad hoc invocati. . . . . 52
Quæres 2 Quot sint species divinationis? — Tres, nempe: *necromantia*, *astrologia judiciaria* et *sortilegium*. . . . 52
*Nota:* (Sors triplex est, nempe: *divisoria*, *consultatoria* et *divinatoria*).
Quæres 3. Quale sit peccatum divinatio? — Mortale. . . 54
Quæres 4. Quid sentiendum de virga bifurcata, quæ dicitur divinatoria? . . . . . 55
Quæres 5. An liceat veritati per dæmoniorum invocationem obtenta fidem adhibere, nostramque rationem agendi secundum illam disponere? — Sic, *per se loquendo*. . . . . 56
Quæres 6. An liceat somniis fidem adhibere? — Dist. . . 57
§ 3. De vana observantia. . . . . 58
Quæres 1. Quid sit vana observantia et quotuplex? — Ad primum, est superstitio qua, ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia et improportionata. — Ad secundum, tot sunt species vanæ observantiæ, quot sunt effectus qui per eam intenduntur; unde dividitur in *artem notariam*, *observantiam futurorum eventuum*, *observantiam sacrorum*, et *observantiam sanitatum*. . . . . 58
Quæres 2. Quale sit peccatum vana observantia? — Mortale. 59
Quæres 3. Utrum aliquæ observantiæ in variis peregrinationibus observari solitæ, sint ab omni superstitione immunes? 60
§ 4. De magia et maleficio. . . . . 61
Quæres 1. Quid sit magia, et quale peccatum? — Ad primum, est ratio operandi mira ope dæmonis, explicite vel implicite invocati. — Ad secundum, est peccatum mortale. . . . 61
Quæres 2. Quid sit maleficium, et quotuplex? — Ad primum, est ratio nocendi aliis ope dæmonis. — Ad secundum, duplex est, nempe *veneficium*, et *amatorium* seu *philtrum*. . . 62

Quæres 3. Quid sentiendum de magnetismo animali? . . 65
(Magnetismus est principium speciale,— natura fluidum,— in nervorum systemate residens,— transmissibile de uno vivente corpore ad aliud, — per contactum vel simplicem actum voluntatis. — Ejus *existentia* est prorsus certa ; ejus *effectus* est præcipue status somnambulismi et mira scientia ; ejus *causa*, circa quam triplex est sententia, non videtur semper ab omni operatione dæmonis libera ; quoad *licitatem*, non est adhuc definita).
Quæres 4. Quid sentiendum de mensis circulatoriis, vulgo *tables tournantes*? . . . . . 67
Articulus 2. De speciebus superstitionis veri numinis? . . 67
(Superstitio veri numinis est cultus indebitus Deo vero exhibitus, et est duplex : *cultus falsus* et *cultus indebitus*).
Caput II. De irreligiositate. . . . . 68
*Nota :* (Irreligiositas est peccatum quo Deus in re, vel in rebus aut personis sacris inhonoratur ; est quintuplex, nempe : tentatio Dei, sacrilegium, blasphemia, perjurium et simonia. Unde)
Articulus 1. De tentatione Dei. . . . . 68
Quæres 1. Quid sit tentatio Dei? — Est dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere expectatum. . . . . 68
Quæres 2. Quale peccatum sit tentatio Dei? — Mortale. . . 69
Articulus 2. De sacrilegio. . . . . 70
Quæres 1. Quid sit sacrilegium? — Est violatio rei sacræ. . 70
Quæres 2. Quotuplex sit sacrilegium? — Triplex, nempe : *personale*, *reale* et *locale*. . . . . 70
Quæres 3. Quale peccatum sit sacrilegium? — Mortale. . . 71
Articulus 3. De blasphemia. . . . . 73
Quæres 1. Quid sit blasphemia? — Est contumeliosa in Deum locutio. . . . . 73
Quæres 2. Quotuplex sit blasphemia? — Quadruplex, nempe : *hæreticalis*, *imprecativa*, *juratoria* et *detestativa*. . . 73
Quæres 3. An sit blasphemia maledicere vivis, vel sibi ipsi? — Non, nisi maledicantur prout creaturæ Dei. . . . . 75
Quæres 4. An blasphemia sit maledicere defunctis? — Non. 75
Quæres 5. Quale peccatum sit blasphemia? — Mortale. . . 75
Quæres 6. An appellatio nominis Dei vel Jesu, non contumeliosa, sed per modum loquendi, v. gr. o Jesus! sit blasphemia? — Non. . . . . 77

## TRACTATUS DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Dissertatio I. De Prudentia. . . . . 78
Quæres 1. Quid sit prudentia?—*Largius* sumpta, idem est ac quælibet cognitio veri; *stricte* autem est virtus moralis qua discitur quid in quolibet negotio agendum sit vel fugiendum. 78
Quæres 2. Quid sit objectum prudentiæ? — Duplex est, nempe: *materiale* et *formale*. . . . . 79
Quæres 3. An necessaria sit prudentia? — Sic. . . . . 79
Quæres 4. Quot sint officia, seu actus prudentiæ? — Tria: bene consultare, bene judicare et bene imperare. . . . . 80
Quæres 5. An prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus? . . . . . 80
Quæres 6. Quot sint partes justitiæ? — 1° *Partes integrales* sunt memoria, intelligentia, providentia, solertia, docilitas, ratio, circumspectio et cautio. — 2° *Partes potentiales* sunt eubulia, synesis et gnome. — 3° Prudentia est *personalis* vel *gubernatrix* quæ est *œconomica* et *politica*. . . . . 81
uæres 7. Quænam sint vitia opposita prudentiæ? . . . 82
Dissertatio II. De Fortitudine.. . . . . 84
*Nota:* (Fortitudo, *late* sumpta, est animi firmitas in bono honesto arduo; *stricte* autem est virtus cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis, tempore et loco debito aggredienda, et ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios).
Quæres 1. An martyrium sit actus fortitudinis? — Sic. . . 84
Quæres 2. Quænam sint vitia fortitudini opposita? — Duo, nempe: temeritas et ignavia. . . . . 58
Quæres 3. Quænam sint virtutes fortitudini adjunctæ?—Quatuor: magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia. 85
Dissertatio III. De Temperantia. . . . . 86
Quæres 1. Quid sit temperantia? — Est virtus moralis quæ, juxta rectæ rationis dictamen, moderatur affectum usumque voluptatum, gustus et tactus. . . . . 86
Quæres 2. Quot sint vitia temperantiæ opposita? — Duo. . 86
Quæres 3. Quot sint partes integrales temperantiæ?— Duo, scilicet: verecundia et honestas. . . . . 87
Quæres 4. Quot sint species temperantiæ? — Quatuor, nempe: abstinentia, sobrietas, castitas et pudicitia. . . . . 88
Quæres 5. Quotuplex sit castitas? — Triplex, scilicet: *virginalis*, *conjugalis* et *vidualis*. . . . . 88
Quæres 6. Quænam sint impedimenta castitatis eorumque reme-

dia? — Duo sunt impedimenta, ex D. Thom.: aliud *ex parte corporis*, aliud *ex parte animæ*, aliud *ex exterioribus*. 8
Quæres 7. Quot sint virtutes temperantiæ annexæ? — Septem nimirum: continentia, clementia, mansuetudo, modestia, humilitas, studiositas et eutrapelia, seu jucunda urbanitas. 91
Articulus 1. De peccatis quæ contra modestiam committuntur. 94
Quæres 1. Utrum ornatus mulierum sint liciti? — Licent *per se*, quamvis illiciti fieri possint ratione pravi finis, scandali, causæ, vel injuriæ. . . . . 94
Quæres 2. Utrum licitum sit uti fucis? — Non, sine causa. 96
Quæres 3. Utrum licitum sit uti larvis, et personatum agere? 96
Articulus 2. De peccatis quæ contra eutrapeliam committuntur. 97
Quæres 1. An choreæ sint licitæ? — Sic, positis ponendis. . 97
Quæres 2. Utrum exercitium artis theatricæ sit licitum? — *Generaliter loquendo* est graviter peccaminosum. . . . . 99

## TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

Pars prima. De natura et principiis justitiæ et juris. . . . 101
Dissertatio I. De notionibus generalibus justitiæ et juris. . . 101
Caput I. De justitia. . . . . 102
Articulus 1. De essentia justitiæ. . . . . 102
Quæres: Quid sit justitia? — Justitia tripliciter sumitur: 1° pro *gratia sanctificante;* 2° pro *complexione omnium virtutum;* 3° pro *speciali virtute morali*, de qua hic, et definitur: Virtus moralis — firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum — ad æqualitatem. . . . . 102
Articulus 2. De divisione justitiæ. . . . . 104
Quæres 1. Quomodo dividatur justitia? — Dividitur in *legalem commutativam*, *distributivam* et *vindicativam*. . . . . 104
Quæres 2. Quid sit justitia legalis, seu generalis? — Est virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum Reipublicæ debitum, ratione juris alti quod habet in personas privatas et eorum bona. . . . . 104
Quæres 3. Quotuplex sit justitia legalis? — Duplex: *imperans* et *exequens*. . . . . 104
Quæres 4. An justitia legalis sit quædam specialis virtus? — Sic. . . . . 105
Quæres 5. Quid sit justitia commutativa? — Est virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigorosum secundum proportionem arithmeticam. — Duplex est: *arithmetica* et *geometrica*. . . . . 105
Quæres 6. Quid sit justitia distributiva? — Est virtus moralis in-

clinans eum qui communitati præest ad distribuenda officia et præmia juxta meritum, vel ad irrogandas pœnas juxta modum culpæ. . . . . 106
Quæres 7. Quænam ex variis speciebus justitiæ, sit *stricte dicta* justitia? — Sola justitia commutativa. . . . . 106
Articulus 3. De objecto justitiæ. . . . . 108
Quæres 1. Quodnam sit objectum materiale justitiæ? — Res vel actio debita et reddenda. . . . . 108
Quæres 2. Quodnam sit objectum formale justitiæ? — Res aut actio prout stricte debita et ad æqualitatem reddenda. 108
Dissertatio II. De jure. . . . . 109
Caput I. De jure in genere. . . . . 109
*Nota:* (Jus accipitur: 1° pro *lege;* 2° pro *re justa;* 3° pro *scientia juris;* 4° pro *sententia judicis;* 5° et pro *legitima facultate ad aliquid*, de qua hic, et definitur: legitima facultas ad aliquid vel faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo disponendum in suum commodum).
Quæres 1. Quomodo dividatur jus? — Stricte acceptum, dividitur in *jus in re* et *jus ad rem*. . . . . 110
Quæres 2. Quænam requirantur ut aliquis habeat jus in re? — Tria: existentia rei, titulus et traditio. . . . . 111
Quæres 3. Quodnam discrimen intercedat inter eum qui habet jus in re, et eum qui habet jus ad rem? . . . . . 111
Quæres 4. In quo differant jus naturale et positivum? . . 111
Caput II. De jure in specie. . . . . 111
Quæstio I. De quinque primis speciebus juris, nimirum de usu, usufructu, servitute, habitatione et superficie. . . . 113
Articulus 1. De usu. . . . . 112
*Nota:* (1° Usus duplex est: *juris*, scilicet, et *facti;* 2° usus juris est jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia).
*Conclusio.* In rebus etiam unico actu consumptibilibus, separabilis est usus facti a dominio. . . . . 114
(Constat: 1° ex SS. Pontif. Nicolao III, Clement. V et Alex. IV; 2° quia non repugnat usum harum rerum concedi posse, non concesso dominio.)
Objectiones. . . . . 114
Quæres: Ad quid teneatur usurarius? . . . . . 116
Articulus 2. De usufructu. . . . . 117
Quæres 1. Quid sit usufructus? — Est jus utendi et fruendi rebus alienis, salva earum substantia. . . . . 117
Quæres 2. Ad quid teneatur fructuarius, ut salva maneat rei substantia? — Ad quinque. . . . . 118

Quæres 3. Quomodo acquiratur usufructus? . . . . . 119
Quæres 4. Quomodo amittatur usufructus? . . . . . 119
Articulus 3. De servitute. . . . . 119
*Nota:* (Servitus dupliciter sumitur: 1° *active*, et est jus quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat; 2° *passive*, et est subjectio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia).
Quæres 1. Quotuplex sit servitus? — Duplex: *realis*, scilicet, et *personalis*. . . . . 130
Quæres 2. Quomodo dividatur servitus realis? — 1° Ratione originis, est *naturalis*, *legalis* et *conventionalis*; 2° ratione modi, est *continua* et *non continua*, *apparens* et *occulta*; 3° est *urbana* vel *rustica*. . . . . 120
Quæres 3. Quot sint servitutes tum urbanæ, tum rusticæ? 120
Quæres 3. Quænam sint jura et obligationes servitutum? 121
Quæres 4. Quomodo extinguatur servitus?—Quadrupliciter. 122
Articulus 4. De habitatione et superficie. . . . . 122
Quæres: Quid sint habitatio et superficies?—1° Habitatio est jus habitandi in alienis ædibus, salva earum substantia; — 2° superficies est jus quo quis alieni fundi superficiem possidet, et in eo ædificare potest. . . . . 122
Quæstio II. De principaliori specie juris, nimirum de dominio et possessione. . . . . 123
Articulus 1. De essentia et divisione dominii. . . . . 123
Quæres 1. Quid sit dominium in genere? — Est jus gubernandi subditos, vel disponendi de re tanquam sua; unde duplex est: *jurisdictionis*, scilicet, et *proprietatis*. . . . . 123
Quæres 2. Quomodo dividatur dominium jurisdictionis? — In *ecclesiasticum* et *civile*. . . . . 124
Quæres 3. Quomodo dividatur dominium proprietatis? — Dividitur in *altum* et *humile*, quod est *perfectum* et *imperfectum*, quod iterum est *directum* et *utile*. . . . . 124
Quæres 4. Quænam requirantur ad dominii acquisitionem? — Duo: titulus et traditio *ordinarie*. . . . . 125
Quæres 5. Quid sit titulus? — Est radix unde dominium aut jus quodvis oritur. . . . . 126
Quæres 6. Quotuplex sit titulus? — Triplex, nempe: *verus*, *coloratus* et *præsumptus*. . . . . 126
Articulus 2. De possessione. . . . . 127
Quæres 1. Quid sit possessio? — Possessio *facti* est rei apprehensio, corporis, animi et juris adminiculo; — possessio *juris* est jus insistendi rei tanquam suæ non prohibitæ possideri. . . . . 127

Quæres 2. Quomodo iterum dividatur possessio? — Dividitur in *naturalem* et *civilem*. . . . . 128
Quæres 3. Quomodo acquiratur possessio? — Tripliciter : *apprehensione vera, apprehensione ficta* et *legis dispositione*. 129
Quæres 4. Quomodo amittatur possessio? . . . . . 130
Quæres 5. Quinam sint effectus possessionis? . . . . . 130
Articulus 3. De origine dominii proprietatis seu possessionis. . . . . 130
Quæres 1. Undenam repetenda sit origo dominii proprietatis? — Dominium quod homines habent in seipsos ex natura profluit; dominium vero rerum temporalium ex divisione rerum, tanquam ex prima radice, dimanavit. . . . . 130
Quæres 2. Quo jure et quando facta sit rerum temporalium divisio? — Non oritur a jure divino, jure naturali, jure gentium, aut jure civili ; sed oritur ex illa facultate connaturali quam habet homo sibi vindicandi ea quæ nullius sunt, et ita sibi suas facere, ut alterius esse nequeant absque suo consensu. . . . . 131
Quæres 3. An divisio rerum sit licita et necessaria? — Ad primum, est licita (*est de fide*); ad secundum, non est necessaria *per se*, sed tantum propter circumstantias. . . 134
Quæstio III. De subjecto et de objecto dominii, seu quinam et quarum rerum habeant dominium. . . . . 136
Articulus 1. De subjecto et objecto dominii in genere. . . 136
Quæres 1. Cuinam competat dominium? — Omni et soli naturæ intellectuali, nempe Deo, Angelo et homini : 1° quia fundamentum dominii est intellectus et libertas ; 2° quia ratio dominii includit potestatem liberam et ordinariam in aliquem finem; 3° quia sic Scriptura. . . . . 136
Articulus 2. De objecto dominii in genere. . . . . 138
Quæres 1. Quarum rerum homo, prout homo, sit dominus? 138
Quæres 2. An homo sit dominus suæ famæ? — Sic, *per se*. 138
Quæres 3. An Principes vel Respublica dominium habeant in cives? — Habent tantum dominium indirectum. . . 140
Quæres 4. An homo possit esse dominus alterius hominis? — Sic, ex jure gentium et civili. . . . . 140
Quæres 5. An homo sit dominus suæ vitæ et membrorum? — Habet tantum dominium utile, non vero directum, qui solius est Dei. Unde plures resolutiones. . . . . 141
Articulus 3. De subjecto dominii in specie. . . . . 144
1. De dominio filiorum. . . . . 144
Quæres 1. Quarum rerum filiifamilias nondum emancipati, dominium habere possint? . . . . . 144

*Nota :* (Bona filiorum familias sunt quadruplicis generis: *castrensia, quasi castrensia, adventitia* et *profectitia*).

(Resp. *Ex jure Rom.* Filiifamilias bonorum castrensium et quasi-castrensium habent plenum dominium ; adventitiorum habent tantum dominium directum, non vero utile ; profectitiorum autem nec directum, nec utile habent dominium. — Aliud disponit *jus Gallicum*).

Quæres 2. An filiusfamilias habeat dominium plenum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis ? — Dist. . 146

Quæres 3. An filius censeatur renuntiare usufructui ad quem jus habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipit ? — Non, *generatim*. . . . . 147

Quæres 4. An filius habeat dominium eorum quæ in domo paterna lucratur ? — Distinguendum. . . . . 147

Quæres 5. Utrum bona a filiisfamilias in domo paterna proprio labore comparata, profectitia sint, an adventitia ? — Dist. . . . . 147

§ 2. De dominio uxorum. . . . . 149

Quæres 1. Quarum rerum uxores possint habere dominium? 149

*Nota :* (Bona uxoris sunt triplicis generis, nempe : *paraphernalia, dotalia* et *communia*).

(Resp. 1° *Ex jure Romano*, uxor habet dominium perfectum bonorum paraphernalium, dominium directum dotis, et proprietatem, pro dimidia parte, bonorum communium. — 2° *Ex jure Gallico*, aliud statuitur, secundum diversum regimen civile sub quo initur matrimonium).

Quæres 2. An servi habeant aliquarum rerum dominium? — Sic aliquoties, positis ponendis. . . . . 153

§ 3. De dominio Clericorum. . . . . 154

*Nota :* (Clerici sæculares tria genera bonorum habere possunt, nempe : 1° *patrimonialia*, de quibus pro libitu disponere possunt ; 2° *quasi-patrimonialia*, quorum pariter plenum ac perfectum habent dominium ; 3° *mere Ecclesiastica*. Porro, fructus Beneficiorum, post honestam sustentationem superflui, sub gravi in pios usus expendendi sunt, sed *probabilius ex charitate* tantum, *non* vero *ex justitia*, ut constat : 1° ex Concil. Lateran. V ; 2° ex auctoritate canonum, v. gr. Bonif. VIII et Conc. Trident. ; 3° ex S. Thom. ; 4° quia Ecclesia concessit beneficiariis fructus bonorum Ecclesiasticorum ; 5° non est imponenda alicui obligatio justitiæ, nisi ex jure certo, quod nullibi expressum reperitur. Unde beneficiarii superflua Beneficiorum pauperibus non elargientes, ad restitutionem obligari non possunt).

Quæres 1. An pensio quæ in Galliis sacerdotibus a gubernio solvitur boni Ecclesiastici rationem habeat? — Sic. . . 159
Quæres 2. An Clerici possint superflua reservare in futurum ad usus pios? — Sic. . . . . 160
Quæres 3. Quinam veniant sub nomine pauperum ex superfluis sublevandorum? . . . . . 160
§ 4. De dominio auctorum. . . . . 160
*Nota:* (Quæstio est tantum utrum auctor, quando conceptiones suas in lucem edidit, possit adhuc aliquod retinere dominium in eas, et alios ab earum usu excludere. Unde)
Quæres 1. An violet jus alienum qui manuscriptum sine consensu auctoris typis edit? — Sic. . . . . 167
Quæres 2. An qui librum typis edidit, jus habeat impediendi ne quisquam illum prælo committat et vendat cum damno auctoris, aut bibliopolæ cui auctor jus suum transmisit? — Sic. . . . . 161
Quæres 3. An lædat jus alienum qui typis mandat lectiones publicas professoris, vel concionem auctoris? — Sic, ex jure positivo. . . . . 161
Quæres 4. An typis mandari possit liber in regno vicino recenter evulgatus sine licentia auctoris? — Sic. . . . . 161
Articulus 4. De modis quibus acquiritur et transfertur dominium. . . . . 162
*Sectio* 1. De modo acquirendi dominium rerum quæ nullius sunt. . . . . 162
§ 1. De acquisitione dominii per occupationem. . . . 162
N° 1. De occupatione animalium. . . . . 163
*Conclusio* 1. Animalia ex natura sua mansueta et domestica, quantumvis aberrent aut fugiant, non licet occupare. . 163
*Conclusio* 2. Animalia fera seu sylvestria, usu mansuefacta, non licet occupare quamdiu consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in potestatem domini; quod si amittant consuetudinem redeundi, fiunt occupantis. . . . . 164
*Conclusio* 3. Animalia omnino fera et sylvestria in loco publico et non circumsepto vagantia, fiunt primi occupantis, etiam contra voluntatem Principis venationem prohibentis. . 164
Quæres 1. Cujus sit fera ab uno læsa et ab alio capta? . 165
Quæres 2. Ad quem pertineat fera laqueo, item piscis retibus inhærens? — Distinguendum. . . . . 165
Quæres 3. Si fera quam insequor cadat in laqueum tuum, cujus erit? Distinguendum. . . . . 166
Quæres 4. An licitum sit occidere columbas, gallinas, etc., alienas in agro tuo nocentes? . . . . . 166

N° 2. De occupatione lapillorum, gemmarum, fodinarum plumbi, ferri, venarum auri, argenti, etc. . . . . 167
Quæres 1. An lapilli, gemmæ, etc., quæ in littore maris inveniuntur, sint primi occupantis? — Sic. . . . . 167
Quæres 2. Ad quem pertineant spolia ea quæ in fluminibus reperiuntur? . . . . . 167
Quæres 3. Ad quem pertineant lapidicina (*carrières*), fodinæ plumbi, etc., quæ sunt in fundo alicujus? . . . . . 167
N° 3. De pastione et lignatione in sylvis communibus. . 168
Quæres 1. An Princeps possit prohibere pastionem et lignationem in pascuis et sylvis communibus? — Sic. . . . . 168
Quæres 2. Quid sentiendum de pauperibus qui ligna cædunt in sylvis quæ ad regem vel alios privatos pertinent? . . 169
§ 2. De acquisitione dominii per inventionem. . . . . 169
N° 1. De inventione thesauri. . . . . 170
*Nota:* (Inventio dicitur quædam occupatio rei a domino suo separatæ, ita ut sit nullius).
Quæres 1. Quid sit thesaurus?—Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum habeat. . 171
Quæres 2. Cujus sit thesaurus inventus? — Ex jure naturali et gentium, totus est inventoris; alia vero sunt tenenda ex juribus Romano et Gallico. . . . . 170
Quæres 3. An qui sciens in agro alieno latere thesaurum, emit agrum illum, acquirat dominium illius thesauri? . . 172
Quæres 4. Quid si thesaurum inventum et apprehensum in fundo alieno, iterum in eo recondas et fundum illum emas? . 172
Quæres 5. An usufructuarius qui ex industria thesaurum invenit in fundo cujus habet usumfructum, medietatem thesauri sibi retinere possit? — Disputant. . . . . 173
N° 2. De inventione rei nuper amissæ. . . . . 173
Quæres 1. Quid dicendum de rebus inventis? — Si inveniatur dominus, ei restituenda est; si vero, diligentia sufficienti habita, non inveniatur, tres adsunt sententiæ, quorum tertia, *verior et sequenda*, distinguendum docet. . . . . 173
Quæres 2. Quid agendum si dominus compareat post factam talem applicationem? — Distinguendum. . . . . 175
N° 3. De acquisitione dominii in bona vacantia, et derelicta. . . . . 176
Quæres 1. Quid sint bona vacantia, et ad quem pertineant? 176
Quæres 2. Quid sint bona derelicta, et ad quem pertineant? 177
*Sectio* 2. De modo acquirendi dominium rerum quæ sunt alicujus. . . . . 177
§ 1. De acquisitione dominii per accessionem. . . . . 178

*Nota :* (Accessio est modus acquirendi dominium in rem aliquam, ex eo quod res illa ad nostram accedat et cum ipsa uniatur).

*Conclusio.* Dominium transfertur per accessionem variis modis, ut ex eorum enumeratione patebit, nempe : per *alluvionem*, *specificationem*, *adjunctionem*, *commixtionem* et *confusionem*, *inædificationem*, *implantationem* et *satione*m, *alveum*, *insulam* et *nativitatem*. . . . . 178

§ 2. De acquisitione dominii per præscriptionem. . . . 181

Quæres 1. Quid sit præscriptio seu usucapio ? — Est acquisitio dominii vel juris per possessionem bonæ fidei, continuatam tempore per legem definito. Duplex est : *acquisitiva* et *liberativa*. . . . . 181

Quæres 2. Quænam conditiones requirantur ad legitimam præscriptionem ? — Quatuor : possessio vera, titulus, bona fides, et tempus a lege definitum. . . . . 182

Quæres 3. Quid sit bona fides hic ? — Est judicium prudens et fundatum quo quis aliquid quod possidet, esse suum existimat, etsi forte suum non sit. . . . . 183

Quæres 2. An et quæ ignorantia officiat præscriptioni ? . 183

*Nota :* (Ignorantia alia est *juris*, qua lex ignoratur ; alia *facti*. qua ignoratur tale factum legi cognitæ contrariari).

(Resp. Error invincibilis facti præscriptionem non impedit ; sed ignorantia *juris clari*, quamvis invincibilis et inculpata, impedit præscriptionem.)

Quæres 3. An dubium officiat præscriptioni ? — Sic, si incepit cum possessione ; non, si superveniat possessioni bona fide inchoatæ. . . . . 185

Quæres 4. An valeant in conscientia præscriptiones juris Gallici trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis ? — Sic. . . . . 185

Quæres 5. An cætera mobilia præscribi possint in conscientia solo titulo possessionis, juxta jus Gallicum ? — Controvertitur. . . . . 188

Quæres 6. An valeant in foro conscientiæ præscriptiones liberativæ quinque annorum et infra, ex jure Gallico ? — Non, *generatim*. . . . . 189

Quæres 7. An præscriptio bonæ fidei dominium transferat in foro conscientiæ, ita ut, licet. completa præscriptione, cognoscas rem fuisse alienam, ad illam restituendam minime tenearis ? — Sic, quia transfertur auctoritate Reipublicæ. . . . . 189

Objectiones. . . . . 190

Quæres 8. Quandonam præscriptio dicatur interrupta ? . . . 192

Quæres 9. Quandonam præscriptio dicatur suspensa vel dormire?

PARS SECUNDA. DE VIOLATIONE JURIS, SEU DE INJUSTITIA. . . . 192

DISSERTATIO I. De injuria in genere. . . . . 193

QUÆSTIO UNICA. De natura et divisione injuriæ. . . . . 193

Quæres 1. Quid sit injustitia seu injuria? — Prout hic sumitur, est voluntaria juris alieni violatio, absque causa legitima. 193

Quæres 2. Quomodo dividatur injuria? — Dividitur in *formalem* et *materialem*, *habitualem* et *actualem*, *gravem* et *levem*. 193

Quæres 3. Utrum volenti possit fieri injuria? — Non. . . 194

Quæres 4. Utrum quis possit jus *sui* cedere? — Controvertitur; sed probabilior videtur sententia affirmans. . . . . 195

DISSERTATIO II. De injuria in specie, seu de peccatis contra justitiam. . . . . 196

QUÆSTIO I. De furto. . . . . 197

§ 1. De natura et divisione furti . . . . . 197

Quæres 1. Quid sit furtum? — Est injusta ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino. . . . . 197

Quæres 2. Quomodo dividatur furtum? — Multiplex est, nempe: *simplex* et *rapina*, *fraus* et *dolus*, *sacrilegium*, *peculatus*, *plagiatus* et *abigatus*. . . . . 198

Quæres 3. Quale peccatum sit furtum? — Mortale *ex genere suo*. 196

Quæres 4. An furta sint alia aliis majora, et an inter se specie differant? — Sic. . . . . 198

§ 2. De quantitate materiæ furti ad peccatum mortale. . 199

Quæres 1. Quænam quantitas requiratur ut furtum sit de se peccatum mortale? . . . . . 199

(Resp. 1° Ea non est mathematice, sed moraliter determinanda, nec absolute in se, sed relative consideranda; 2° materia est *absolute* gravis, quando circiter diurno victui vel labori unius hominis æquipollere videtur.)

Quæres 2. Quænam materia requiratur in furtis uxorum, filiorum et famulorum, ut gravia evadant? — Dist. . . . 200

Quæres 3 An et quomodo minuta furta coalescant ad gravem materiam efficiendam? . . . . . 201

(Resp. 1° Minuta furta coalescere possunt ad gravem materiam efficiendam. — 2° Si quis *ex occasione* tantum furatur uni vel pluribus, absque intentione ditescendi vel alteri graviter nocendi, non peccat mortaliter. — 3° Si quis furatur *cum intentione* paulatim ditescendi vel graviter nocendi per minuta furta uni vel pluribus, graviter peccat. — 4° Qui *per conspirationem* furantur et graviter nocent, singuli peccant mortaliter.)

Quæres 4. An, si post quantitatem notabilem per minuta furta sublatam, addat quis furta alia parva, toties sit peccatum mortale, quoties aliquid superadditur? . . . . . 204
Quæres 5. An minuta furta adhuc coalescant, si inter ipsa magnum interponatur intervallum? — Non. . . . . 204
Quæres 6. Quænam materia dicitur gravis in minutis furtis? 205
Quæstio II. De causis a furto excusantibus . . . . . 205
§ 1. *Nota:* (Duplex est causa excusansa furto: *necessitas* et *compensatio*. Unde)
§ 1. De necessitate a furto excusante. . . . . 205
Quæres 1. An liceat in gravi vel gravissima et extrema necessitate aliena surripere? — Non licet in *gravi*, sed tantum in gravissima et extrema. . . . . 205
Quæres 2. An qui in extrema necessitate versatur, possit occulte aliena subripere, quin illa petat? — Sic, *probabilius*. . 206
Quæres 3. An pauper in extrema necessitate possit auferre rem magni valoris, si illa sit absolute necessaria ad suam vitam servandam? — Sic, positis ponendis. . . . . 207
Quæres 4. Utrum qui in extrema necessitate bona aliena abstulit, ad restitutionem teneatur? — Distinguendum. . . . 208
Quæres 5. An dives non subveniens patienti extremam necessitatem, teneatur postea ad restitutionem? — Non *probabilius*, quia non peccavit contra justitiam. . . . . 208
Quæres 6. An fur rem ablatam consumens in extrema necessitate, teneatur semper ad restitutionem? — Non. . . . 210
§ 2. De occulta compensatione. . . . . 210
Quæres 1. Quid sit occulta compensatio? — Est actus quo quis rem suam vel aliquid æquivalens ab alio inscio et invito accipit. . . . . 210
Quæres 2. An liceat uti occulta compensatione ad rem suam aut sibi debitam recuperandam? — Sic, positis ponendis. . 210
Quæres 3. An liceat operariis, famulis, officialibus justitiæ, recte judicantibus se minus justo accipere, occulte sibi compensare? — Distinguendum. . . . . 112
Quæres 4. An famulus augens operas debitas se compensare possit? — Distinguendum. . . . . 213
Pars tertia. De reparatione juris, seu de restitutione. . . . 213
Sectio I. De restitutione in genere. . . . . 214
Dissertatio I. De restitutione in se. . . . . 214
Caput I. De definitione et necessitate restitutionis. . . . . 214
Quæres 1. Quid sit restitutio? — Est actus justitiæ commutativæ, quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur. . . . . 214

Quæres 2. An necessaria sit restitutio? — Restitutio in re vel in voto est necessaria ad salutem *per se*, nempe si de materia gravi agitur. . . . . 215

Quæres 3. An præceptum restituendi affirmativum sit vel negatiuvm? — Est *primario* negativum, *secundario* affirm. . 217

Quæres 4. An anima defuncti detineatur in purgatorio donec ab illius hæredibus facta fuerit restitutio? — Non. . 218

CAPUT II. De radicibus ex quibus oritur obligatio restitutionis. 219

Quæres 1. Quot sint radices restitutionis? — Quinque, nempe: *res accepta*, *injusta acceptio*, *injusta detentio*, *injusta damnificatio* et *ratio contractus vel officii*. . . . . 219

Quæres 2. Cum omnis obligatio restituendi in delictis fundetur in culpa, ex qua culpa nascatur talis obligatio? — Ex sola gravi culpa theologica. . . . . 219

Quæres 3. Ex qua culpa theologica oriatur obligatio restituendi? — 1° Si culpa est gravis, restituendum est sub gravi; 2° si est levis, restituendum est sub levi; 3° si vero est venialis ratione inadvertentiæ, et damnum illatum sit grave, *communius* et *probabilius* affirmant nullam esse restitutionis obligationem; neque *sub gravi*, quia gravis obligatio non habet proportionem cum culpa levi; neque *sub levi*, quia obligatio levis non habet proportionem cum materia gravi. . . 221

DISSERTATIO II. De circumstantiis restitutionis. . . . . 204

*Nota:* (Novem vulgo numerantur circumstantiæ restitutionis, hoc distycho comprehensæ:

**Quis, quid restituat, quantum, cui, quomodo, quando,**
**Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.**

CAPUT I. Quis, quid et quantum restituere debeat. . . . . 225

*Nota:* (Constat teneri ad restitutionem, tum eos qui alienum possident, sive bona, sive mala fide; tum eos qui aliena bona damnificarunt; tum eos qui alterius damno cooperati sunt. Unde)

ARTICULUS 1. De possessore bonæ fidei. . . . . 225

*Nota:* (Possessor bonæ fidei est qui alienum possidet, prudenter putans illud esse suum. — 2° Fructus rei dividuntur in *naturales*, *industriales*, *mixtos* et *civiles*. — 3° Expensæ circa rem factæ, aliæ sunt *necessariæ*, aliæ *utiles*, et aliæ *voluptuariæ*).

Quæres 1. Quid teneatur restituere possessor bonæ fidei? 226

Quæres 2. Quis dicatur ex re aliena ditior factus? . . . 227

Quæres 3. Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, qui rem a fure emptam alteri vendidit? — *In casu evictionis aut spontaneæ*

*restitutionis*, id est, si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium rei reddere tenetur, *saltem id in quo ditior factus est;—extra casum* autem spontaneæ restitutionis aut evictionis, *probabilius* venditor non tenetur restituere, nisi ex venditione ditior factus fuerit. . . 228

Quæres 4. Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem alienam, furto, v. gr., ablatam, gratuito acceptam, alteri vendiderit? — Dist. . . . . 230

Quæres 5. An qui bona fide rem furtivam emit, possit eam furi reddere, ut pecuniam suam recuperet? . . . . . 231

(Resp. 1° Si dominus compareat, ei, non furi, restituenda est. — 2° Si vero dominus sit cognitus, sed inscius, tunc potest restitui furi *probabilius* et *communius*, quia: 1° nemo tenetur rem alienam servare cum suo damno, quod hic contingeret; 2° quisquis jus habet ponendi actionem quæ *per se* est necessaria et directa ad suum damnum evitandum, licet *indirecte* et *per accidens* damnum alteri eveniat.)

Objectiones. . . . . 232

Articulus 2. De possessore malæ fidei. . . . . 234

*Nota:* (Possessor malæ fidei est ille qui per injuriam, rem alterius accepit, vel detinet, vel damnum intulit).

Quæres 1. Ad quid teneatur possessor malæ fidei? . . . 234

Quæres 2. An teneatur fur restituere valorem rei, si res furtiva apud ipsum pereat, quæ æque apud dominum peritura fuisset? — Distinguendum. . . . . 235

Quæres 3. Ad quid teneatur possessor malæ fidei, quando res habet varium pretium tempore detentionis? — Ad summum pretium rei quod ipse dominus obtinuisset, vel obtinere potuisset. . . . . 237

Quæres 4. An teneatur restituere qui fingens se pauperem, vel alium quam est, extorsit eleemosynam? . . . . . 239

Articulus 3. De possessore dubiæ fidei. . . . . 240

Quæres 1. Utrum et quid sit restituendum a possessore dubiæ fidei? — Apprime inquirendum est utrum dubium possessori advenerit incipiente possessione, vel possessione jam incœpta. . . . . 240

Quæres 2. Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei qui neglexit inquirere, si postea dominus compareat? . . . . . 242

Articulus 4. De injusto damnificatore. . . . . 243

*Nota:* (1° Alius est damnificator, alius injustus rei alienæ detentor vel acceptor. — 2° Ut actio damnificans ad restitutionem obliget, ex jure naturæ requiruntur tria: ut sit injusta, causa damni efficax, et theologice culpabilis).

Quæres 1. An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea illud non impedivit, licet impedire posset? — Sic. . . . . 244
Quæres 2. An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata quando damnum infertur? — Sic. . . . . 244
Quæres 3. An teneatur reparare damnum, qui ponit actionem ex qua, præter ejus intentionem et per accidens, damnum alteri est illatum? — Distingue. . . . . 244
Quæres 4. An teneatur reparare damnum quod alicui ex errore intulit, dum alteri nocere intenderet? — Non *probabilius*, quia ibi non est injuria formalis, quæ tamen magis præcipue respicitur quam damnum illatum. . . . . 245
Quæres 5. Ad quid teneatur qui, existimans ex errore invincibili damnum a se illatum multo minus esse ac revera est, cum postea rerum pretium cognoscit? — *Probabilius* ad restituendum tantum pro rata cogniti. . . . . 247
Quæres 6. An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum? — Dist. . . . . 249
Quæres 7. An teneatur ad restitutionem ille qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si prævideriit pravi exempli efficaciam? — Non *probabilius*. . . 249
Quæres 8. An teneatur ad restitutionem, qui dubitat an aliquem injuste damnificaverit? — Si constat causam fuisse positam, sed dubitatur de ejus influxu in damno quod evenit, *probabilius* non tenetur: 1° quia non est imponenda obligatio restitutionis, nisi de ea certo constet; 2° quia factum non præsumitur, sen probari debet; 3° quia in dubio melior conditio possidentis; *modo tamen damnum non sequatur necessario ex causa*. . . . . 249
Quæres 9. An tenearis reparare damnum alteri obveniens occasione injustæ actionis tuæ, si nempe illi crimen imputetur quod tu commisisti? — Non, *probabilius*. . . . . 252
Quæres 10. An teneatur ad restitutionem iniquus distributor Officiorum? — Distinguendum est. . . . . 253
Quæres 11. An teneatur ad restitutionem qui alium impedivit a consecutione alicujus boni vel Beneficii? — Sic, si alter strictum habet jus ad rem consequendam; si non habet, distinguendum est. . . . . 255
Articulus 5. De iis qui damno alterius cooperati sunt. . . 256
Quæres 1. Quid requiratur ut cooperans teneatur ad restitutionem? — Ut sua cooperatione sit causa *injusta* et *efficax*, sive physica, sive moralis, damni. . . . . 256

Quæres 2. Quot modis possit aliquis efficaciter cooperari damno alterius? — Novem, qui sunt:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans. 256

§ 1. De mandante. . . . . 257
(*Mandans* est is qui suo mandato vere alium movet ad damnificandum alteri, et tenetur de damno ipsius nomine illato.)
§ 2. De consulente. . . . . 248
(*Consulens* is est qui consilio, precibus, vel promissis, etc., induxit alium ad damnum inferendum. Porro, tenetur ad restitutionem damni proximo illati, vi consilii sui; quandonam vero damnum illatum fuerit vi consilii sui, ex circumcumstantia judicandum est.)
§ 3. De consentiente. . . . . 261
(*Consentiens* ille est qui approbatione, favore, suffragio, efficaciter movet ad inferendum alicui damnum: ad restitutionem obligatur, cum tenetur ex officio non consentire et impedire potest).
§ 4. De palpone, id est, adulatore. . . . . 263
(*Palpo* est ille qui laudando, plaudendo, offensum irridendo, etc., alterum impellit ad damnum proximo inferendum, et tenetur ad restitutionem, cum damni sit causa moralis.)
§ 5. De receptatore (gallice *receleur*). . . . . 264
(*Receptator* intelligitur ille qui malefactori, *quatenus malefactori*, securitatem et commoditatem præbet; ad restitutionem tenetur, quia revera cooperatur damno).
§ 6. De participante. . . . . 264
(1° *Participans* est talis vel *ratione rei acceptæ*, ut cum quis suam in præda partem habet; vel *ratione actionis damnosæ*, ut cum juvat ad actionem injustam. — 2° Particeps quadruplici modo potest concurrere damno alterius, nempe: *immediate* vel *mediate*, et *materialiter* vel *formaliter*. — 3° Participans sive ratione prædæ, sive ratione injustæ actionis, tenetur restituere, ut patet. — 4° Quoad licitatem immediatæ cooperationis ad damnum alterius in materia justitiæ, sedulo distingue bona *vitæ*, *membrorum* et *fortunæ*. — 5° *Probabilius* non peccat cooperans *immediate*, ad vitandam mortem vel jacturam membrorum, quæ morti æquiparatur, vel gravissimam infamiam, nec tenetur ad restitutionem. — 6° Triplex

traditur regula ad dignoscendum quando est causa proportionata cooperari damno tertii.)

§ 7. De muto, non obstante et non manifestante, seu de cooperatoribus negativis. . . . . 272

(*Mutus* is est qui tacet cum potest et teneatur loqui *ex justitia*; — *non obstans* est omnis ille qui non præbet auxilium quod potest et ex justitia debet præbere, ne damnum inferatur; — *non manifestans* intelligitur ille qui, dum potest et debet ex justitia, malefactorem non manifestat; hi omnes, *positis ponendis*, tenentur ad restitutionem.)

§ 8. Expenduntur variæ quæstiunculæ ad præsentem materiam spectantes. . . . . 276

Quæres 1. Quid requiratur ut cooperatores teneantur restituere? — Ut vere moveant vel adjuvent executorem ad damnum inferendum. . . . . 276

Quæres 2. Utrum cooperans teneatur ad restitutionem, si absque ejus cooperatione executor æque facile et eodem modo damnum illaturus erat, *quia nempe ad fascinus paratissimus erat?* . . . . . 277

Quæres 3. An omnes cooperatores teneantur in solidum? 277

Quæres 4. An omnes cooperatores æqualiter restituere teneantur? — Sic, si æqualiter concurrerunt ad damnum. . 278

Quæres 5. Quisnam ordo sit servandus inter eos qui inæqualiter obligantur in solidum? — 1° Tenentur cooperatores positivi, secundum ordinem; deinde negativi. 278

Quæres 6. An teneatur in solidum qui dubitat utrum in totum damnum influxerit? — Non, *probabilius*. . . . . 279

CAPUT II. Cui, quomodo et quando sit restituendum. . . . 280

Quæres 1. Cuinam res debeat restitui?—*Ordinarie* ei est reddenda qui jus habet possidendi, etsi non sit dominus rei. . . 280

Quæres 2. Quomodo sit restituendum? . . . . . 281

Quæres 3. Quandonam sit restituendum?— Statim, *quantum moraliter fieri potest;* nam potest differri: 1° propter extremam et gravem necessitatem; 2° propter impotentiam moralem; 3° propter nocumentum creditori vel alteri ex restitutione probabiliter imminens. . . . . 281

CAPUT III. De ordine quo personis læsis restitui debetur. . . 288

(Quæstio unice procedit de eo qui multis creditoribus diversi ordinis debet, et omnibus satisfacere est impar; unde: 1° debita ex titulo oneroso prius solvi debent quam debita ex titulo gratioso; 2° prius est solvendum habentibus hypothecam, quam non habentibus; 3° inter creditores personales, prius solvendum est iis qui habent privilegium, etc.)

Caput IV. Quo loco, cujusve impensis et periculo restitutio sit facienda. . . . . 286
Quæres 1. Cujus impensis debeat fieri restitutio ratione rei acceptæ? — Expensis domini. . . . . 287
Quæres 2. Cujus expensis restituendum sit ratione injustæ acceptionis, detentionis et damnificationis? — Impensis debitoris. . . . . 287
Quæres 3. Cujus impensis restituenda sit res debita ex contractu? — Impensis illius in cujus utilitatem fit contractus . . 287
Quæres 4. Si res quæ remittitur per nuntium pereat fortuito sine culpa nuntii, cuinam pereat? — Dist. . . . . 288
Dissertatio III. De causis excusantibus a restitutione. . . . 289
*Nota:* (1° Regula generalis in qua fundatur omnis causa excusans a restitutione, hæc est: *Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet, restitutionem omitti vel differri;* — 2° causæ excusantes a restitutione, aliæ excusant *ad tempus*, aliæ *in perpetuum*).
Quæres 1. An remissio creditoris excuset a restitutionis obligatione? — Sic, si sit legitima. . . . . 289
Quæres 2. Quid sit cessio bonorum? . . . . . 290
Quæres 3. An cessio bonorum liberet ab obligatione restitutionis? — Non. . . . . 290
Quæres 4. An ingressus in religionem liberet a restitutione? — Distingue. . . . . 291
Quæres 5. An debitor liberetur in dubio vel probabilitate solutionis? — Non, *probabilius* et *communius*. . . . . 292
Quæres 6. An excusetur a restitutione qui non potest restituere nisi per bona superioris ordinis? — Sic, *probabilius*, quia: 1° sic Script.; 2° nulla dari potest compensatio inter bona diversi ordinis. . . . . 293
Quæres 7. An compensatio sit causa excusans a restitutione? 294
Sectio II. De injustitia et restitutione in specie. . . . . 295
Caput I. De injuriis in bonis animi et restitutione. . . . . 296
*Nota:* (Bona animi sunt *supernaturalia* et *naturalia*).
Articulus 1. De injuria in bonis animi supernaturalibus, et necessaria inde restitutione. . . . . 296
Quæres 1. An qui alium ad peccatum induxit, vel a virtutis exercitio retraxit, teneatur ad restitutionem? — Dist. . . . 296
Quæres 2. An qui candidatum vel professum sine justa causa evocavit a religione, teneatur satisfacere religioni? — Distinguendum. . . . . 297
Articulus 2. De injuriis in bonis animi naturalibus, et necessaria restitutione. . . . . 298

Quæres 1. An qui scientiam vel artem male aut negligenter candidatum docuit, teneatur ad restitutionem damnorum inde illi secutorum? — Distinguendum. . . . . 298
Quæres 2. An qui philtro, veneno, etc., alium memoria vel usu rationis privavit, teneatur ad restitutionem? . . . . 298
Caput II. De injuriis in bonis corporis, et restitutione. . . . 298
Articulus 1. De injuriis in corpus proximi per homicidium et mutilationem, et necessaria restitutione. . . . . 299
Quæres 1. Quid sit homicidium et quale peccatum? — Est voluntaria et injusta hominis occisio; est mortale. . . . 299
Quæres 2. An liceat malefactores occidere? — Sic, auctoritate publica. . . . . 299
Quæres 3. An liceat auctoritate privata innocentem occidere? — Non, *per se directe et ex intentione*. . . . . 299
Quæres 4. An liceat abortum procurare? — Non. . . . . 300
Quæres 5. An liceat matri, cui non potest aliter succurri, præbere pharmacum cum imminente periculo abortus? . 300
Quæres 6. An liceat homini injustum invasorem occidere, ne ab eo occidatur? — Sic, *servato moderamine inculpatæ tutelæ*. 301
Quæres 7. An liceat occidere pro defensione honoris et famæ? — Non, ut constat ex damnata contraria proposit. . . . 303
Quæres 8. An liceat invasorem pudicitiæ occidere, dum nulla alia via suppetit ad eam defendendam? — Sic. . . . 304
Quæres 9. An liceat occidere furem pro defensione bonorum fortunæ magni momenti? — Sic communiter, *positis ponendis*, ut constat: 1° Script.; 2° jure canonico; 3° quia vim vi repellere licet; 4° quia huic occisioni non obstat *debitus ordo charitatis* quem objiciunt adversarii. . . . . 305
Quæres 10. Qui alium occidit aut mutilat, quotuplex ei damnum inferat? — Duplex: *personale* et *reale*. . . . . 308
Quæres 11. An injustus homicida aut mutilator teneatur restituere damnum personale? — Non, *probabilius*. . . . . 308
Quæres 12. Quænam damna realia injustus occisor aut mutilator teneatur restituere, et quibus? . . . . . 308
Quæres 13. An homicida teneatur restituere hæredibus voluntariis, quales sunt fratres aut alii consanguinei et extranei? — Non, *probabilius*. . . . . 309
Quæres 14. An homicida teneatur restituere creditoribus occisi, vel his qui ab occiso liberalitates accipiebant, vel accipere sperabant? — Non, modo *non intenderit* illa damna. . 309
Quæres 15. An ad restitutionem teneatur qui alium occidit excedendo modum justæ defensionis, seu moderamen inculpatæ tutelæ? . . . . . 311

Quæres 16. An ad aliquid teneatur qui alterum occidit in duello ? . . . . . 311
Quæres 17. An occidens Paulum, putans se occidere Petrum, teneatur ad restitutionem ? — Non, *probabilius*, modo occisor non intenderit alium occidere quam Petrum. . . . 311
Quæres 18. An tenearis restituere damnum alteri obveniens ex tuo homicidio quod alteri per errorem imponitur ? — Distinguendum. . . . . 312
Articulus 2. De injuriis in corpus per stuprum et adulterium, et necessaria restitutione. . . . . 314
Quæres 1. Quid debeat restituere stuprator virginis ? — Nihilum, ex justitia, si virgo sponte consenserit, nec in errorem inducta fuerit a stupratore. . . . . 314
Quæres 2. Ad quid teneatur stuprator erga prolem ? — Dist. 316
Quæres 3. Ad quid teneatur adulter ? — Vel ex adulterio non est secuta proles, vel certo secuta est, vel dubitatur : si 1°. etc. . . . . 317
Quæres 4. Ad quid teneatur adultera, si proles sit secuta ? — Distinguendum. . . . . 318
Quæres 5. Quid præstare debeat adultera ut damnum reparet ? 319
Quæres 6. Si adultera non possit eo modo damna illa resarcire, teneturne crimen suum veris hæredibus vel spurio aperire ? — Non. . . . . 319
Quæres 7. Quid sentiendum sit de fornicariis, adulteris, qui proles suas exponunt vel mittunt in nosocomium ? . 320
Caput III. De injuriis in fama et honore, et restitutione. . . 320
*Nota :* (1° *Fama* est interna existimatio de alicujus excellentia ; 2° *honor* est externa significatio excellentiæ alterius).
Articulus 1. De detractione et calumnia, et restitutione. . . 321
Quæres 1. Quid sit detractio ? — Est injusta et occulta famæ alienæ denigratio. . . . . 321
Quæres 2 Quid sit calumnia ? — Est falsi criminis vel defectus impositio. . . . . 321
Quæres 3. Quot modis fieri possit detractio ? — Octo. . . 321
Quæres 4. Quale sint peccatum detractio et calumnia ? . . 322
Quæres 5. Undenam detractionis gravitas vel levitas desumenda sit ? — Ex quatuor, nempe *ipso defectu, detrahente, audientibus* et *circumstantiis*. . . . . 322
Quæres 6. Quisnam modus detractionis sit gravior ? . . 324
Quæres 7. Quænam sint justæ causæ quæ detrahentem a peccato excusant ? — Duo : *justitia* et *charitas*. . . . . 324
Quæres 8. An peccet contra justitiam, qui crimen in uno loco publicum, revelat in alio ubi ignoratur ? — Dist., ubi . 325

*Nota :* (Crimen potest esse publicum tripliciter : nempe publicitate *juris*, *facti* et *communis famæ*).
Quæres 9. An peccet contra justitiam, qui crimen alias publicum, jam vero obliteratum revelat? — Sic. . . . . 327
Quæres 10. An peccet contra justitiam, qui de uno crimine infamatum infamet de alio occulto? — Dist. . . . . 327
Quæres 11. Qualiter peccet qui crimen occultum refert, non nominata persona? — Distinguendum. . . . . 328
Quæres 12. An detrahat proximo, qui, narrando crimen occultum alterius, narrat simul ejus pœnitentiam? — Non. 329
Quæres 13. Quisnam teneatur ad restitutionem famæ? — Omnis et solus ille qui eam abstulit, vel ejus ablationi cooperatus est. . . . . 329
Quæres 14. Quid restituere teneatur detractor? . . . . 330
Quæres 15. Quandonam detractor famam restituere teneatur? 331
Quæres 16. Quomodo fama sit restituenda? — Dist. . . . 331
Quæres 17. An sit restituenda fama cum periculo famæ propriæ, bonorum fortunæ et vitæ? — Dist. . . . . 332
Quæres 18. Qui publicum crimen narrat, si auditor de alio innocente narrari existimet, teneturne innocentis famam restituere? — Sic, ex charitate. . . . . 332
Quæres 19. Sitne obligatio restituendi famam defuncti? — Sic. 332
Quæres 20. Quænam sint causæ a restitutione famæ excusantes? — Sunt septem. . . . . 332
Articulus 2. De judicio temerario, opinione, suspicione, dubitatione et susurratione. . . . . 333
Quæres 1. Quid sit judicium temerarium? — Est assensus absolutus et firmus de proximi improbitate, ex levibus ac insufficientibus indiciis ortus. . . . . 333
Quæres 2. Quale peccatum sit judicium temerarium? . . 334
Quæres 3. Quale sit peccatum suspicio et dubitatio temeraria? — Distinguendum. . . . . 335
Quæres 4. Quid requiratur ut tollatur injuria illata per judicium et suspicionem temerariam? . . . . . 335
Quæres 4. Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda? — Dist. . . . . 335
Quæres 6 Quid sit susurratio, et quale peccatum? . . . 336
Articulus 3. De contumelia et derisione. . . . . 336
Quæres 1. Quid sit contumelia et quale peccatum? — Est injuria et aperta honoris alieni violatio; est mortalis. . . . 336
Quæres 2. An honor per contumeliam læsus restitui debeat? 337
Quæres 3. Quid sit derisio, et quale peccatum? — Est jocus de proximi defectibus ut rubore afficiatur; est venialis. . 337

CAPUT IV. De injuriis in bonis fortunæ, et restitutione. . . 338
ARTICULUS 1. De injuriis ob damnum in bonis fortunæ et necessitate restitutionis. . . . . 339
Quæres 1. Ad quid teneantur qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt? — *Per se*, ad restituendum pretium. . . . . 339
Quæres 2. Ad quid teneantur nondum inscripti qui militiæ se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent? — Duæ sunt sententiæ æque probabiles. . . . . 339
Quæres 3. An accepta per modum pretii propter actionem vel omissionem aliunde debitas, restitui debeant? . . . 341
ARTICULUS 2. De restitutione ob damnum in bonis fortunæ societatis civilis et Ecclesiasticæ. . . . . 342
§ 1. De tributorum defraudatione. . . . . 342
Quæres 1. Quid et quotuplex sit tributum? — Est pensio quam subditi solvunt de propriis bonis gubernio, ad sumptus Reipublicæ communes: — sunt *directa* et *indirecta*. . . 342
Quæres 2. Quis tributa imponere possit, qualia esse debeant et quomodo obligent? — Ad primum, suprema potestas; ad secundum, debent esse justa; ad tertium, generatim obligant in conscientia. . . . . 342
Quæres 3. An injusti sint et ad restitutionem teneantur defraudantes tributa? — Distingue inter *directa* et *indirecta*. 344
Quæres 4. Utrum defraudantes vectigalia peccent et ad restitutionem teneantur? — Tres sunt sententiæ, quarum tertia non obligat ad restitutionem, nisi in quibusdam conditionibus. 346
Quæres 5. Cuinam facienda sit restitutio in tertia sententia supra exposita? — Illi cujus jus violatum fuit. . . . . 346
Quæres 6. An peccent contra justitiam et ad restitutionem teneantur præpositi, quoties tributa exigere negligunt? . . 348
§ 2. De restitutione ob damnum in bonis fortunæ societatis Ecclesiasticæ. . . . . 349
(Constat Ecclesiam jus habere bona temporalia possidendi, cujus solus Papa habet supremum dominium, ac proinde quicumque illa diripit, tenetur ea restituere, nisi compositio vel condonatio interveniat ex Summo Pontifice.)
SCHOLIUM. De revelatione secreti et libello diffamatorio. . . 351
*Nota:* (Secretum, quod est *notitia rei occultæ*, est *naturale*, *commissum* et *promissum*. Unde)
Quæres 1. An violatio secreti sit peccatum et obliget ad restitutionem? — Ad primum, sic, quia est transgressio legis naturalis; ad secundum, affirm., si inde proximus in suis bonis lædatur. . . . . 351

Quæres 2. Quid, si promiseris servare secretum etiam cum dispendio vitæ vel famæ? . . . . . 352
Quæres 3. Quid sentiendum de apertione litterarum et expiscatione secreti? . . . . . 353
Quæres 4. Quid sit dicendum de libellis diffamatoriis et litteris anonymis? . . . . . 354

## TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PARS PRIMA. DE CONTRACTIBUS IN GENERE. . . . . 356
CAPUT I. De contractu puro. . . . . 357
ARTICULUS 1. De natura et divisione contractus. . . . . 357
Quæres 1. Quid sit contractus? — Est pactum ultro citroque, vel alterutro tantum, pariens obligationem. . . . . 357
Quæres 2. Quomodo dividatur contractus? — Dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, *explicitum* et *implicitum*, *nominatum* et *innominatum*, *nudum* et *vestitum*, *bonæ fidei* et *stricti juris*, in *purum* et *non purum* qui est vel *ad diem*, vel *ad modum*, vel *ad causam*, vel *ad demonstrationem*, vel *ad conditionem*. 357
ARTICULUS 2. De personis ad contrahendum habilibus. . . . 360
Quæres 1. Quinam contrahere possint? — Omnes et soli qui liberam suorum bonorum habent administrationem, nisi a jure impediantur. . . . . 360
Porro, ex *jure Romano*,
*Conclusio* 1. Minor et pupillus pubertati proximi non possunt sine auctoritate tutoris aut curatoris contrahere in suum incommodum; possunt tamen in suum commodum. . 361
*Conclusio* 2. Pupilli et minores, etiam de consensu tutoris, non possunt valide alienare bona immobilia, nec mobilia quæ servari possunt, nisi accedat judicis auctoritas. . . . 362
*Conclusio* 3. Bona mobilia quæ servando servari non possunt, valide a pupillis cum consensu tutoris alienantur, sine quo consensu non obligantur *civiliter*. — Dico *civiliter*, nam *probabilius* obligantur *naturaliter*. . . . . 362
Ex *jure Gallico*,
*Conclusio* 1. Minor non emancipatus nunquam contrahere potest *civiliter* proprio nomine, etiam cum patris vel tutoris licentia, sed ab ipsis repræsentari debet in omnibus conventionibus. . . . . 363
*Conclusio* 2. Minor emancipatus potest facere omnes actus qui sunt bonorum administrationis; sed alios actus facere ne-

quit, quin formalitates pro minore non emancipato requisitas servet. . . . . 364
*Conclusio* 3. Uxores contrahere non possunt sine speciali consensu mariti, vel, illo quacumque de causa deficiente, sine judicis auctoritate; ideoque si quas conventiones fecerint, rescindi possunt vel a marito, vel ipsorum hæredibus, non vero ab aliis nullitatem opponentibus. . . . . 365
Quæres: Quid dicendum de civiliter mortuis? . . . . . 366
ARTICULUS 3. De consensu ad contrahendum requisito? . . 367
Quæres: Quinam consensus requiratur ad valorem contractus? — Debet esse verus, sensibilis et liber. . . . . 367
Punctum 1. An contractus ex errore vel dolo initus, sit validus. . . . . 368
*Nota:* (1° *Dolus* est omnis calliditas ad circumveniendum et decipiendum alterum exhibita. — 2° *Error* est judicium falsum, et versatur *circa substantiam* vel circa *qualitatem accidentalem*, qui iterum est vel *antecedens*, vel *concomitans*).
*Conclusio* 1. Error vel dolus circa substantiam rei, vel circa qualitatem redundantem in rei substantiam, vel circa naturam contractus, qualiscumque sit, etiam concomitans, contractum jure naturæ irritat. . . . . 369
*Conclusio* 2. Error vel dolus concomitans circa qualitatem rei accidentalem, non irritat contractum, nisi contrahens de errore cogitans, exterius vel interius ac serio dicat se nolle contrahere, nisi stante tali qualitate. . . . . 369
*Conclusio* 3. Error vel dolus antecedens circa qualitatem rei dans causam contractui, contractum non invalidat. . . . . 370
Quæres: An hic contractus cui error dedit causam, possit in irritum revocari pro arbitrio ejus qui deceptus est? . . . 370
Punctum 2. An contractus metu initus sit validus. . . . 372
*Nota:* (Metus 1° est *levis* et *gravis* qui est *absolute* vel *relative* gravis; 2° oriri potest vel *ab intrinseco* vel *ab extrinseco* qui est vel *naturalis*, vel *liber*, qui iterum est *justus* vel *injustus*, et incutitur vel ad extorquendum consensum, vel non).
*Conclusio* 1. Metus gravis ortus ab intrinseco, item ab extrinseco naturali, item extrinseco libero juste metum incutiente, si non ita perturbat rationem ut consensus non sit sufficiens ad peccatum mortale, contractum non irritat.: . . . . 373
*Conclusio* 2. Contractus initus ex metu gravi, injuste ab extrinseco libero ad extorquendum consensum incusso, jure naturæ et positivo validus est; sed rescindibilis est ad arbitrum vexati, saltem ab altera parte contrahente, *quibusdam contractibus exceptis*. . . . . 374

Articulus 4. Quam et quando obligationem pariat contractus. 377
*Nota:* (Obligatio est *indirecta* vel *directa*, quæ est *mere naturalis*, *mere civilis* et *mixta*.)
*Conclusio*. Omne pactum validum etiam nudum parit obligationem in conscientia, etiam ad ejus omnia consectaria, licet in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmetur. . . . . 377
Quæres 1. An contractus sine solemnitatibus a jure requisitis factus obliget in conscientia? — Triplex adest sententia. 378
Quæres 2. Quomodo cognoscatur an contractus sit illicitus tantum, non vero invalidus? — Ex verbis legislatoris. . . 380
Caput II. De contractu non puro. . . . . 381
Articulus 1. De juramento contractui adjecto . . . . . 381
Quæres: An contractus invalidus firmetur juramento? — Distinguendum, tam quod contractum quam quoad juramentum. 381
*Nota:* (1° Juramentum est advocatio Dei in testimonium alicujus rei, et est *assertorium* vel *promissorium*. — 2° Aliud est juramentum esse validum, aliud contractum juramento firmari).
Articulus 2. De contractu conditionato. . . . . 384
*Nota:* (1° Conditio est qualitas contractui adjecta, quæ consensum et obligationem suspendit donec impleatur; — 2° est *expressa* vel *tacita*, de *præsenti*, de *præterito*, de *futuro necessario* et *contingenti*, *impossibilis*, *honesta*, *turpis* et *contraria substantiæ contractus*).
*Conclusio* 1. Conditio *de præsenti* vel *præterito* contractum non suspendit; sed si conditio extitit, statim valet contractus; si non extitit, non valet, etiamsi ignoretur. . . . . 385
*Conclusio* 2. Conditio de *futuro contingenti* suspendit contractum usque ad ejus eventum. . . . . 385
*Conclusio* 3. Conditio *impossibilis* de præsenti, præterito vel futuro, et *turpis* de futuro, contractum irritat; et conditio *contraria substantiæ contractus*, exceptis matrimonio quoad conditionem impossibilem, et dispositionibus ultimæ voluntatis, licet diversimode. . . . . 386
Articulus 3. De contractu modali. . . . . 388
*Nota:* (1° Modus est qualitas adjuncta contractui absoluto et substantialiter completo; — 2° contractus *sub modo* statim obligat).
Quæres: An et quomodo obligent contractus modales? — Diversimode, secundum diversum *modum* appositum, qui est *ad diem*, *ad causam*, *ad demonstrationem*, *sub pœna* vel *sub disjunctione*. . . . . 388

PARS SECUNDA. DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI. . . . . 391
CAPUT I. De contractibus gratuitis. . . . . 391
ARTICULUS 1. De promissione gratuita. . . . . 391
Quæres 1. Quid sit promissio gratuita? — Est deliberata et spontanea fidei obligatio facta alteri de re bona, possibili et a promissario acceptata. . . . . 391
Quæres 2. Quomodo obliget promissio rei gravis acceptata? — Triplex est sententia; tertia probabilior distinguit. . . 393
Quæres 3. An promissio facta propter opus illicitum obliget? — Non, ante patratum crimen; secus, post crimen. . . 394
Quæres 4. Quænam promissiones jure positivo sint irritæ? 396
Quæres 5. An obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius vel promittens? . . . . . 396
Quæres 6. Quis possit promissionem accipere pro alio? . 396
Quæres 7. Quomodo cesset obligatio promissionis validæ et acceptatæ? — Tripliciter. . . . . 397
ARTICULUS 2. De donatione gratuita. 397
Quæres 1. Quid sit donatio gratuita? — Est rei aut juris alicujus gratuita concessio. . . . . 397
Quæres 2. Quotuplex sit donatio?— Sextuplex: *realis* et *verbalis*, pure *liberalis* et *remuneratoria*, *inter viros* et *mortis causa*. 397
§ 1. De donatione inter vivos. . . . . 398
Quæres 1. Quænam conditiones requirantur ad validitatem donationis inter vivos? — Quatuor. . . . . 398
Quæres 2. An donatio valeat, si donator moriatur ante acceptationem? — Non, *probabilius*. . . . . 401
Quæres 3. An, mortuo donatario ante acceptationem, ipsius hæres possit donationem acceptare?—Non, *probabilius*. . 401
Quæres 4. Utrum ante acceptationem revocari possit donatio juramento firmata? — Sic. . . . . 401
Quæres 5. An donatio acceptata possit revocari? — Dist. . 401
Quæres 6. Quotuplex sit donatio mortis causa? — Quadruplex: *testamentum*, *codicillus*, *legatum* et *fideicommissum*. . . 402
§ 2. De donatione causa mortis, seu de testamentis, codicillis, legato, etc. . . . . 404
Quæres 1. Quid sit testamentum?—Ex *jure Romano*, est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod post mortem suam fieri vult cum directa hæredis institutione; — ex *jure Gallico*, est actus essentialiter revocabilis, quo testator de bonis suis disponit pro tempore mortem ejus secuturo. . . . . 403
Quæres 2. Quotuplex sit testamentum?— Triplex, nempe, ex jure Romano, *olographum*, *solemne* et *privilegiatum*;—ex jure vero Gallico, est *olographum*, *solemne* et *mysticum*.. . . . 404

Quæres 3. Quid sint codicillus, legatum, fideicommissum? — *Codicillus* est ultima dispositio qua circa testamentum aliquid explicatur vel mutatur; — *legatum* est ultima dispositio qua testator particulare donum directis verbis alicui relinquit; — *fideicommissum* est ultima dispositio qua testator fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum. . . . . 404

Quæres 4. Quænam solemnitates jure communi ad testamentum requirantur?—Differunt pro diversitate testamentorum. 404

Quæres 5. An testamentum destitutum solemnitate a jure civili requisita, validum sit in conscientia?— Tres sunt sententiæ, tertia *probabilior* docet favendum esse possessori, donec accedat sententia judicis. . . . . 408

Quæres 6. An testamenta vel legata ad causas pias sint valida, si solemnitatibus seu formis legalibus careant? — Sic, ut constat: 1° ex jure can.; 2° ratione; 3° concessis adversariorum. . . . . 410

Quæres 7. Quinam sint inhabiles ad testandum? — Alii jure naturali, alii jure civili. . . . . 412

Quæres 8. An valeat in foro conscientiæ fideicommissum in favorem ejus qui per leges non potest hæres vel legatarius institui? — Non. . . . . 413

Quæres 9. Quid dicendum de executore testamenti? . . . 413

Quæres 10. An qui fuit institutus hæres per testamentum, aut qui talis est ab intestato, teneatur adire hæreditatem? 414

Quæres 11. An hæredes exhæredari possint? — Sic, ex jure Romano; non, ex jure Gallico. . . . . 415

Quæres 12. Quænam sit reservatio seu legitima pars hæreditatis hæredi necessario reservanda?—Aliud jure Romano, aliud jure Gallico statuitur. . . . . 416

Quæres 13. An testator teneatur sub gravi bona dare cognatis qui non sunt hæredes necessarii? — Dist. . . . . 417

Articulus 3. De deposito et sequestro. . . . . 418

Quæres 1. Quid sint depositum et sequestrum? — *Depositum* est contractus quo res custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur, ut reddatur eadem; — *sequestrum* est contractus quo res de qua est controversia alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur cum fructibus ei cui adjudicabitur a judice. . . . . 418

Quæres 2. Quænam sint obligationes depositarii? — Colliguntur ex ipsius depositi definitione. . . . . 418

Quæres 3. Ex qua culpa teneatur ad restitutionem depositarius, si depositum pereat, aut deterius fiat?— Tenetur solum de dolo et culpa gravi. Ad cujus intelligentiam, . . . . . 420

*Nota*. (1° Culpa est *theologica* et *civilis*; 2° civilis est *lata*, *levis* et *levissima*; 3° in hac materia quatuor exstant leges perpendendæ.)

Quæres 4. An depositarius aliquando de casu fortuito teneatur? — Sic, in triplici casu. . . . . 423

Articulus 4. De commodato et precario. . . . . 423

Quæres 1. Quid sit commodatum et precarium? — *Commodatum* est contractus quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad determinatum tempus, ante quod repeti non potest; — *precarium* est gratuita rei quoad solum usum concessio revocabilis ad nutum concedentis. . . . . 423

Quæres 2. Quænam sint obligationes commodantis et commodatarii? . . . . . 423

Quæres 3. Ex qua culpa teneatur commodatarius quoad forum externum? — Tenetur etiam de levissima. . . . . 425

Articulus 5. De mandato. . . . . 425

Quæres 1. Quid sit mandatum? — Est obligatio aliquid agendi in alterius commodum *gratis suscepta*. . . . . 425

Quæres 2. Quænam sint obligationes mandantis et mandatarii? . . . . . 425

Quæres 3. Ex qua culpa teneatur mandatarius et negotiorum gestor? . . . . . 426

Articulus 6. De mutuo. . . . . 427

§ 1. De mutuo in se spectato. . . . . 427

Quæres 1. Quid sit mutuum? — Mutuum (quod falso ex verbis *meum* et *tuum* oriri putant, quodque proprie usurpari potest tantum pro rebus primo usu consumptibilibus) est contractus quo rei primo usu consumptibilis, — numero, pondere vel mensura constantis, — dominium gratis transfertur alteri, — cum obligatione eamdem vel aliam ejusdem speciei et bonitatis, — post lapsum temporis restituendi. . . . . 427

Quæres 2. In qua bonitate res mutuata reddi debeat? — Distingue inter pecuniam et alias res fungibiles. . . . . 431

Quæres 3. An gratuitas sit de essentia vel de natura mutui? — Probabilius, sublata obligatione reddendi, est *essentialiter* gratuitum. . . . . 431

Quæres 4. An mutuum sit aliquando de præcepto stricto? 433

Quæres 5. An contractus mutui qui fit in pecunia, sit semper mutuum proprie dictum? — Non, *probabilius*, quia: 1° pecunia est frugifera; 2° non est primo usu consumptibilis. . . . . 433

Quæres 5. Quænam sint obligationes mutuantis et mutuatarii? . . . . . 435

§ 2. De mutuo cum auctario, seu de usura. . . . . 435
Punctum 1. De natura et divisione usuræ. . . . . 435
Quæres : Quid sit usura, et quotuplex? — Ad primum, usura sumpta pro *lucro*, definitur : lucrum ex mutuo immediate proveniens ; sumpta vero pro *contractu usurario*, est contractus mutui quo lucrum ultra sortem exigitur vel intenditur, tanquam debitum præcise vi mutui. — Ad secundum, dividitur in *apertam, palliatam, realem, mentalem, usuram sortis* et *usuram usuræ*. . . . . 435
Punctum 2. De his quæ sunt certa circa usuram. . . . . 438
Quæres : Quot usurarum patroni ad suam iniquitatem palliendam adinvenerunt titulos? — Continentur in sequentibus conclusionibus quibus refelluntur. Unde . . . . . 438
*Conclusio* 1. Usura præcepta vi mutui in re primo usu consumptibili est prorsus illicita et injusta (quia tunc venditur quod non est pretio æstimabile). . . . . 439
*Conclusio* 2. Usura oppressiva, id est, ea quæ erga pauperes exercetur, vel erga divites, si limites juxti excedat, jure naturali, divino positivo et canonico prohibetur. . . . 439
*Conclusio* 3. Usura est contra justitiam, obligare mutuatarium ad ea quæ nullo modo vel tantum ex gratitudine tenebatur præstare, si hæc in verum pactum deducantur. . . . 440
*Conclusio* 4. Nec carentia pecuniæ, nec obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, est sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi. . . . . 440
*Conclusio* 5. Ratio pecuniæ præsentis quæ datur pro pecunia absente quæ est retribuenda, non est titulus aliquid supra sortem recipiendi . . . . . 441
*Conclusio* 6. Labor in numeranda pecunia non est titulus, etc., nisi sit extraordinarius. . . . . 441
*Conclusio* 7. Utilitas et commoditas quam ex mutuo percipit mutuatarius, non est titulus aliquid recipiendi supra sortem. 442
Quæres 1. Quot sint veri tituli mutuo extrinseci, ob quos licet aliquid exigere supra sortem? — Sunt duo nempe *damnum emergens et lucrum cessans*, recepti ab omnibus, *modo serventur aliquæ conditiones*, et tertius, *periculum sortis*, a quibusdam impugnatur ; de quo . . . . . 442
*Nota :* (1° Periculum sortis est timor fundatus ne sors recuperari nequeat, vel nonnisi cum molestia ; — 2° duplex est : *commune* et *ordinarium*, et *particulare* et *extraordinarium*, de quo sit)
*Conclusio* 8. Licitum est aliquid supra sortem recipere propter periculum extraordinarium, *modo serventur aliquæ conditio-*

*nes*, ut constat : 1° decreto S. C. Propagandæ, 2° ex S. Thom. 3° quia si sors amitteretur, esset mutuanti damnum emergens quod, ex adversariis, est titulus sufficiens. . . . 445
Quæres 1. An mutuans possit sibi retinere fructus pignoris sibi dati pro assecuratione sortis? — Non. . . . . 447
Quæres 2. An pœna conventionalis mutuo apponi possit? — Sic, *modo sint debitæ conditiones*. . . . . 448
Quæres 3. An liceat mutuum petere, vel accipere sub usuris? 449
Quæres 4. An usurarii vere fiant usurarum domini? — Non. 449
Quæres 5. An hæredes usurariorum teneantur restituere in solidum? — Non, nec alter pro altero. . . . . 450
Quæres 6. An usurarius mentalis teneatur ad restitutionem? 450
Quæres 7. Quænam sint pœnæ usurariis constitutæ? . . 450
Punctum 3. De his quæ controvertuntur circa usuram. . . 451
N° 1. De titulo legis civilis. . . . . 451
Quæres : An lex stabiliens taxam legalem possit esse titulus legitimus in foro conscientiæ? — Disputant ; at sententia inter recentiores communior affirmat, quia : 1° legislator valet et vult transferre dominium lucri ; 2° sufficientia sunt motiva talem exercendi potestatem. . . . . 452
N° 2. De fecunditate pecuniæ et ejus locatione. . . . . 455
*Conclusio*. Datur fecunditas pecuniæ, et ideo pecunia locari potest. . . . . 456
(Constat hoc fortissimo argumento : *pecunia primo usu non consumitur nec physice*, ut patet ; *nec moraliter*, nam in traditione pecuniæ solus *valor* transfertur, qui non perit, sed semper repræsentatur per bona quibuscum permutatur ; — *Atqui pecunia habet usum verum*, alias non esset objectum dominii hominis ; *ac perpetuum*, cum res omnis quæ non consumitur, præbeat usum successivum ac perpetuum. — *Porro usus ille est pretio æstimabilis*, quia habet valorem intrinsecum et extrinsecum. — *Confirm.* 1° Bonum quod in mutuo datur, est usus pecuniæ, et non pecunia, cum ipsa integra restitui debeat. — 2° Lucrum cessans est titulus legitimus ad lucrum percipiendum : ergo usus pecuniæ est pretio æstimabilis, et consequenter titulus legitimus. — 3° Contractus societatis in quo unus pecuniam et alter industriam confert, u lucrum inter se dividant, est licitus ; atqui non potest esse licitus ex parte collatoris, nisi posita fecunditate pecuniæ. — 4° Constat insuper propositio solutione omnium objectionum deductarum tum ex *jure naturali*, tum *divino*, tum *canonico* et *Traditione*.)
Objectiones. . . . . 461

Punctum 4. De regulis in praxi circa mutuum et usuram sequendis. . . . . 471
(In hoc maximi momenti ac valde difficili materia, sæpe interrogata Sedes Apostolica varia dedit responsa quæ in praxi semper præ oculis habenda sunt, tum quoad Confessores, tum quoad pœnitentes : unde)
Decisiones variæ S. Sedis circa usuram. . . . . 475
Caput II. De contractibus onerosis . . . . . 479
Articulus 1. De locatione et conductione. . . . . 479
Quæres 1. Quid sit locatio et conductio? — *Locatio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum vel fructum pro pretio *conceditur* ; — *conductio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum vel fructum pro pretio *comparatur*. . . 479
Quæres 2. Quænam sint obligationes locatoris? — Sex. . . 479
Quæres 3. Quænam sint obligationes conductoris? — Sex. 481
Quæres 4. Ex qua culpa teneatur conductor locatori? — In foro *externo*, ex culpa levi ; in *interno*, probabilius ex gravi theologica. . . . . 481
Quæres 5. Quodnam tempus determinetur pro locatione rerum? — Aliud ex jure canonico, aliud ex jure civili. 482
Quæres 6. An qui succedit locatori in re locata, possit ante completum terminum conductorem expellere? . . . . . 482
Articulus 2. De emptione et venditione. . . . . 483
Punctum 1. De essentia venditionis et emptionis. . . . . 483
Quæres 1. Quid sit emptio et venditio? — *Emptio* est pactio pretii dandi pro merce ; — *venditio* vero est pactio mercis dandæ pro pretio. . . . . 483
Quæres 2. Quomodo perficiatur contractus venditionis et emptionis? . . . . . 484
Quæres 3. Ad quem pertineant commodum et fructus rei venditæ? . . . . . 484
*Nota* : Quæstio est tantum de rei venditæ fructibus qui primum post contractum nascuntur, casu quo res est nondum tradita, vel, si tradita, nondum solutum est pretium. Unde
*Conclusio*. Illi etiam fructus pertinent ad emptorem, nisi aliter expresse inter contrahentes fuerit conventum. . . . 485
(Nam : 1° Sic jus canonicum, cui congruit jus Gallicum ; 2° quia æquum est ut illius sit commodum, cujus est periculum et incommodum, id est, emptoris.)
Objectiones. . . . . 486
Quæres 4. Ad quem pertineat periculum, id est, interitus vel deterioratio rei venditæ? — Dist. : ad cujus intelligentiam 489
*Nota* : (1° Quæstio procedit de re a venditore emptori nondum

tradita; — 2° res in pondere, numero et mensura consistens potest vendi *ad corpus* vel *ad mensuram*.)
Punctum 2. De pretio rei venalis. . . . . 491
Quæres 1. In quo sita sit venditionis et emptionis justitia? — In æqualitate pretium inter et mercem. . . . . 491
Quæres 2. Quodnam sit justum pretium rerum venalium? 491
Quæres 3. Quotuplex sit pretium rerum venalium? — Duplex, nempe: *legale* et *vulgare*, quod est *summum*, *infimum* et *medium*. . . . . 492
Quæres 4. In quo differant pretium legale et vulgare? . . 492
Quæres 5. Quomodo possit definiri latitudo justi pretii? — Ut latitudo sit minor, si res sit minus pretiosa, et major, si res sit pretiosior. . . . . 493
Quæres 6. An liceat ei qui pretio infimo mercem vendidit, reducere pretium ad medium vel summum, occulte aliquid de re subtrahendo? — Non. . . . . 494
Quæres 7. Undenam vulgare rerum pretium peti debeat? . 495
Quæres 8. Quot sint causæ pluris vendendi? — Quinque. . 495
Quæres 9. Quot sint causæ minoris emendi? — Quatuor. . 496
Quæres 10. An liceat pluris vendere rem, eo quod sit emptori valde grata, vel utilis, vel necessaria? — Non. . . . 497
Quæres 11. An privatim sciens pretium mercis brevi aucturum vel imminuturum, possit cum pretio currente vendere aut emere, non monito altero contrahente? — Ex S. Thom., potest *absque injustitia, modo absit fraus*. . . . . 498
Quæres 12. An liceat credito vendere supra latitudinem justi pretii, vel emere infra, ob anticipatam solutionem? — Disputant: tamen *probabiliter* licet. . . . . 500
Quæres 13. A quo tempore sumendum sit pretium rei quæ anticipata solutione emitur? . . . . . 500
Quæres 14. An liceat chirographa, seu credita et census, minoris emere quam contineant? — Secluso lucro cessante, et damno ex emptione emergente, non licet chirographa *certa* et *liquida*, et censum annuum nulli periculo expositum, minoris emere quam contineant. . . . . 501
Quæres 15. Sed quid dicendum, si debitum in se arduum possit facile et absque expensis recuperari ab emptore, eine licebit emere pretio viliori? . . . . . 503
Quæres 16. An res quæ non habent pretium legale nec vulgare determinatum, possint vendi quanti dominus voluerit? 503
Quæres 17. An si famulus aut proxeneta vendat ultra pretium designatum, aut emat infra, possit excessum sibi retinere? — Non potest, *generaliter loquendo*, absque consensu domini. 504

Punctum 3. De merce. . . . . 506
Quæres 1. Cuinam debeatur res quæ fuit duobus vendita? 506
Quæres 2. Quodnam jus competat priori emptori? . . . 507
Quæres 3. An liceat vendere res mixtas aliis vilioribus? . 507
Quæres 4. An venditor teneatur ex justitia rei vitium *emptori occultum* detegere? — Distinguendum. . . . . 507
Quæres 5. An emptor ex justitia teneatur rei virtutem sibi notam, venditori vero ignotam, manifestare? . . . . 509
Quæres 6. An venditor teneatur de evictione? . . . . . 509
Quæres 7. Quænam vendere et emere non liceat? . . . 510
Appendix I. De contractu cum pacto retrovenditionis, et retractu gentilitio . . . . . 510
Quæres 1. An liceat vendere cum pacto retrovendendi aut redimendi? — Licet, modo nihil fiat in fraudem usurariam, et adsit vera intentio emendi et vendendi, nec desint *quædam conditiones*. . . . . 510
Quæres 2. Quid sit contractus *mohatra*, et an sit licitus? — Non licet, et est contractus quo quis, pecunia indigens, emit credito a mercatore merces pretio summo, cum pacto retrovenditionis pretio infimo, numerata pecunia. . . . . 512
Quæres 3. An contractus ille, secluso omni pacto, onere, atque etiam scandalo, sit licitus? — Controvertitur. . . . . 512
Quæres 4. Quid sit contractus gentilitius? . . . . . 513
Appendix II. De negotiatione et monopolio. . . . . 514
Quæres 1. Quid sit negotiatio, et an liceat? — Licet *per se*, et est emptio rei cum intentione eamdem rem vendendi. . 514
Quæres 2. Quid sit monopolium? — Est conventio unius vel plurium simul conspirantium ut ipsi soli vendant vel emant merces, eo quod voluerint pretio. . . . . 514
Quæres 3. An monopolium *privata auctoritate* constitutum sit licitum? — Non, sed ad restitutionem obligat. . . . 515
Quæres 4. Quomodo mercatores Reipublicæ injuriam monopolio inferant? — Sex modis. . . . . 515
Quæres 5. An peccent contra justitiam et charitatem, mercatores qui sine vi et mendacio conspirant ne merces suas vendant, nisi summo, licet justo pretio? — Quoad charitatem, sic; quoad justiam, disputant. . . . . 516
Articulus 3. De cambio. . . . . 517
Quæres 1. Quid sit cambium et quotuplex? — Est permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro campsoris; duplex est: *siccum* et *reale*. . . . . 517
Quæres 2. Quotuplex sit cambium reale? — Triplex, nempe: *manuale*, *locale* et *temporale*. . . . . 518

Quæres 3. An cambium reale, manuale, locale et temporale sit licitum? — Sic. . . . . 518
Articulus 4. De censibus seu redditibus annuis. . . . . 519
Quæres 1. Quid sit census annuus et quotuplex? — Est contractus quo emitur et venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, personave aliena frugifera; — alius est *reservativus*, alius *consignativus*. . . . . 519
Quæres 2. Quomodo dividatur census consignativus? — Dividitur in *realem*, *personalem* et *mixtum*. . . . . 520
Quæres 3. An contractus census sit licitus?—Sic, si sit *reservativus;* quoad vero *consignativum*, disputant: ideo)
*Conclusio* 1. Census realis, sive sit fructuarius, sive pecuniarius, est licitus (quia census realis est emptio rei pretio æstimabilis). . . . . 521
*Conclusio* 2. Census personalis est licitus in locis in quibus non est recepta S. Pii V Constitutio *Cum onus* (ratio, quia licitum est operam et industriam alterius conducere: ergo et emere jus ad fructus inde speratos). . . . . 522
Quæres 4. An contractus census redimibilis sit licitus? . . 523
Quæres 5. An census temporalis sit licitus? — Dist. . . . 525
Quæres 6. Quænam requirantur conditiones ad justitiam census? — Requiruntur quinque. . . . . 525
Quæres 7. Utrum debitor pensionis adstringi possit ad censum redimendum, et in quibus casibus? . . . . . 527
Articulus 5. De emphyteusi et feudo. . . . . 527
Quæres 1. Quid sit emphyteusis? — Est contractus quo, sub onere pensionis annuæ, transfertur rei immobilis dominium utile, directo retento. . . . . 527
Quæres 2. Ad quid teneatur emphyteuta? — Ad duo. . . 528
Quæres 3. Quid sit feudum? — Est contractus quo, sub onere fidelitatis et obsequii, transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo. . . . . 528
Quæres 4. Quomodo feudum differat ab emphyteusi? . . 528
Quæres 5. Ad quid teneatur vassallus? . . . . . 528
Articulus 6. De contractu societatis. . . . . 529
Quæres 1. Quid sit contractus societatis? — Est duorum vel plurium conventio contribuendi aliquid ad commune lucrum, secundum proportionem rerum contributarum. . . . 529
Quæres 2. Quot modis vulgo contrahatur societas? — Tribus. 530
Quæres 3. Quænam ad justitiam societatis requirantur conditiones? — Quatuor. . . . . 530
Quæres 4. An si, finita societate, nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, ea dividi debeat

ipsum inter et alium qui operas pecuniæ æquivalentes contulit? — Non. . . . . 531
Quæres 5. Quomodo finiatur societas? . . . . . 533
Appendix I. De societate animalium. . . . . 533
Quæres 1. Quid sit societas animalium? . . . . . 533
Quæres 2. An sit licita societas animalium? — Sic, sub tribus conditionibus. . . . . 534
Quæres 3. Dum unus sociorum operam, alter pecuniam contulit, quomodo in fine societatis facienda sit divisio, ut servetur æqualitas? . . . . . 535
Quæres 4. An contractus societatis, qui gallice vocatur *gazaille*, sit licitus? — Sic, positis ponendis. . . . . 536
Quæres 5. An sit justa societas qua quis dat rustico certa capita ovium æstimata certo pretio, hoc pacto, ut rusticus non accipiat aliquam utilitatem, etc.? — Non. . . . . 537
Appendix II. De tribus contractibus. . . . . 537
Quæres 1. Quid sit contractus triplex? — Est conventio qua pecuniam in societatem conferens paciscitur cum altero socio ut, quidquid contigerit, sua sibi sors integra reddatur, cum certo lucro, sed minore eo quod probabiliter sperare potuisset. . . . . 537
Quæres 2. Quomodo iniatur contractus triplex? . . . . 537
Quæres 3. An hic contractuum circulus ab usura sit immunis? — Quæstione intellecta non de personis extra societatem constitutis, sed de iis qui inter se societatem inierunt, duæ sunt sententiæ, quarum communior *affirmat*, modo accipiens teneatur pecuniam ad negotium applicare. . . . . 538
Quæres obiter: An similiter possit assecurari a socio capitale, omisso contractu emptionis lucri incerti pro certo? — Non. 540
Caput III. De contractibus aleatoriis. . . . . 541
*Nota*: (Contractus aleatorius est mutua conventio cujus effectus tum quoad lucrum, tum quoad jacturam, pendet ab eventu incerto.)
Articulus 1. De fidejussione et assecuratione. . . . . 541
Quæres 1. Quid sit fidejussio? — Est contractus quo quis suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor principalis non solverit. . . . . 541
Quæres 2. Quænam sint fidejussionis conditiones? . . . 541
Quæres 3. Quinam fidejubere possint? . . . . . 542
Quæres 4. An liceat pro fidejussione pretium exigere a debitore? . . . . . 542
Quæres 5. An creditor ex fidejussionis remissione lucrum reportare possit? . . . . . 543

Quæres 6. Quid sit assecuratio, et quid ad ejus justitiam requiratur ? . . . . . 543
Articulus 2. De ludo, sponsionibus et loteria. . . . . 544
Quæres 1. Quid sit ludus et quotuplex ? — Est contractus oblectantium animum, et deponentium aliquid cessurum victori. — *Triplex* est. . . . . 544
Quæres 2. An ludus sit licitus ? — Sic, *per se*. . . . . 544
Quæres 3. Quænam conditiones sint requisitæ in ludo ? . 545
Quæres 4. Quinam ludi sint jure positivo vetiti ? — Ludus saltem frequens aleæ. . . . . 546
Quæres 5. An qui alea lusit, teneatur in conscientia solvere ? 547
Quæres 6. An qui rem alea lucratam recipit, teneatur restituere ? . . . . . 547
Quæres 7. Quid sit sponsio ? — Est contractus quo duo vel plures de veritate vel eventu rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus qui veritatem fuerit assecutus. . 547
Quæres 8. Quid sit loteria, et an sit licita ? — Est contractus quo plures quamdam pecuniæ summam in commune ponunt, ac dein sortiuntur quinam objectum sit accepturus ; — licet sub datis conditionibus. . . . . 548
Articulus 3. De pignore, hypotheca et transactione. . . . 548
Quæres 1. Quid sit pignus ? — Est contractus quo debitor rem aliquam *mobilem* creditori tradit ad securitatem debiti, ut ex ea possit peti solutio, si debitor non solverit. . . . 548
Quæres 2. Quid sit hypotheca ? — Est contractus quo debitor rem aliquam *immobilem* creditori obligat ad securitatem debiti. . . . . 548
Quæres 3. Quænam sint obligationes dantis pignus et hypothecam ? . . . . . 548
Quæres 4. Quænam sint obligationes accipientis pignus et hypothecam ? . . . . . 548
Quæres 5. Quid sit transactio ? — Est conventio onerosa qua res dubia et lite incerta componitur inter partes. . . . 549

FINIS INDICIS ANALYTICI.

# INDEX BREVIS.

## TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.


Præludium de natura virtutis religionis. . . . . 1
Dissertatio prima. De actibus internis religionis . . . . . 3
Caput I. *De devotione.* . . . . . 3
Caput II. *De oratione.* . . . . . 6
*Articulus* 1. De divisione orationis. . . . . 8
*Articulus* 2. De iis quæ necessaria sunt ut oratio pie fiat. . 11
*Articulus* 3. De necessitate orationis, et de iis pro quibus orandum est. . . . . 12
Dissertatio secunda. De actibus externis religionis.. . . . . 14
Caput I. *De decimis.* . . . . . 15
Caput II. *De voto.* . . . . . 16
*Articulus* 1. De natura voti. . . . . 16
*Articulus* 2. De materia voti. . . . . 20
*Articulus* 3. De divisione voti. . . . . 23
*Articulus* 4. De obligatione voti. . . . . 23
*Articulus* 5. De modis quibus cessat obligatio voti. . . . 30
§ 1. De cessatione voti per seipsam. . . . . 30
§ 2. De voti irritatione . . . . . 32
§ 3. De dispensatione voti et ejus commutatione. . . . . 35
Caput III. *De juramento et adjuratione.* . . . . . 40
Dissertatio tertia. De vitiis religioni oppositis. . . . . 48
Caput I. *De superstitione et ejus speciebus.* . . . . . 49
*Articulus* 1. De speciebus superstitionis falsi numinis. . . 49
§ 1. De idololatria. . . . . 49
§ 2. De divinatione. . . . . 52
§ 3. De vana observantia. . . . . 58
§ 4. De magia et maleficio. . . . . 61
*Articulus* 2. De speciebus superstitionis veri numinis. . . 67
Caput II. *De irreligiositate.* . . . . . 68
*Articulus* 1. De tentatione. . . . . 68

*Articulus* 2. De sacrilegio. . . . . 70
*Articulus* 3. De blasphemia. . . . . 73

## TRACTATUS DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

Dissertatio prima. De prudentia. . . . . 78
Dissertatio secunda. De fortitudine. . . . . 84
Dissertatio tertia. De temperantia. . . . . 86
*Articulus* 1. De peccatis contra modestiam. . . . . 94
*Articulus* 2. De peccatis contra eutrapeliam. . . . . 97

## TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

Pars prima. De natura et principiis justitiæ et juris. . . . 101
Dissertatio prima. De notionibus generalibus justitiæ et juris. 101
Caput I. *De justitia.* . . . . . 102
*Articulus* 1. De essentia justitiæ. . . . . 102
*Articulus* 2. De divisione justitiæ. . . . . 104
*Articulus* 3. De objecto justitiæ. . . . . 108
Dissertatio secunda. De jure. . . . . 109
Caput I. *De jure in genere.* . . . . . 109
Caput II. *De jure in specie.* . . . . . 112
Quæstio I. De quinque primis speciebus juris. . . . . 112
*Articulus* 1. De usu. . . . . 112
*Articulus* 2. De usufructu. . . . . 117
*Articulus* 3. De servitute. . . . . 119
*Articulus* 4. De habitatione et superficie. . . . . 122
Quæstio II. De principaliori specie juris . . . . . 123
*Articulus* 1. De essentia et divisione dominii. . . . . 123
*Articulus* 2. De possessione . . . . . 127
*Articulus* 3. De origine dominii proprietatis seu possessionis. 130
Dissertatio tertia. De subjecto et objecto dominii. . . . . 136
Caput I. *De subjecto et objecto dominii in genere* . . . . . 136
Caput II. *De subjecto dominii in specie.* . . . . . 143
§ 1. De dominio filiorum . . . . . 143
§ 2. De dominio uxorum . . . . . 149
§ 3. De dominio Clericorum . . . . . 154
§ 4. De dominio auctorum. . . . . 160
*Articulus* 5. De modis quibus acquiritur et transfertur dominium. . . . . 162
*Sectio prima.* De modo acquirendi dominium rerum quæ nullius sunt. . . . . 162
§ 1. De acquisitione dominii per occupationem . . . . 162

N° I. De occupatione animalium. . . . . 1
N° II. De occupatione lapillorum, fodinarum. etc. . . 1
N° III. De pastione et lignatione in sylvis communibus. 1
§ 2. De acquisitione dominii per inventionem. . . . . 1
N° I. De inventione thesauri . . . . . 1
N° II. De inventione rei nuper amissæ. . . . . 1
N° III. De acquisitione dominii in bona vacantia et derelicta. . . . . 1
*Sectio secunda.* De modo acquirendi dominium rerum quæ sunt alicujus. . . . . 1
§ 1. De acquisitione dominii per accessionem. . . . . 1
§ 2. De acquisitione dominii per præscriptionem. . . . 1
PARS SECUNDA. DE VIOLATIONE JURIS SEU DE INJUSTITIA. . . . . 1
DISSERTATIO PRIMA. DE INJURIA IN GENERE . . . . . 1
QUÆSTIO UNICA. De natura et divisione injuriæ . . . . . 1
DISSERTATIO SECUNDA. DE INJURIA IN SPECIE. . . . . 1
QUÆSTIO 1. De furto et ejus speciebus. . . . . 1
§ 1. De natura et divisione furti. . . . . 1
§ 2. De quantitate materiæ furti ad peccatum mortale. . 1
QUÆSTIO 2. De causis a furto excusantibus. . . . . 2
§ 1. De necessitate a furto excusante . . . . . 2
§ 2. De occulta compensatione. . . . . 2
PARS TERTIA. DE REPARATIONE JURIS, SEU DE RESTITUTIONE. . . . 2
SECTIO I. De restitutione in genere . . . . . 2
DISSERTATIO PRIMA. DE RESTITUTIONE IN SE. . . . . 2
CAPUT I. *De definitione et necessitate restitutionis.* . . . . . 2
CAPUT II. *De radicibus ex quibus oritur obligatio restitutionis.* 2
DISSERTATIO SECUNDA. DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS. . . . 2
CAPUT I. *Quis, quid et quantum restituere debeat?* . . . . . 2
*Articulus* 1. De possessore bonæ fidei. . . . . 2
*Articulus* 2. De possessore malæ fidei. . . . . 2
*Articulus* 3. De possessore dubiæ fidei. . . . . 2
*Articulus* 4. De injusto damnificatore. . . . . 2
*Articulus* 5. De iis qui damno alterius cooperati sunt . . . 2
§ 1. De mandante. . . . . 2
§ 2. De consulente. . . . . 2
§ 3. De consentiente. . . . . 2
§ 4. De palpone. . . . . 2
§ 5. De receptatore. . . . . 2
§ 6. De participante. . . . . 2
§ 7. De muto, non obstante, et non manifestante. . . . 2
§ 8. Quæstiunculæ. . . . . 2
CAPUT II. *Cui, quomodo et quando sit restituendum?* . . . . 2

CAPUT III. *De ordine quo personis læsis restitui debetur.* . . . 283
CAPUT IV. *Quo loco, cujus impensis et periculo restituendum sit?* 286
DISSERTATIO TERTIA. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RESTITUTIONE. . . 289
SECTIO II. De injustitia et restitutione in specie. . . . . 295
CAPUT I. *De injuriis in bonis animi et necessaria restitutione.* . 296
*Articulus* 1. Quoad bona supernaturalia. . . . . 296
*Articulus* 2. Quoad bona naturalia. . . . . 298
CAPUT II. *De injuriis in bonis corporis et restitutione.* . . . 298
*Articulus* 1. De homicidio et mutilatione. . . . . 299
*Articulus* 2. De stupro et adulterio. . . . . 314
CAPUT III. *De injuriis in fama et honore et restitutione.* . . . 320
*Articulus* 1. De detractione et calumnia. . . . . 321
*Articulus* 2. De judicio temerario, opinione, suspicione, dubitatione et susurratione. . . . . 333
*Articulus* 3. De contumelia et derisione. . . . . 336
CAPUT IV. *De injuriis in bonis fortunæ, et necessitate restitutionis.* 336
*Articulus* 1. Quoad bona individui. . . . . 338
*Articulus* 1. Quoad bona societatis civilis. . . . . 342
§ 1. De tributorum defraudatione . . . . . 342
§ 2. De restitutione bonorum ecclesiasticorum. . . . . 349
*Scholium.* De revelatione secreti et libello diffamatorio. . . 351

## TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PARS PRIMA. DE CONTRACTIBUS IN GENERE. . . . . 357
CAPUT I. *De contractu puro* . . . . . 357
*Articulus* 1. De natura et divisione contractus. . . . . 357
*Articulus* 2. De personis ad contrahendum habilibus. . . 360
*Articulus* 3. De consensu ad contrahendum requisito. . . 368
Punctum. I. An contractus ex errore vel dolo initus sit validus ? . . . . . 368
Punctum II. An contractus metu initus sit validus? . 372
*Articulus* 4. Quam et quando obligationem pariat contractus? 377
CAPUT II. *De contractu non puro*. . . . . 381
*Articulus* 1. De juramento contractui adjecto. . . . . 381
*Articulus* 2. De contractu conditionato. . . . . 384
*Articulus* 3. De contractu modali. . . . . 388
PARS SECUNDA. DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI. . . . . 391
CAPUT I. *De contractibus gratuitis.* . . . . . 391
*Articulus* 1. De promissione gratuita. . . . . 391
*Articulus* 2. De donatione gratuita. . . . . 397
§ 1. De donatione inter vivos. . . . . 398
§ 2. De donatione causa mortis, seu de testamento, etc. . 403

*Articulus* 3. De deposito et sequestro. . . . . 41
*Articulus* 4. De commodato et precario. . . . . 42
*Articulus* 5. De mandato. . . . . 42
*Articulus* 6. De mutuo. . . . . 42
§ 1. De mutuo in se spectato. . . . . 42
§ 2. De mutuo cum auctario, seu de usura. . . . . 43
Punctum I. De natura et divisione usuræ. . . . . 43
Punctum II. De his quæ sunt certa circa usuram. . . 43
Punctum III. De his quæ controvertuntur circa usuram. 45
N° I. De titulo legis civilis. . . . . 45
N° II. De fœcunditate pecuniæ et ejus locatione. . . . 45
Punctum IV. De regulis in praxi circa mutuum et usuram sequendis. . . . . 47
*Decisiones S. Sedis circa usuram*. . . . . 47
Caput II. *De contractibus onerosis*. . . . . 47
*Articulus* 1. De locatione et conductione. . . . . 47
*Articulus* 2. De emptione et venditione. . . . . 48
Punctum I. De essentia venditionis et emptionis. . . 48
Punctum II. De pretio rei venalis. . . . . 49
Punctum III. De merce. . . . . 50
Appendix I. De contractu cum pacto retrovenditionis, et retractu gentilitio. . . . . 51
Appendix II. De negotiatione et monopolio. . . . . 51
*Articulus* 3. De cambio (*change*). . . . . 51
*Articulus* 4. De censibus seu redditibus annuis. . . . 51
*Articulus* 5. De emphyteusi et feudo. . . . . 52
*Articulus* 6. De contractu societatis . . . . . 52
Appendix I. De societate animalium (*cheptel*). . . . . 53
Appendix II. De tribus contractibus. . . . . 53
Caput III. *De contractibus aleatoriis*. . . . . 54
*Articulus* 1. De fidejussione et assecuratione. . . . . 54
*Articulus* 2. De ludo, sponsionibus et loteria. . . . . 54
Appendix. De pignore, hypotheca et assecuratione. . . . 54

FINIS TOMI SEXTI.

208.9
C 382
3906
CHARMES, THOMA EX
AUTHOR
Theologia Universa, VI
TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER |
|---|---|---|
| | STORAGE - CBPL | |

8906